M

DE VERA PERFECTAQVE PRVDENTIA, SEV DE PERFECTO VIRTVTVM. VSV, LIBRI QVATVOR.

Authore

BALTHASARE CHAVASSIO, Societatis IESV Doctore Theologo.

Postrema hæc Editio tandem prodit auctior, ac castigatior; cui præter notas marginales bini accesserunt Indices, Capitum & §§. alter; alter verò Rerum memorabilium, quæ toto tractantur opere.

Beatus homo qui inuenit Sapientiam, & qui affluit prudentia: preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Prouerb. 3.

LVGDVNI,

Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXII.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE

D.D. WILHELMO

EPISCOPO BASILEENSI, SACRI IMPERII PRINCIPI, Domino clementissimo.

MAGNVS est quisquis gladio imperat, & quasi telo ad fontium fulgurat pœnam; maior quem sacræ infulæ fusi per humeros Lemnisci ornant, *propterea Rex*, ait S. Chrysostomus, *caput submittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungebant Reges*: Quantus iam videri debet qui vtroque claret? Angit me ista cogitatio, REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS,

Homil. 4. in verba Isa. vidi Dominum.

accedere te cupientem. Munus apparo, ſed ſimul à gladio illo tuo admoneor, magis adhuc ab Infulæ maieſtate, ne quid imprudens proferam, quod ſcilicet tui non ferant oculi, & peccem primus in Prudentiam, cuius præcepta tradere inſtituo. Niſi magnos decerent magna,

Mal. 1. non dixiſſet Dominus : *Si offeratis claudum, aut languidum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam.* Enimuerò quid obſtat cenſeri magnum ſatis, ac tuo non indignum nomine hoc opus de Prudētia, qua Paulus Apoſtolus cùm primis inſtructum eſſe vult Epiſcopum (quippe vox σώφρων, qua Timotheum Epheſi præſulem alloquitur, virum ſana mente, iudicio, ac cōconſilio præditum; hoc eſt, Prudentem deſignat) ſiue quia artem profitetur omnium auguſtiſſimam, de qua Gregorius

S Gregor. Nazianz. Apol. 1. Theologus: *Scientia ſcientiarum mihi eſſe videtur homines regere, animal ſcilicet omnium maximè varium, & multiplex* ſiue

Ariſt. l. 6. Eth. c. 13. quia illum oportet ceteris quoque conſpicuum eſſe virtutibus, quarum quidem aurigam Prudentiam S. Antonius, at vinculum appellare ſolebat Ariſtoteles?

Habes,

Habes, PRINCEPS REVERENDISSIME, & ILLVSTRISSIME, caussam primam huius tibi inscripti Operis, quod quàm plenè à me sit perfectum, non equidem iudico: Est tamen vt potui accuratè; ausim dicere quod & benè, si tibi multorum instar non displicuerit. Addo alteram. Sicut qui sacrorum Antistitum, quos sibi in terris surrogauit Christus, dignitatem & statum labefactat, cum Deo ipso pugnat, dicente ad Samuelem: *Non te abiecerunt: sed me, ne regnem super eos:* Ita qui illos condignis afficit honoribus, Deum in illis honorare censendus est. Te porrò in album sacrorum Antistitum non modò adscripsit Rex ipse sacrorum maximus; sed tot ornauit virtutibus, vt nulli inferior in hoc pastorali officio, optimo cuique par esse contendas. Torpere non sinis tonitrua Ezechielis; sed suscitant assiduè gratiam, quæ est in te per impositionem sacrarum manuum; vrgentque vt quod in grege tuo *infirmum est, consolidet; quod ægrotum, sanet; quod confractum, alliget; quod alienum, reducat; quod perierat, quærat:* vt dicere possis; *Pater* 1. Reg. 8. Ezech. 34.

* 3 *quos*

Ioan. 13. *quos dedisti mihi, non perdidi ex iis quemquam.* Ad quod quia multum facit, si ipse forma sis gregis, culpa siquidem vacare debet, teste Tullio, qui in alium paratus est dicere: scripsitque in eandem sententiam S. Innocentius: *Qua libertate corripere peccantem potest, cùm tacitus sibi respondet, id se commisisse quod corrigit.* Si præterea incipiat iudicium tuum à domo Dei, si immeritum nullum promoueas; sic vitam instituis, vt quisquis imitabitur, audire possit; *Beatus es, & benè tibi erit.* Sic moderaris commissum tibi Clerum, vt ex eo quiuis attendat sibi ac timeat, ne aliàs fiat populi plaga incurabilis, & cum S. dicas Ambrosio: *Quomodò possum corrigere filios, cùm fratres non possim?* Caues denique indignos prouehere, quasi iugiter mente versans responsum illud D. Petri ad Leonem Pontificē, virum aliàs Sanctitate & Prudentia clarissimum, tutelam eius exposcentem: *Deprecatus sum pro te Dominum, remisitque ille tibi peccata, vt solùm hoc à te expetendum, & à te postulandum superſit, quibus aduersus Apostolicam legem manum temerè imposueris.*

Dist. 21. c. 1.

Psal. 127.

In Increp. ad pop.

Baron. anno Christi 461. ex Sophronio.

Coronis est, atque adeò ipsa corona

REVE

REVERENDISSIMI & ILLVSTRISSIMI Iacobi auunculi tui meritum, quē sanguine, munere, vita, sequeris. Illius memoriam ob egregia in Rempublicam merita excipient omnes anni consequētes, & fatebitur semper Episcopatus iste tuus Basileensis, se ipsi debere plurima; Nos verò quotquot hîc degimus, omninò omnia. Huius maximi, atque immortalis Herois te ILLVSTRISSIME PRINCEPS VVILHELME, pignus habemus, in quo velut in effigie parentem illum nostrum, fautorem, fundatorē tueri, venerarique etiā nunc liceat. Aggredior hoc ipsum facere isto munusculo, quod qualecumque votis omnibus Celsitudini Tuæ dico, consecroque. Eam Deus Opt. Max. ita fortunet, vt hinc Satur vitæ, ac plenus meritis ad superos abeas, sed serò. Me, totúmque Collegium nostrum possum, submissè commendo.

Reuerendissimæ & Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Addictissimus in Christo seruus

Balthasar Chauassius, Societatis IESV.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGO IOANNES FORERIVS Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Generalis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque superiorum eius permissione imprimant: permitto IACOBO CARDON, & PETRO CAVELLAT, Lugdunensibus Bibliopolis, vt librum qui inscribitur: *De vera perfectaque Prudentia, seu de Perfecto Virtutum vsu, authore Balthazare Chauassio Societatis IESV Doctore Theologo*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possint. Datum Lugduni 27. Maij 1622.

I. FORERIVS.

Approbatio Theologorum.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos *Balthazaris Chauassij, è Societate IESV, libros quatuor, de Perfecta Prudentia, seu de Perfecto Virtutum vsu*, perlegisse, in quibus nihil fidei orthodoxæ, Catholicæ, atque Apostolicæ contrarium animaduersum. Lugduni 30. Iunij 1622.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.

DE VILLE.

INDEX

INDEX CAPITVM & §§. quæ toto in hoc opere continentur.

LIBRI PRIMI CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

* 5 ctamque

CAPVT IV.

CAPVT

CAPVT V.

De regulis Prudentiæ circa Fidem. 69.

CAPVT VI.

De præscriptis Prudentiæ circa Spem. 96.

CAPVT VII.

De Regulis Prudentiæ circa Charitatem erga Deum. 120.

CAPVT VIII.

De Prudentiæ regulis circa Charitatem fraternam. 136.

4. De

CAPVT IX.

CAPVT X.

2. *Quem*

CAPVT X.

LIBRI II. CAPVT I.

CAPVT II.

5. Circa

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT

CAPVT V.

De Ecclesiasticorum, déque aliorum munerum distributione. 295.

CAPVT VI.

Circa iuris administrationem consideratio vtilis. 312.

CAPVT VII.

De legiſlatorum Prudentia in ferendi legibus. 341

CAPVT VIII.

Quid de rebus in Bello obſeruandis ſacri, profanique auctores cenſuerint. 364.

CAPVT IX.

CAPVT X.

CAPVT XI.

Ad Reipublicæ, Magistratusque conseruationem quæ valde conferant. 420.

CAPVT XII.

De communi, déque speciali Prudentia reliquo

CAPVT XIII.

** 3 LIBRI

3. Quæ

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

5. *Quando*

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

CAPVT IX.

§. 1.

CAPVT X.

CAPVT XI.

LIBRI

LIBRI IV. CAPVT I.

Circa commutatiuam Iustitiam quid attendi velit Prudentia. 869

CAPVT II.

De præscriptis Prudentiæ circa Misericordiam. 906.

4. *Circa*

CAPVT III.

4. *Libe*

CAPVT IV.

CAPVT V.

4. A

CAPVT VI.

De præscriptis Prudentiæ circa Fidelitatem. 1024.

CAPVT VII.

Prudentiæ dictamina circa affabilitatem. 1038.

2. *De*

DE

DE VERA
PERFECTAQVE PRVDENTIA;
SEV DE PERFECTO VIRTVTVM VSV.
LIBER PRIMVS.
De natura, dignitate, officióque Prudentiæ.

CAPVT I.

§. 1. *Quid ſit Prudentia, quàm nobilis ac neceſſaria.*

2. *Quomodo dirigere poſſit Prudentia virtutes ſuperioris ordinis, ſiue Theologicas.*

3. *Operis totius partitio.*

§. 1. VERA perfectáque Prudentia, quam Græci φρόνησιν vocant, & de qua ſcribere aggredior, Virtus eſt moralis tanta maieſtate cæteris antecellens, *Prudentia quid.*

A cellens,

cellens, vt nobilissimam in ea magistram gnoscas, & quasi Apollinem Musarum cho præpositum. Meritò sane; cùm dirigat omn eo ipso, quo intellectus quem imbuit; vten iis volutati suggerit, quid in singularum ac suæ operatione obseruare; quid fugere de beat. Hinc illa eius definitio: *Prudentia e habitus intellectus, verâ cum ratione actiuus, circ ea quæ bona & mala homini sunt.* Vix opus pluri bus, vt quantæ dignitatis sit, assequare. Nihi mihi protuleris subiecto eius augustius; eadê inquam, facultate intellectus, quæ nos fecer nit à belluis; atque à Philosopho *diuinum quid* dicitur & *impassibile.* Quod ad obiectum circa quod versatur, bonum, vt dixi, & malum, est hominis proprium; vel si mauis, actio humana à libera profecta voluntate; quæ si rationi cõgruit, bona est, & viam parat ad summam veramque beatitatem. Et quoniam eiusmodi actiones (partim bonæ, ideóque prosequendæ; partim malæ, & ob id fugiendæ) à quibus nostra pendent omnia; meritò rebus annumerantur omnium grauissimis, fit vt nõ possit sapienti non esse magno loco Prudentia, quæ voluntati se ducem præbet ac facem, vt priores illas rectè exerceat, ab istis verò abstineat. Taceant itaque, qui ei pares facere non erubescunt artes Mechanicas, Medicinam, Iurisprudentiam, Syllogisticam, aut moralem ipsam Philosophiam. Non curant Mechanicæ, nec attendunt bona honesta, ac solida homini soli præstituta; sed corpori duntaxat

Arist. lib. 6. Ethic. c. 5.

Idem l. 1. de Anima. c. 3.

xat vtilia, ita vt peritior censeatur archite-ctus, qui opportuniorem humanis vsibus aut venustiorem domum ædificat: quæ quia secundùm quid tantùm bona sunt, fit, vt eiusmodi artifex non dicatur prudens simpliciter, sed prudens architectus. Qui autem per Prudentiam qua de agimus, rectæ rationis perpendiculo morales actiones suas conformat & accommodat (quæ secundùm Aristotelem summum bonum; secundùm veritatem verò, fidémque Christianam, ad illud sunt via) simpliciter Prudens suo iure nuncupatur. Mechanicas imitatur ars Medica, solùm intendit bonum corporis, vitæque prorogationem. Iurisprudentiæ non actio voluntaris, qua beati sumus & boni, proposita est; sed humani tantum iuris scientia bonis malisque communis, quam sæpè qui optimè callent, nequissimi sũt: cùm ex aduerso nemo hac Prudentia perfectè instructus non sit bonus. *Non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit*, (verba pono eiusdem Philosophi) *manifestum est*. Nimirum perfectè Prudens nequit esse, nisi valeat de agibilibus omnibus in genere moris rectè iudicare; quo iudicio cõstanter vti nequit, nisi subactis perturbationibus: non subiguntur autem nisi adminiculo cæterarum virtutum moralium. Simile quid de arte Syllogistica dictũ puta. Nec magnum videri potest, nec dignum quo quis bonus beatusque iudicetur, quòd medium terminum cum extremis duobus ita nouerit colligare, vt necessaria conclusio indè fluat, quæ- Arist. lib. 6. Eth. c. 11.

stionem continens. Hoc enim quid ad rho bum? quid ad mores pertinet? quid ad vit facit beatam? Ethica seu Moralis Philosoph vniuersim tantùm tradit, quæ virtutum si ac vitiorum: videns autem Prudentia action esse singularium, ad earum se demittit circur stantias; & quas in vnaquaque obseruare d ceat, speculatur ac docet; vt proindè vna inter & alteram ea sit differentia, quæ inte duos, quorum alter porrecta manu siue digit confusè duntaxat pediti ostendit mundi pla gam, versus quam tendat oportet, vt ad consti tutam ciuitatem perueniat; alter continuun se præbet viæ ducem, dubia omnia enubilai occurrentibus biuiis, triuiis, anfractibus: à quo propterea longè plus se accipere, quàm ab illo viator non inficiabitur. Iam si cum Iustitia, Fortitudine, Temperantia, & virtutibus id genus aliis Prudentiam conferamus, has vltrò consentiam Reginas esse inclytas, auro gemmisque collucentes, admodum item speciosas, colore roseo, gressus maiestate spectabiles, vt cuilibet acclamare Sapiens meritò

Cant. 4. & 7. possit: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* Et *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* Cæterùm omnes video captas oculis, ad nullam dirigere gratulatoria

Cant. 1. hæc verba possumus: *Oculi tui columbarum*. Magnus planè defectus, magnum detrimentum; quia videre magnum est ornamentum. Prudentia contrà oculatissima est, & quouis Argo perspicacior, eòque nomine anteit vniuersis,

uersis, & à Bione philosopho visui comparatur nobilissimo sensuum, totum hominem quantus est dirigenti, vt norit quò & quà gradiendum ne cespitet. A sancto autem Ambrosio vocatur *fons primus officij*; quia reuerà indè ducendum est exordium. A Platone ἐπιστήμη ποιητικὴ εὐδαιμονίας, id est, scientia fœlicitatis effectrix. Eandem tanti fecit Socrates apud Maximum Tyrium serm. 41. vt primam inter tria posuerit, quæ auditoribus suis præcipuè curanda tradebat, *Prudentiam in mente, in lingua silentium, in vultu verecundiam.* Quid Socratem aut alios nomino? Vult Deus ipse, ac iubet, vt in ædificatione Hierusalem extendatur perpendiculum super eam. Ædificatur spiritualiter Hierusalem, cum multa opera bona congregantur. Porrò quidam sine perpendiculo ædificant, quia proficere virtutibus cupientes nequaquam verâ regulâ adhibitâ, quæ lex Prudentiæ est, considerant quid rectum sit, quid obliquum; sed oculis vtentes pro perpendiculo, id est, solùm sequentes carnis iudicium, amplectuntur quasi rectum, quidquid concupiscentia suaserit; non secus ac mulieres (per quas procaces animæ significantur & leues) dicunt Ieremiæ: *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro.* Ne ita desipiamus, si auscultamus Deo, si errare nolumus; sed vbique ad Prudentiæ amussim recurramus, ipsis etiam artibus adeò necessa-

S. Ambros. lib. 1. de offic. c. 27.

Hagg. 2.

Hier. 44.

riani, vt sine ea nihil rectè fiat; quàm ideirc in Oratore valdè requirit. Quintilianus ai

Lib. 6. c. vlt. *Illud dicere satis habeo, nihil esse non modò in orai dò, sed in omni vita prius consilio, frustráque sine tradi artes cæteras, plusque sine doctrina Prudenti quàm sine Prudentia facere doctrinam.* Cùm pot rò cæteris omnibus, tùm etiam Principibu prodesse iste de Prudentia Tractatus poterit ob rationem quàm afferebat Demetrius Phalereus Ptolomęum Regem adhortans, vt libros de regno scriptos emeret ac legeret. *Nam*, inquiebat, *de quibus amici Reges admonere non audent, ea in libris scripta inueniuntur.* Verùm si

Bruta animátes Prudentiæ participes.

tanti pretij est Prudentia, dicat aliquis, quomodò natura brutas animantes fecit eius participes? Nihil magnum iure videri potest commune nobis cum bellnis, vt Didymo Alexandrino cæcitatem suam ægrè ferenti dicebat S. Antonius. Quod autem in iis quoque locum

Lib. 6. Eth. c. 7. Lib. 8. de hist. anim. c. 1

habeat, locuples testis est Aristoteles: *Bestias nonnullas prudentes esse inquiunt, quæcumque in vita traducenda prouidendi habere vim quandam videntur.* Ac rursus: *Vt in homine ars, prudentia, sapientia; sic nonnullis brutis inest vis quædam eiusmodi naturalis.* Hoc ipsum magis adhuc persuadent illa Christi verba Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Respondet idem Philosophus, seipsum interpretans, in brutis non tàm esse veram Prudentiam quam figuram vestigiumque Prudentię: *Sunt*

Ibid. *in pluribus cæterorum animalium*, inquit, *vestigia morum animi humani. Inest vrbanitas, feritas, clementia,*

mentia, acerbitas, fortitudo, ignauia, atque etiam Prudentiæ imago inest in multis. Nempè vera Prudentia supponit rationem, rationisque vsum, velut normam certissimam, cui vt voluntas suos conformet actus, & quomodò id facere debeat, ad autem ei dicere non desistit. Eadem ratione opitulante non solùm vir bonus agit benè, sed nouit sui etiam facti causam reddere. Bruta autem rationis sunt expertia; estò apud Plutarchum Gryllus nerubs intendat omnes, vt contrarium persuadeat. Et quia sunt, ignem imitantur, qui comburens nescit se cōburere, nec intelligit, an & cur sursum potiùs quàm deorsum, rectà non obliquè feratur. Sic, inquam; ignorant brutæ animantes suarum modos finésque operationum. Non cogitant hoc esse ad illud vtile vel necessarium, vel hoc propter illud faciendum. Nescit aranea ad quid prosit tela quam orditur, aut quo ordine sit in textura huiusmodi procedendum: nec apiculæ, cur tali forma struant fauos, aut quid indè commodi debeant expectare: Nec vllum tale animal, cur comedat, cur bibat, cur generet, cur alat sobolē, cur fugiat, cur se suáque defendat. Vna est diuina mens, vt orbi vniuerso, sic illis præsidens, omnium actiones gubernans, & omnia quamuis nescia in suos fines dirigens, vt tradit S. Th. 1. p. q. 59. a. 1. & 1. 2. q. 6. & q. 11. a. 2. *Sed non rationis.*

§. 2. Cùm mei sit consilij capite quinto libri huius, & duobus sequentibus ea complecti, quæ Prudentia in vsu trium virtutum

Theologicarum Fidei, Spei,& Charitatis vult obſeruari; diſſerendum prius, quî fieri poſſit, vt virtus ordinis inferioris virtutes dirigat ſuperioris. Reſpondeo, præter lumen rationis naturalis reperitur in fidelibus lumẽ Fidei ſupernaturalis, & ſicut intellectus priore illo corroboratus ſenſim diſcit, quid in indiuiduis humanis actibus ſit obſeruandum, vt tales exiſtant, quales oportet eſſe, totaque hæc rectè operandi peritia acquiſita eſt, & dicitur prudentia naturalis, multúmque augetur Auctorum lectione, præſertim ſacrorum; inſtitutione item ſeniorum, experimentis variis; ſic imbutus poſteriore ſenſim eruditur ac videt ſecundùm gradum fidei, & inditam ſibi ratiocinandi facultatem, qualiter ſe gerere homo debeat, quid habere præ oculis, vt ſupernaturales actus hîc & nunc quemadmodum decet, exerceat. Quæ operandi ſolertia eſto ſit etiam acquiſita, hoc nomine dici meretur Prudentia ſupernaturalis, quod ab habitu pendeat ſupernaturali. Eadem à lectione ſanctorum Patrum, atque ab Eccleſię moribus magna capit incrementa. Eſt & alia Prudentia propriè ſupernaturalis, comes Charitatis, & infuſa; de qua S. Thom. 2. 2. q. 47. art. 14. ſed hæc eò tantùm ſpectat, vt quod ex Prudentia & ſecundùm virtutem facimus, ad ſupernaturalem finem referamus.

Libri totius partitio. §. 3. Partiar opus hoc vniuerſum in libros quatuor; in quorum primo de Pruden-

tia

tia ſermo erit dirigente virtutes Theologicas & Religionis: In altero, de illa ipſa vt virtutum regula, quæ partim Principibus, Magiſtratibus, & Præpoſitis aliis conueniunt, partim ſubditorum ſunt propriæ: In tertio de eadem vt illas moderatur, quæ propriam priuatim cuiuſque perfectionem reſpiciunt: In poſtremo circa eam verſabimur, vt dirigendas virtutes ſuſcipit, quibus alij erga alios ritè afficimur. Cæterùm nec mirabitur, puto, Lector, nec vituperabit, quod pauculas quaſdam ſententias vel hiſtorias ſemel vel iterum protulerim: hoc ſiquidem factum eſt, partim ne eas cogeretur alibi laborioſè quærere; partim quia virtutes inter ſe connexæ ſunt, vt ſcribit Ariſtoteles, lib. 6. Ethic. c. 13. atque ita quædam in vnius dicta diſputatione, omninò reſumenda ſunt in diſputatione alterius.

De falſa Prudentia.

CAPVT II.

§. 1. *Falſa Prudentia quid ſit.*
2. *Quanto interuallo à vera ſeparetur, & quàm latè dominetur.*
3. *Deo & viris bonis quàm ſit inuiſa.*

§. I. QVEMADMODVM præter verum Deum, veram fœlicitatem, amicos veros, falſi quidam dij circumferuntur, com-

plures fucatæ fœlicitates, & amici specie 1
nius quamplurimi; sic præter germanam Pr
dentiam, non in orbe solum visitur, sed la
etiam regnat adulterina illa, quæ in sacris p
ginis Prudentia seu Sapientia carnis appell
tur. Etsicut falsi dij simpliciter dij nō sūt, Hic
2. *Et certè ipsi nō sunt dij*: emeritæ itē illæ fo
licitates non merentur hanc nomenclaturan
nec amici illi inanes & straminei digni h
bentur nomine amicorum: ita planè Pruder
tiæ carnis minimè quadrat sanctum hoc &
venerabile nomen. Quare potius appelletur
nobis, vt à S. Augustino, *apparens Prudentia
fallensque sui specie*, & qualis eius genius sit, dis
camus ex sequentibus.

Prudentia carnis.

S. Aug. l. 4. cont. Iulia. c. 3.

§. 2. Inuidere sibi mutuò dominatum, & im
placabilia exercere odia carnem & spiritum,
seu rectam rationem & concupiscentiam com-
munem nobis cum belluis, tradit Apostolus
Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus
autem aduersus carnem; hæc enim sibi inuicem ad-
uersantur.* Idem de Prudentia illius & Pru-
dentia istius iudicium; in alia atque alia scin-
duntur studia: minùs se inuicem ferunt quàm
Ismael & Isaac, aut quàm idolum Dagon &
arca fœderis. Sapientia spiritus honesta sibi
præstituit, rectam rationem interrogat &
sequitur, vim odit, dolum, ac perfidiam ad
æterna collimat bona; tota denique est in
opportunis ad ea mediis amplectendis. At
Prudentiæ carnis contraria omninò sunt
consilia, honestum non curat, sed vtile

Sapientia Spiritus, & carnis quàm dispares.

tantum;

tantum; illud saltem non nisi huius gratia prosequitur, finem vltimum collocat in iis quæ sensum oblectant, quibus vt perfruatur, accersit quamcumque potest vim, perfidiam, dolos, fraudes, simulationem & dissimulationem. Prostat exemplum luculentum in villico iniquitatis, qui Matth. 16. solerter quidem, nequiter tamen, & violatis iustitiæ, rationisque legibus, ad consulendum rebus suis de alieno lusit corio; iniustè dedit quæ sua non erant, vt quibus sic benefecerat, in necessitate haberet opitulatores. Imitantur hanc nequitiam, quotquot id tantum agunt, vt sint in terra beati, vt concupiscentiis suis satisfaciant, valeantque cum Salomone dicere, Eccles. 2. *Omnia quæ desiderarunt oculi mei, non negaui eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram, & hanc ratus sum partem meam:* Tales quippè ad improbas quasque artes modò improbis desideriis suis opportunas confugiunt, mentiuntur, adulantur, peierant, religionem veram eiurant, falsæ astipulantur, fidem non seruant, circumueniunt, bonum simulant quo carent, dissimulant vitium quo laborant, omnium se formis accommodant; rugiunt cum leonibus, hinniunt cum equis, vlulant cum lupis, boant cum bobus, ganniunt cum vulpibus. Hi, sunt de quibus ait Deus, Hier. 4. *Sapientes sunt vt faciant malum; benè autem facere nescierunt.* O si tibi liceret, bone Lector,

Solis

Solis instar circumire terram, & quæ in ea g runtur intueri, quàm exporrectum cerner huius Circes imperium, quàm multos Reg ac populos bibentes & ebrios de poculo ab minationis, quod offert vniuersis? Quot til mortales occurrerent, quibus eius dictamin totidem sunt oracula, quique ab eiusdem r gula tam parum volunt, quàm idem Sol ab or bita sua discedere? Multi de Ormutianorun Regibus, vt filiis suis ansam omnem ambiend paternum principatum, rebellandique submo uerent, excæcarunt, hodieque excæcant, dem pro vno, quem placuerit regno destinare, vt scribit Iarricus noster tom. 2. Thesauri rerum Indic. l. 2. c. 1. Qua immanitate non contenti complures Asiæ & Turcarum Imperatores, suos strangularunt, atque more hunc barbarum, quasi fundamẽtalem regni legem tenuerunt, à qua nefas esset recedere, magnam hanc interpretantes sapientiam. Ius in armis situm
Sap. 2. putarunt, tunc maximè se niti arbitrantes, cùm plurimum possent: *Opprimamus*, inquiebant, *pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ.* De Europa nostra quid dicam? Toti sunt in hac carnis Prudentia sectarij (atque vtinam non etiam ex orthodoxis aliqui,
Hos. 4. nec opus esset dicere: *Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda*) quod quidem perspicuè demonstrare, quò minùs posthac noceant, & ne calumniari me dicant, omninò erit operæ pretium. Cùm apud se constitutum haberent,

regnare,

regnare, & liberè genio indulgere, mox intulerunt nullis parcendum machinis, quibus repugnans eis Romana Ecclesia subrui, aut quati saltem posse videretur. In hunc finem ita ratiocinati sunt: Multum ei omninò apud populum detrahetur, si obtendamus nullo apud eã loco esse diuinas literas, quãdoquidem superaddit eis humanas traditiones velut insufficientibus. Hoc ergo dicamus, hoc publicemus; esto nos minimè lateat, ex eiusmodi traditionibus diuinas quasdam esse posse (vnde enim constat, verbum vt diuinum sit, scribi oportere?) alias autem non quomodocúmque humanas esse, sed Apostolicas, vt potè quarum post Apostolos nullus circumfertur, nec ostendi author potest. *Quod vniuersa tenet Ecclesia,* ait S. August. l. 2. cont. Donat. c. 7. l. 4. c. 24. l. 5. c. 23. *nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica authoritate traditum rectissimè creditur.* Ecquis præter Christum & beatos eius Apostolos vsum inuexit signi crucis, exorcismos paruulorum qui baptizantur, quadragesimale ieiunium, abstinentiam à carnibus tam in eo, quàm feria sexta, & sabbatho, Dominici diei tanquam festi celebritatem? Quis nescit ciuilem disciplinam præter leges abundare patriis moribus; non scriptis, sed receptis consuetudine vsuque longissimo, quorum vis nihilò minor est, quàm ipsarum legum: Sed tamẽ quia hæc calumnia ad nostrũ facit institutum, vulgi auribus, vt dictum est, insusurretur. ***Hæreticorũ axiomata.***

Dolus,

2. Æneid. —*Dolus, an virtus quis in hoste requirat?*

Rursus peremptoriam in nos sententi fert Romana Ecclesia, velut in hæretico lupos ouili Christi insidiantes; nec fieri p test, quin tales nos esse suspicentur omn vel etiam credant, quandiu subsistet eius a thoritas; sin contrà eò adducantur, vt ea putent errori obnoxiam, imò reipsa in err res varios incurrisse; facilè quoque sibi pe suadebunt, ab ea perperam de doctrina su deque nostra iudicatum: sic eneruabitur la illa in nos sententia. Hæc itaque commini scamur, & simul euoluamus superiorum æ tatum Concilia, decreta summorum Ponti ficum, opera sanctorum Patrum. Quæra mus vbique velut in scirpo nodum, depro mamus inde apparentes contradictiones, di cta notemus ambigua, quæ inflectere ad no strum possimus arbitrium, & malè intelle cta proferre in causæ nostræ patrocinium Nunquam ex ore nostro audiatur illud Apo stoli pro Ecclesia ineluctabile testimonium

1. Tim. 3. *Ecclesia Dei viui columna & firmamentum verita tis*; ita siquidem causam nostram iugularemus & iuxta illud conficerent statim auditores non potuisse censuram illam Romanę Eccle siæ æquitati non congruere & veritati. No minus præmamus silentio verba illa Deut. 17 *Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis qui indicabũt tibi iudicij veritatem, & facies quod cunqu*

cumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Nimis quippe confirmat authoritatem Ecclesiæ veteris, & Sacerdotum, & summi Iudicis seu Pontificis, à quo regebatur in causis seu controuersiis circa Dei legem emergentibus; & consequenter, ac multò magis auctoritatem Christianæ Ecclesiæ, & præpositi ei Pontificis, quorum Ecclesia & Iudex ille gessere typum. Dicamus potiùs, ad priuatum quemuis pertinere harum decisionem causarum, interpretationémque sacrarum literarum, ac de vero illarum sensu definitiuum iudicium, esto dicat S. Petrus: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* 2.Petr.1.

Ad hæc cùm sæpe ad aures nostras peruenerit, *concordia res paruas crescere, discordiâ etiam magnas interire & labi*, hanc seminemus inter Clericos eiusdem Romanæ Ecclesiæ, ab eius capite membra diuidamus. At primùm abnuamus Petrum fuisse à Christo prælatum Sociis, vel Iudicem constitutum controuersiarum; tametsi reuerà prælatus fuerit, quando ipsi ab eodem dictum est, Ioan. 10. *Pasce oues meas, pasce agnos meos:* & summus arbiter constitutus his verbis, *confirma fratres tuos.* Luc.22. Ita enim fiet, vt eius successori pares se iactent esse Clerici reliqui, & auscultare contemnant. Hoc si minimè succedit, contẽdamus

eundem

eundem B.Petrum nunquam venisse Rom:
nec ibi vixisse; minùs adhuc vitam cum m
te commutasse; inde námque sequi vide
tur, non posse Romanos Pontifices eius d
successores. Id quidem in dubium nunqu:
est reuocatum totis 1500. annis; quin poti
magna consensione creditum; verùm non i
circò à nobis non est in controuersiam add
cendum, quorum sapientia profitetur ex
mni ligno facere Mercurium. Si ne ita qu
dem assecuturi sumus quod volumus, pra
tendat nostrûm quilibet, non esse hodierno
Romanos Pontifices legitimos B. Petri suc
cessores propter doctrinæ corruptelam, quan
sensim collegerunt, sicut & morum. Non cre
dent nobis plurimi, vna ex parte responsur
doctrinæ corruptelam ibi esse non posse, vbi
columna est & firmamentum veritatis: ex altera constanter affirmaturi, malis quibusdam Clericis admixtos esse bonos quamplurimos, & collectiones istas irrisuri velut ineptissimas. Prauis est moribus, ergo successor non est legitimus. Prauis est moribus, ergo doctrinam non habet doctrinæ maiorum suorum consentientem; credent tamen fatui, ac leues corde. Quidquid sit de doctrina, inuehamur acerrimè in mores illos deprauatos, faciamus de muscis elephantos, ad omnes extendamus paucorum vitia, etiam festucas obseruemus in Clericorum oculis, & insectemur, vt ita Sancti videamur & diuino zelo præditi. Propter bonos nó excusemus malos,
sed

sed propter istos in inuidiam illos etiam pertrahamus. Propter triticum & semen bonum non parcamus zizaniis; sed in horum inuidiam illud quoque eradicemus, quidquid in oppositum præscribat paterfamiliâs. Ab eiusmodi Clero sic per nos resperso luto maledicentiæ, diuottium non ægrè populus faciet, malè de eo sentire incipiet, Sacramenta & verba Dei de manu & ore eius quasi de polluto nolet accipere.

His finibus non se contineat carnalis prüdentia nostra. Concitemus vbique bella & seditiones, cùm constet rebus perturbatis multùm nostras promoueri. Sic piscatores perturbant aquam, vt timore perculsi pisces in sagenas incurrant, ad quas non respiciunt. Etiam dormientes leonum more caudam agitemus, & occultè cudamus aliquam fabam malam nihil tale cogitantibus. Seligamus in diuinis literis promissiones, & quæcumque misericordiam spirant, nobisque applicemus; præterea-mus autem contraria & sileamus, quasi nihil ad nos pertinentia. Per dulces sermones, promissiones, benedictiones seducamus corda innocentium. Sint nobis complura dogmata accommodata carnis desideriis, quæ instillemus fatuorum auribus ad has solas cantilenas iubilantium. Prędicemus fidem ad salutem sufficere, nec Iacobum curemus Apostolum scribentem: *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Iac. 2. Vix bona opera calumniari incipiemus, eorumque meritis detrahere,

 cùm

cùm gregatim nobis adhærebunt otiosi homines, delicati & carnis mancipia; quin etiam in iis ægrè posthac sese exercebunt, qui videntur addictiores; vereri quippè incipient ne fortè in iis frustra desudent. Neminem porrò libenter operã perdere, & frustrà se fatigare, testantur verba ista Cypriani: *Operari tu putas rusticũ posse, si dixeris: agrum peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter instrue; sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. Vel si ei cui dominium est, vsum nauium suadeas & dicas; materiam de excellentibus syluis mercare frater, carinam praualidis & electis roboribus intexe clauo, funibus, velis; vt fabricetur atque armetur nauis operare: sed cum hac feceris, fructus de actibus eius & cursibus non videbis.* Rursus cum molliciei & ignauiæ nostræ molestissimum sit, frænare concupiscentiam, atque à voluptatibus abstinere, quid consilij vt indulgentes iis, videri nihilominus possimus inculpati? Impossibilia hæc omnia dicamus esse, nósque exemptos ab eorũ obligatione beneficio Christianæ libertatis. Addamus impelli quemuis à Deo ad homicidiũ, furtum, scortationem, & alia quæ perpetrat mala, nec attendamus ad illam Ecclesiastici sententiam: *Non dicas, ille me implanauit: non enim ei necessarij sunt homines impij.* Iucunda est nobis, & libidinosis quibúsque aliis vxorum commutatio; dicamus proinde, in plerisque casibus solui posse matrimonij vinculum

S. Cyprian. epist. 52.

Ecclesi. 15.

culum etiam consummati, quicumque demum sit verborum illorum sensus: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Vt tandem per omnia suscipiamus carnis patrocinium, & prolectemus, comprehendamúsque reti nostro quamplurimos, reponamus in album axiomatum nostrorum, nullius fidelis conscientiam obstringi posse humanis legibus, quamuis monentē audiamus Apostolum: *Necessitate subiecti estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Vociferemur ieiuniorum tempore vescendum indiscriminatim cibis omnibus, etiam carne & quibusque lacticiniis; laudabiliores esse qui coniugantur, quàm qui vitam viuunt cœlibem; licere pecuniam dare ad vsuram, quotiescumque auctarium siue interesse taxam non excedit magistratus; abstinendum à multitudine tum festorum tū ieiuniorum; in festis nulla prohiberi seruilia opera, modò sine arbitris fiant & scandalo. Tandem sicut Ariani, vt æternum Dei Filium deprimerent, in quem amore ac studio penè nullo ferebantur, impensè laudabant patrem, cum interim sua etiam laus, & par quidem filio deberetur; ita ad deprimendam dissuadendámque pœnitentiam, satisfactionem, & eiusmodi alia quæ fœtent nobis, & subulæ sunt in oculis nostris, efferamus maximis quibúsque laudibus Christi satisfactionem & merita, vt humanam nullius omninò esse pretij fatuis saltem persuadeamus.

Matth. 19.

Rom. 13.

§.3. Abominantur Deus & viri boni adulterinam hanc, fallacemque Prudentiam, in hac ipsa vita exitus admodum infœlices habere solitam. Confirmat quod dico Apostolus
1. Cor.3. & 1. Rom.8. *Sapientia huius mundi inimica est Deo.* Et, *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deũ: scriptum est enim, comprehendã sapientes in astutia eorũ.* Et, *Perdam sapientiam sapientũ, & prudentiã prudentium reprobabo.* Non hîc quidem punit Deus omnes huius reos nequitiæ; quia hæc vita propriè non institiæ tempus est, sed misericordiæ: interdum tamen animaduertit in aliquos, vt cæteri salubriter metuant, & nisi aliter posthac sapiant, similia expectẽt vel etiã
3.Reg.13. grauiora. Prouectus ad regnum decem tribuũ Ieroboam, promissionẽ à Deo acceperat, fore vt fœliciter constanterq; regnaret, si seriò eius leges custodiret; sed placuit homini sceleroso, ad illud constabilienddũ longè aliam inire viã, quã ei suggessit infœlix prudẽtia. Erexit idola, seu vitulos duos aureos intra ditionis suæ fines; in Bethel vnum, in Dan alterum; simúlquẽ fabricauit altaria, & Sacerdotes instituit, vt subiectam sibi plebem carere nolentem religionis exercitiis, apud se retineret; ob periculum quod suberat, ne si more solito Hierosolymam se conferret adorationis & sacrificij gratiâ (vbi regnabat Roboam, erátque augustissimum templum Salomonis, velut in metropoli regni Iuda) erga Roboam sensim afficeretur, à se verò deficeret. Sed quid vtilitatis indè retulit? Contabuit in primis manus

eius

eius erecta superbè & minaciter contra Prophetam, à quo tantum ei scelus exprobrabatur. Periit deindè familia eius funditùs: *Propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ.* Ibid. Abominabiles Iudæis fuerunt Samaritani, ídque eam ob causã inter alias, quòd consulendi sibi gratiâ modò Iudæos, modò Assyrios se esse profiterentur. Quando enim cum Iudæis agebatur fœliciter, Iudæos se dicebant esse, vt sub Alexandro Magno amico Iudæorum, teste Iosepho 11. Antiq. c. vlt. Assyrios autem, quando secus, vt sub Antiocho Epiphane Iudæos insectante, vt scribit idem Iosephus libro 12. Abimelech Gedeonis filius patre defuncto cogitauit vendicare sibi principatum, & præripere septuaginta suis fratribus, quibus quòd nati essent non ex cõcubinis, vt ille, sed vxoribus præcipuis, debebatur. Id vt assequeretur, insinuauit se callidè in gratiã conciuium suorum Sichimitarum; quin etiam impetrauit, vt ab iis Rex haberetur. Tum assumptis aliquot nebulonum manipulis fratres suos aggressus est, & super vno lapide occidit omnes, dempto minimo, cui nomen Ioathan, ab amicis abscondito. Verùm breui pòst exhorruerunt ciues ipsi tantam eius barbariem, & ab eo velut ab immani crudelitatis monstro recesserunt. Hoc primum. Audi iam vitæ reliquum: *Venit ad opidum* Iud. 9. *Thebes, quod circumdans obsidebat exercitus. Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad*

quam confugeratnt simul viri ac mulieres, & o nes principes ciuitatis clausâ firmissimè iam & super turris tectum stantes per propugnacu Accedénsque Abimelech iuxta turrim pugnab fortiter, & appropinquans ostio ignem suppon nitebatur. Et ecce vna mulier molæ fragmen i ciens illisit capiti Abimelech, & confregit cer brum eius. Qui vocauit citò armigerum suum, ait ad eum: Euagina gladium tuum & percu me, ne fortè dicatur, quod à fœmina interfectu sum: qui iussa perficiens interfecit eum. Credeba similiter feralis Adonibesech regni sui secu ritati egregiè consultum iri, si septuagint præcipuis suis satrapis manus pedésque am putaret, eósque sic deformatos cogeret sul mensa sua ore vsurpare ciborũ fragmenta, & reliquias quæ proiiciebantur. Enimuerò au thore Deo venit in Besech Iudas, nec ita mul tò pòst occupata ciuitate conquisitum quo que ipsum intercepit; & in eandem impulit calamitatem, qua ipse Dynastas illos miseros priùs affecerat. Vndè in eam coniectus dice-
Iud. 1. bat: *Septuaginta Reges amputatis manuum pedũque summitatibus sub mensa mea colligebant reliquias ciborum; sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* Conuicti Scribæ & Pharisæi manifestis Christi miraculis, ignorare non poterant verum esse Christum, ideóque admittendum; sed quia præsentiebant, fore, si admitteretur, vt more solito eminere, & plerísque temporalibus frui commodis desinerent, quæ aucupabantur vsu & prorogatio-
ne

ne Mosaicæ legis, quam in meliorem commutatum venerat; consilium inierunt intercipiendi eum dolo & occidendi, quod & fecerunt; sed ita vt experti sint quod scriptum est: *Non est sapientia, nõ est prudentia, non est consilium contra Dominum*, adierunt hoc ipso extremum exitium, luerunt Deo pœnas grauissimas immittenti in eos Romanum exercitum, quem vnicè reformidabant. Immersi sunt in mare malorum, & internetione deleti. *Quia temporale regnum spirituali prætulerunt*, inquit S. Augustinus, *vtrumque amiserunt.* Accedit Herodes, qui ne à suo excideret, eidem Christo struxit insidias, quem fama nuncupare iam cœperat Regem Iudæorum. Sed spe sua frustratus in miseram mortem desiit, cuius prodromæ fuerunt calamitates acerbissimæ, in quas prolapsus est statim post infanticidia, vt narrat Eusebius lib.1.c.8. Religione abusus est Absalon, vt patri regnum eriperet, dicens votum sibi esse in Hebron; quò vbi peruenit, magnum ex sequacibus suis conflauit exercitum. Eo fretus, & exultans ac si habuisset in manu victoriam, primo conflictu fusus fugatúsque est, à coma propria implicante se ramis quernis suspenditur, à Ioab autem insequente tribus telis configitur. Defuncto Lesco huius nominis primo Poloniæ Rege, statuerunt regni proceres, vt ille ei succederet, qui primus ex toto nobiliũ equitũ numero ad metam planissimo in loco positam perueniret.

Prou. 21.

S. August. tract. 49. in Ioan.

2. Reg. 18.

Cromm. lib. 2.

Figitur meta apud Prandicinum amnem ap
ta in planicie, ad septemtrionalem plaga
Gracouiæ. Illorum vnus, cui hoc idem nom
obtigerat, longè vaferrimus, nec quidqua
curans virtute an dolo Rex fieret, in stadij
bulo strauit clanculum, & occultauit hexag
na multa farrea seu stylos cæcos, quibus
quorum pedes currentium læderentur; atqu
ita vel omninò à cursu desisterent, vel assidu
cespitarent: Ipse autem obliquo cucurrit tra
mite, quem eiusmodi remoris & impedimen
tis vacuum sciebat esse, atque ita primus nul
lo negotio metā attigit. Munierat enim equ
sui calces soleis ferreis, ne offenderet, si fortè
cum impetu currens in stylum aliquem inci
disset; cum cæteri omnes de more illius tem
poris soleas non haberent. Attonitis vniuersis,
& iam victorem ac principem sibi diuinitùs
datum acclamantibus, odiosissima techna de
prehenditur, in suspicionem publicam venit
Lescus, à suspicione protrahitur in medium,
conuincitur, damnatur, in frusta concerbitur.
Huius damno sapiant omnes, & discant suis
in rebus nec vti fide mala, nec in consilium
adhibere carnis prudentiam, de qua sub me
retricis imagine intelligi rectè potest, quod
Prou.5. ait Salomon: *Fili mi, ne attendas fallaciæ mulie
ris: fauus enim distillans labia meretricis, & niti
dius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara
quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.
Pedes eius descendunt in mortem, & ad infe
ros gressus illius penetrant.*

Docu

Documenta quædam ad veram perfe-ctámque Prudentiam.

CAPVT III.

§. 1. CREATVRAM omnē à Deo creatore ſuo pendere, non modo vt ſit & conſeruetur; ſed etiam vt bene operetur, intelligi ex eo poteſt, quòd bona quæuis operatio de genere ſit rerum perfectarum; *omne autē datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* In infimo ordine huiuſmodi operationum ſunt naturales, quas niſi concurrente Deo non poſſe perfici, exemplo eſſe poteſt ignis Babylonicus, per ſe non valens quidquam damni afferre tribus pueris in fornacē cõiectis, nec more ſuo in eos agere & ſol obſcuratus in paſſione Domini, quia nec lumen ſuum, nec viſibiles eius ſpecies perfectè tunc diffundebat, vt antè conſueuerat, ſuſpendente Deo concurſum ſuum diffuſioni perfectæ neceſſarium: & denique turma illa ſatellitum, quæ cum ad

Creatura omnis à Deo creatore in quantū pendeat.

Iac. 1.

Dan. 3.

Luc. 23.

Christum venisset in horto intercipiendum, nec subsistere valuit, sed in terram corruit, nec antè surgere quam ei faceret ipse surgendi potestatem, vellétque motui huic esse auxilio. Iam si tam minutas actiones exerere sine Deo agentia creata nequeunt, multò certè minùs augustas & nobiles; cuiusmodi sunt virtutum opera, quæ dirigere spectat ad Prudentiam, quæ cùm sit vna de virtutibus, fit vt illa ipsa directio cæterarum Dei adminiculo indigeat. Ex hoc sequitur viri prudentis partes esse, ante omnia oculos in Deum attollere, & scire quod ipse sit, qui propriè ac præcipuè depellit mentis tenebras & lumen confert, vt norit homo quid vbique agendum sit, quid fugiendum. Vbi autem hoc persuasum habuerit, ad ipsum confugere luminis huius impetrandi gratia; quemadmodum salubriter monet S. Iacobus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo.* Et ante illum Tobias: *In mente habeto Deum omnibus diebus vitæ tuæ. Pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Et Psalm. 93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine.* Quocirca dicat cum Dauid. Psal.17. *Deus meus illumina tenebras meas.* Et inter Ethnicos Seneca lib. 5. epist. 41. *Ille dat consilia magnifica & recta.* Dicat cum Salomone: *Ego sum puer paruulus, ignorans egressum & introitum meum. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt iudicare possit & discernere inter bonum & malum.* Dicat cum Iosaphat Rege Iuda: *Cum ignore-*

Viri prudẽtis partes.

Iac. 1.

Tob.4.

3. Reg. 3.

2.Paral.20.

mus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Ab excuſationibus illis abſtineat; Inditum eſt mihi à natura lumẽ rationis patefacturum mihi ſatis verum operandi modum. Nõ ſupplicant Deo brutæ animantes, ſagaciter tamen operãtur, ita vt vix eas cõtingat aberrare. Sed neque homines plurimi, qui mirificè tamen à prudentia cõmendantur. Exiguũ eſt eiuſmodi lumen naturale, multíſque permixtũ tenebris occaſione peccati nouas ſemper inducentis,
ſicut dicit Scriptura: *Error & tenebræ concrea-* Eccleſ. 11.
ta ſunt. Ac rurſum: *dereliquit me virtus mea, &* Pſal. 37.
lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum: cúmque tã ſit exiguũ, intendi debet vt perfectè oſtendat bonũ, & lumine alio corroborari, quod quis præter Deũ largietur? Conſtanter operantur brutæ animantes quæ debent, & naturæ ſuæ conueniunt; eſto dirigi à Deo non petant, quia nõ ſunt ad petendum idoneæ, ob ídque reliquum fuit, vt à mente eius ſapientiſſima in operationibus dirigerentur. Homini autem ratione prædito facultas ineſt poſtulãdi, quã pati nõ debet ille otioſam, ſed vti ea diligẽter, cõſiderans quid dicat Spiri-
tus ſanctus, *petite & accipietis.* Cõfert interdũ Ioan. 16.
Deus nõ rogatus Prudentiã, vt ſic diuitias oſtendat ſuæ bonitatis, ſed viciſſim ſæpè non cõfert, & Prudẽtia illa quã preces nullæ præceſſerunt, humana tantũ ſolet eſſe, parum aut nihil faciens ad finem ſupernaturalem. Quia denique eorum preces facilè exaudit Deus,

à

à quibus piè colitur; ait enim Propheta Dauid: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*, ait vir prudens de hoc cultu valdè sollicitus, de quo infra latiùs cap. 9. Timebit præterea Deum, à quo directionis expectat lumen offendere: mirum quantum ad Prudentiam veram timor iste conferat, Iob. 28. *Timor Domini ipsa est Sapientia: & recedere à malo, intelligentia.*

Psal. 144.

Diuersorum actiones diuersæ.

§. 2. Actiones omnes agẽtium sunt, sed diuersæ debent esse diuersorũ; seipsum proinde norit oportet, virtutis cultor, vt conditioni suæ consentientes exerceat, ne si secus faciat, deterior sit atque infœlicior brutis & rebus inanimatis insistentibus operationi sibi propriæ, & à scopo vix aberrantibus sibi præstituto. Præterea multa præscripta & sententias in ore habuit vetus illa schola Philosophorum, sed nullam ista celebriorem γνῶθι σεαυτὸν, *cognosce teipsum.* Tanti eam fecit poëta Iuuenalis, vt affirmauerit è cælo descendisse. Et Plato quosdam sensisse refert, ideò illam inscriptam fuisse foribus templi Delphici, vt intelligeretur esse Dei admonitio ad intrãtes omniũ potissima. Alibi autẽ hæc habet, τὸ δὲ γιγνώσκειν ἑαυτὸν ὁμολογοῦμεν σωφροσύνην εἶ), id est, *seipsum verò cognoscere prudentiam esse concedimus. Et mox*, μὴ γιγνώσκοντες ἡμᾶς αὐτοὺς, μηδὲ σώφρονες ἔσοντες, hoc est, *non cognoscentes nosipsos, nec essemus prudentes.* Rationem affert; quia per Prudentiam intendimus curare nos; curare autem nemo potest, quod ignorat. Idem multum laborat,

Plato in Carm.

In Alcibiade.

laborat, vt palàm faciat quidnam illud sit, quod de se nosse vir prudens debet; cóque tandem refert omnia, vt quiuis sibi persuadeat, se non esse corpus, nec compositum ex anima & corpore; sed animam solam corpori dominantem, circa cuius proinde curam versari oportet sapientem, si seipsum curare desiderat. Verùm explosit doctrinam hanc Aristoteles cum turba reliqua Philosophorum; solâ, inquam, animâ constare hominis rationem negat, multóque magis fides Christiana. Potest ad eam refellendam Plato ipse sufficere; quippe hominem principatui passim comparat, in quo alius est qui regit, alij qui reguntur; constat autem non eos solùm qui reguntur, partem eius esse, verum etiam rectorē ipsum. Breuiùs itaque dicamus, ac solidiùs, in hoc sitam esse veram sui notitiam, quam habere expedit virum prudentem, vt intelligat non solùm cuius temperamenti sit quoad corpus; sed multò magis quoad animā quid possit, aut nō possit; ne quid supra vires audeat, ad quid sit vel non sit idoneus, ad quæ potissimùm vitia prauus, quàm adhuc procul à solidis virtutibus, quàm exigua luce præditus. In primis autem, *vt se factum credat ad Dei imaginem, cui quoad mores, conformare sese in omnibus debeat, prosequendo & amplectendo quod amat ille, refugiendo quod odit; & in hoc terrarum orbe positum, vt agnitum Deum suum honore debito afficiat, mandata eius custodiat, quidquid odit ille, caueat diligenter,* *summo*

summo bono in cœlis post hanc vitam fruiturus, si hæc fecerit : secus autem pœnas aditurus numquam desituras. Hæc cognitio scientia est Sanctorum, quam Salomon sedibus omnibus anteponit, & inuenire philosophi nunquam valuerunt; hæc sapientia, cuius laudibus idem se credit imparem, nec mirum cum illa doceat, quid ab homine requirit Deus, dicens:
Matth. 5. *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Facit iudiciũ, qui iudicat: iudicat auté homo vt par est, qui Deum agnoscit Dominum suum, ei se sentit obstrictum, mandata eius reuerenter suscipit, in se ea violantem pœnis vltrò susceptis animaduertit, ne secus puniatur æternis. Misericordiam diligit, qui libenter proximo suo propter Deum benefacit, solicitè cum Deo ambulat, qui vbique ei placere studet, semper metuens ne dicto factóque diuinam eius offendat maiestatem. Idem sibi volunt verba illa Ecclesf. 12. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Idipsum denique iudicat hominis constitutio; ratione siquidem præditus est, velut scintilla quadam diuinæ regulæ & sapientiæ. Quorsum verò, nisi vt secundùm illam operationes suas omnes moderetur? Et quia virtutis opera sunt, quæ à ratione præscribuntur velut hominis propria, Deóque grata; fit vt animum ad ea adiicere, viri sit prudentis, simúlque non affigi rebus sublunaribus

Iudicium quis faciat.

Quis misericordiam.

bus sensúmque oblectantibus communem nobis cum bestiis. Quippe eiusmodi rebus tam parum inest viri boni, vt post longam illatum experientiam & vsum exclamet Salomon: *Vanitas vanitatum,& omnia vanitas.* Et rursus: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.* Quocirca operibus illis virtutis vir prudens totus adhæreat; ac præcipuè saltem, vt hæc primaria eius cura, siue cogitatio sit, quasi luminare maius, quod præsit diei, hoc est, operibus lucis spiritualibus. Alia quæuis secunda sit,& præsit nocti seu negotiis temporalibus, vt debita seruetur vbique proportio. Sed neque in prioribus illis sic nihilominus summum bonum putet esse repositum. Hoc dicere cum Aristotele, in medio hærere est,quod ducit ad finem & verum bonum. Operari secundum virtutem, non exsatiat insitum nobis boni desiderium; proindéque non tã finis & beatitudo nostra est,quàm ad beatitudinem via. Docent id nõ obscurè illa Christi verba, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Sicut eiam ista Psalmi 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorũ in Sion* Quibus addimus ex S.Augustini 10. Ciu. 4. *Ad Deum dilectione tendimus, vt perueniendo quiescamus, ideò beati; quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum de cuius fine magna inter philosophos contentio est,nullũ est aliud quàm illi cohærere.* Scribit alibi: *Fecisti nos Domine ad te,& inquietũ est cor vostrũ, donec requiescat in te.*

Eccles. c.1. & 2.

Matth. 19.

Li.1. Conf. cap.1.

§.3. Ex tribus boni generibus honesto, vtili,

Boni genera tria.

vtili, iucundo, solum primum hominis est proprium, cæterorum capaces sunt pecudes. Imò cum duo circumferantur hominum genera, alij ingenui, & excelso magnóque animo præditi, ad cælum potiùs quàm ad terram obtutum dirigentes, vti faciendum admonet forma ipsa corporis, de qua Ouidius:

Lib. 1. Metam.

Pronáque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlúmque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Alij in terram defixi, adeò non quærentes nec sapientes quæ sursum sunt, vt ne quidem subodorentur: non nisi priores illos incendit honesti seu virtutis amor; posteriores humi repunt, & in rebus toti sunt ad corpus sensúmque pertinētibus. Vix inde se sinunt abstrahi, vix verbis quamuis seriis ad meliora studia conuertuntur. *Cùm ex affectu viuant*, inquit Aristoteles, *proprias voluptates, atque ea ex quibus illæ existunt, persequuntur, doloréfque oppositos fugiunt: Eius autem quod honestum, ac verè iucundum est, cùm id prorsus non degustarint, ne notionem quidem vllam habent. Eos igitur qui tales sunt, ad moderationem traducere quæ oratio possit?* Ex quo sanè perspicuum relinquitur, quo loco honestum, quantoque in pretio habendum sit. Sicut enim nobilissima theoremata Matheseos, non nisi ab acutis ingeniis comprehenduntur; & vicissim si comprehendi ab aliis nequeunt, argumento id est, esse nobilissima: Ita planè in morum materia, si quid probetur, quæratur, ametur à viris optimis,

Arist. lib. 10. Ethic. cap. 9.

mis, excelsóque animo præditis; à reliqua autem fæce negligatur; eximium quiddã esse, meritóque consectandum non abs re confeceris. Hinc tibi causa se aperiet, cur rei sint quicunque peccant. Bonum sibi aliquod præstituunt verum vel apparens; cùm tam parum fieri possit, vt malum amplectantur tanquam malum, quàm vt falsum admittant tanquam falsum; verũ quia bonum in quod feruntur, scitur non esse honestum, quale nefas est prætermittere seu postponere; sed vtile duntaxat aut iucundum, in culpam cadunt. Vocatur bonum honestum, quod honore dignum est, hoc est, summo præmio quod exhiberi ab hominibus potest, vt tradit Aristot. lib. 7. moral. ad Eudemum ca. 19. & post illum S. Thom. 2. 2. q. 145. art. 1. & quia secundum Deum eiusmodi est sola virtus virtutísque operatio, vtpotè profecta à recta ratione hominis propria, nobilissimáque regula rerum agendarum, fit vt honestum & virtus virtutísque operatio non differant. Quæ cum ita sint, ad prudentiam aspirans directricem reliquarum virtutum moralium, excelsam mentem gere, & gratulare tibi, quòd in materia versaturus sis, quæ alia non est quàm eiusmodi bonum. Quidquid recta ratio, quidquid æquitas, multò autem magis quidquid lex diuina præscripserit, cui humana omnis ratio subalternatur, id vnum tibi abactis contrariis amplectendum puta. Sicut patriam in qua natus es, & latifundia propria præfers alienis, & pallio tunicam

Bonum honestum.

propiorem; ita bonum honestum naturæ ac speciei tuę proprium, semper tibi magis cordi sit, quàm reliqua quæ non animo, sed corpori, hoc est, parti hominis inferiori, ac viliori blandiuntur & seruiunt. Hoc fecere Athenienses, non facient Christiani? Cùm dixisset Atheniensibus in concione Themistocles, deprehensum à se consilium, quod summoperè ad rem illorum facere videretur; id tamen eiusmodi esse, vt non expediret in publicum proferri; placuit populo vt Aristidi aperiretur: si illud probaret ipse, omnes approbaturos. Cum ergo Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare; sic enim fore vt Athenienses toti Græciæ dominarentur; prodiens ad populum Aristides dixit, *Re quam molitur Themistocles neque compendiosior alia est, neque iniquior:* seu, quod idem est, neque vtilior, neque inhonestior. Qua audita voce abhorrens ab omni quod inhonestum esset, populus vetuit ne super ea re in posterum verba faceret Themistocles.

Plut. in vita Aristid.

§. 4. Iuxta doctrinam Aristotelis lib. 7. Ethic. cap. 10. & S.Thom. 2.2. q.47. & 48. ad Prudentiam spectat rectè consiliari, iudicare, & præscribere, quod secundùm rectam rationem faciendum est, vt ad propositum finem bonum perueniatur. Non vbique consultatione opus dico, sed quando cogitatione sumus ancipiti, nec clarè cernimus quid sit opus facto: & tunc oportet magis minusve ingenij

Prudentiæ officia.

genij ac iudicij vires intendere, prout grauior res fuerit, vel minus grauis. Verùm quia multis sæpè imponit sui amor, & præsumptio, arbitrantibus clarè se intelligere, quid agere expediat, cùm reuera non intelligant, iuuerit in rebus quibusque momenti grauioris suspectum habere iudicium proprium, & meminisse eius quod scriptum est: *Ne innitaris prudentia tua*, non solum si filius sis familiâs, aut seruus, aut alterius conditionis subditus (imò talibus non expedit, nec licet consultare de rebus, in quibus habent parere necesse, & quarum dispositio illorum attingit præpositos, vt tradit Arist. 6. Eth. 8. & idem S. Thom. in dicta q. 49. art. 12.) sed etiam si non sis. Prou. 3.

Complures initio rati nihil inesse difficultatis negotio proposito, & ob id negligentes de eo inire consilium, inciderunt in grauissimas clades; & tunc senserunt consultandi necessitatem, sed serò. Præstat sanè esse Prometheum quàm Epimetheum. Fuerunt hi duo fratres, in eo discrepantes ab inuicem, quòd ille præmitteret rebus agendis consilium, iste postponeret. Rectè autem procedet consultatio; si valdè afficiaris erga bonum honestū, quia eius amor amorem excludet falsorum bonorum, quo mirè peruertitur & impeditur rectū de rebus iudicium. Si præterea precibus à Deo postules illustrari, ne errore circumueniaris. Si tertiò vti valens vno vel pluribus consiliariis, qui Deum timeant, te ament, & periti sint rei propositæ, id facias. Habet in

Consultatio rectè quomodò possit procedere.

more Deus ad erudiendum nos tam in spe[...]
latiuis, quàm in rebus agẽdis, aliena vti ope[...]
Vas ipsum electionis ad Ananiã remisit, à q[...]
Act. 9. instrueretur: *Ingredere ciuitatem*, inquit, *&*
dicetur tibi, quid te oporteat facere; cuius ca[...]
vna est, humilitatem vt nostram exerceat, [...]
1. Petr. 5. specialis promissa est gratia his verbis: *D[...]*
superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. H[...]
milem se probat, qui sapientiæ diffidens su[...]
in consilium aduocat alienam. Siue aute[...]
solus, quando inueniri non poterunt, si[...]
cum illis occurrentibus velis consultatione[...]
instituere (ne aliàs temerarius sis, & tam la[...]
de careas, etiam benè operans, quàm pict[...]
Plut. lib. de fortuna. ille, qui iracundè proiecta in os equi que[...]
pingebat, spongia diuersis tincta coloribu[...]
impressam reliquit spumam genuinam, qua[...]
repræsentare nulla arte valuerat) pone ti[...]
antè oculos præterita, quæ videlicet in simi[...]
casu expertus es ipse vel alij, quidnam cont[...]
gerit, quemnam res sortita sit exitum; ac si[...]
mul futura, quid expectari debeat, siue in ha[...]
vita, siue in altera: de qua Eccles. 11. *& sci[...]*
quod pro his omnibus adducet te Deus in iudi[...]
cium. si hoc vel illud fiat, & præsentem rerum
statum cum suis circumstantiis; ita sanè iudi-
cium formabitur, de re omnium aptissima ad
finem qui quæritur, obtinendum. Qua de-
prehensa statuendum erit hac vti via, & quo-
modò executioni mandari possit; & remoue-
ri obices, considerandum. Propositam diffi-
cultatem versa diligenter in vtramque par-
tem,

tem, libratis aliquoties rationibus, quæ suadere videbuntur hoc vel illud faciendum, & vicissim contrariis; ita ex mutuo quasi conflictu & comparatione prodet se tandem, quod erit consultius. Finge tibi animo, non tuam rem agi, sed alterius, fit siquidem nescio quo pacto, sinceriores vt sententias de rebus alienis depromamus, quàm de propriis. Quam etiam ob causam securiùs alios curant medici, quàm seipsos. Quanto tempore dubitabis licitumne sit quod in deliberationem adducis, vel illicitum; vide ne feceris propter culpam, quam faciendo contraheres exponens te scienter periculo agendi quod non licet; itaque affectum te probans, vt perpetraturus malum fueris, etiam manifestè cognitum. Quæ mentis dispositio indubiè grauissima est. *Quod non est ex fide*, inquit Apostolus, *peccatum est.* Vult dicere, peccare eum, qui non videt creditque probabiliter saltem id faciendum quod aggreditur. Da proinde operam, prius vt tibi constet, bonum esse quod agis vel indifferens. Si nihil certi per te vales statuere, partem elige tutiorem, sicut præscribunt iura, & quam amico suaderes, dicitóque in tui recessu cordis: Si manifestè scirem esse illicitam, ab ea mox abstinerem, reipsâque abstinebo, vbi primum interdictam didicero. Ita fiet, vt in multis culpam non contrahas, in quam incurreres.

Recta consultatio.

Rom. 14.

cap. ad audientiam, & cap. petitio de Homicidio.

Vbi porrò post sufficientem deliberationem quid sit facto opus didiceris, adhibe for-

titer operi manum, inuocato numinis aux
his verbis: *Actiones nostras quæsumus Dom*
aspirando preueni, & adiuuando prosequere
cuncta nostra oratio & operatio à te semper i
piat, & per te cœpta finiatur; oblata occasi
vtere, nulla te difficultas facile à cœpto
sterreat. Faciet te vt plurimum animi forti
do superiorem, Deóque propicio etiam I
danem transmittes & mare rubrum. Sola
impossibilia cogant resilire; est autem ali
impossibile, aliud difficile. Feruore simili
vtere calentis animi; quia vbi refrixerit, n
præstabis longo tempore, quod fecisses ex
guo. Interpolationes quasque lógiores susp
ctas habe, argumenta cum sint languentis
nimi & oscitantis. Currus dum in motu e
trahitur facilè & impellitur; vbi quiescer
cœperit, conatu opus habet non modico, v
motui restituatur. Nauis similiter quæ ian
ferri cœpit, leui flante aura cursum tene
quod si ad littus adhæserit, non sine ingent
labore iterum profundo committitur. Tãden
futurum crede, vt crescente opere conualesca
animus, eóque intendente sese remittatur o-
peris difficultas. Multi per ignauiam, rem nõ-
dum tentarunt ratam sibi & constitutam, cui
fortis animus iam dudum imposuisset fasti-
gium. In fabulam abiit Acesseus nauta mol-
lis, quòd semper in statione esset cum naui-
bus, atque vt suam excusaret desidiam, Lunas
omnes calumniaretur velut infaustas, aduer-
sásque nauigantibus.

§. 5.

§. 5. In consiliis & molitionibus tuis omnibus rectam intentionem habere stude, hoc est, legitimum tibi finem præstitue, quem conatus tui respiciant. Legitimus erit, si res sit honesta, seu rationi rectæ consentiens. *Virtutibus commune est aliquid facere libenter, & honesti causa.* lib.4. Eth. cap. 2. Verba sunt Aristotelis, qui licèt verum finem expresserit, quem assignare potest lumē naturale; superest tamen supernaturalis alius, & longè augustior, ad quem collineare debet Prudentia vna cum virtutibus quas dirigit, si rerum operationes numeris omnibus absolutas esse volumus, ac per eam tendere ad æternam salutem & fœlicitatem. Talis est Deus Christiana fide cognitus, mercedem retributurus æternam iis, qui bona quæ faciunt eius causa operantur. id est, quia eiusmodi opera ipsi placent vel ab ipso imperantur. Tam Deus quàm æterna hæc merces vltimus noster finis est; sed iste formalis, ille obiectiuus; iste minus spectandus, ille magis, ita vt nulla etiam mercede proposita vellemus benè & rectè agere propter ipsum, & cauere malum; quia prohibet illud ac detestatur. Hanc sanctam puramque mentem à sponsa quauis sua exigit, dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Cant. 8. Signaculum scopus est, cor pro intentione ponitur quæ à corde concipitur, vt sensus sit: Sim ego scopus & finis omnium intentionum & operationum tuarum. Profitetur vicissim anima sancta se ad nihil aliud collimasse. *Omnia poma*, inquit, *noua & vetera seruaui tibi*, Cant. 7.

id est, operata sum, & iam operor tui gra
quidquid boni operor. Opus bonum per
mum intelligit, quia si homo arbori, qui
arboris fructibus opera hominis bona cō
rentur? Ex his procliue est ratiocinari, n
gno in errore versari tria hominū genera. P
mum est eorum, qui bonum faciunt prop
finem inhonestum & malum, siue sit pecc
tum mortale, vt cum diues indigenti fœm
næ eleemosynam erogat, vt ad libidinandu
pelliciat: siue veniale, vt cum eandem larg
tur aucupandæ causa gloriæ apud homin
(exemplo isto vtor, quia si non vt plurimun
sæpè saltem inordinatus gloriæ huius appet
tus tantum est venialis.) Vsque eo namqu
nihil indè proficiunt, nullum sibi meritun
apud Deum reponunt, & dicuntur ab Aggæ
Agg. 1. Propheta *merces suas mittere in sacculum pertusum*, vt etiam rei fiant, & malè de eo mereantur, pœnas suo tempore luituri. Nam cum sit summum bonum nostrum, postulat iure suo, vt ad ipsum nostra omnia referamus supplicio digni ni fecerimus. Cum rursus bonorum operum nostrorum causa sit præcipua, ipsi consentiamus oportet; ipse autem propter semetipsum operatur vniuersa, vt ait Salomon, Prouerb. 16. Accedit peruersitas quam committit homo, quoties quod ex suo genere bonum est, ancillari facit malo; atque ad illud refert, & Deum eiusdem boni authorem trahit, quantum ex se est, in eiusdem mali finis consensionem. At nonne Romani
ad

ad gloriam sua pene omnia referebant? Et tamen non ideo nullam mercedem retulerunt, cum de iis & similibus pronunciet Christus ipse Matth. 6. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, & scribat S. August. lib. 5. de Ciuit. c. 15. *Quibus non erat daturus vitam æternam* (vtpote Idololatris) *si neque eis hanc terrenam gloriam excellentissimi imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.* Respondeo non omnem gloriam seu gloriæ appetitum vanum & malum esse; sed tunc solum quando ex malo gloria quæritur, aut ex bono indebita, vel maior quàm debetur, aut ad malum finem, aut non refertur ad Deum velut ad causam boni præcipuam, sed in ea quiescitur, ac si à Deo non penderet eius meritum. Quod reprehendens Apostolus dicebat: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Romani autem non semper ab eiusmodi iniqua & vana gloria velut à fine ad heroica opera sua facienda mouebantur, sed à bono alio, cuiusmodi sæpè erat tutela patriæ, iustitię administratio, perfidiæ castigatio, conseruatio sociorum. Ita fiebat vt eiusmodi opera essent bona moraliter, & vtcumque digna retributione aliqua, fuitque eiusmodi retributio gloria illa excellens, de qua loquitur in c. illo 15. S. Augustinus. Quod si huic rectæ intentioni finem illũ bonum respicienti, & operibus eiusmodi ex se bonis iamque perfectis superuenit 1.Cor.4.

postea vana quædam complacentia, & glo
indè captandæ cupiditas, mala in se fuit, sic t
men vt præiudicare iis non debuerit; iuxta i
ris regulam, *vtile per inutile non vitiatur.* Sec
quando in illis vanam gloriam sibi præstitu
bant, tunc dicere Christus potuisset: *Recepist
mercedem vestram*; quam scilicet intendebatis;
me autem nullam reportabitis, sed magis pu
niemini, quia proponendo vobis finem ma
lum, malè estis operati. Secundus ordo in
consultorum hominum aberrantium à rect
fine studiosarum actionum, illos complecti-
tur, qui per eas ad aliquod duntaxat tempo-
rale commodum peruenire quærunt. Tales in-
dubiè nimis abiecti sunt, viles, sordidi, iniusti
ac peruersi, vt qui res nobiliores dirigant seu
referant ad longè ignobiliores; & Deo per e-
iusmodi actiones non seruiant propter se, sed
propter hæc commoda, abiecturi illum & re-
pudiaturi, si ab iis conferendis abstineret, sicut
Psal. 48. scriptum est, *confitebitur tibi cum benefeceris ei*; ac
si diceret, non confitebitur, cum benefacere
S. Aug. desieris. Quocirca ingenium hoc relinque in-
Psal. 129. sulsis hominibus, ad terram inclinatis, & *quasi
apponentibus conditionem Christo*, ita loquitur S.
Aug. *vt si sint Christiani, habeant plenam domum
frumento, vino, & oleo, auro & argento. Nullus
eorum moriatur immaturus: si quis non habebat fi-
lios, accipiat; si vxorem non duxit, ducat. Non abor-
tiat non solum aliqua mulier in domo eius, sed nec
pecus. Non arescant cupæ eius, non grandinetur
vinea*

vinea eius;qua cum impetrare se non vident, à spe cadunt.

In tertio ordine seu genere sunt, qui vitiis & peccatis suis finem bonum assignant (exempli causa, furantur propter Deum, vel vt habeant, vndè alienæ inopiæ medeātur) abutentes verbis illis Apostolicis: *Siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1.Cor.10. Cùm tamen de bonis tantum operibus, deque indifferentibus loquatur B. Paulus. Absit enim à sapiente tanta dementia, vt prauum aliquid Dei causa agere in se recipiat, cum ei grata huiusmodi esse nequeant, nec in eius honorem cedere, sed in contemptum quæ vetat fieri. Indè illa Moysis exclamatio: *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro?* Exod.8. Implicabantur errore hoc insano ij de quibus Io.3. *Venit hora & iam est, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

§.6. Inter capitales prudentiæ hostes eminet singulariter Venus seu voluptas, procul idcircò fugienda. Lib.3. Eth. cap.11. Vidit hoc Aristoteles, cum scriberet: *Voluptates prudentia sunt impedimento, atque eo magis, quo magis qui oblectatur, vt in Venereorum voluptate contingit, in qua constitutus nemo intelligere quippiam potest.* Elucet veritatis huius in Salomone exemplum clarissimum, qui cum circa regni sui auspicia esset mortalium sapientissimus 3.Reg. 4. totus tunc desipuit, cùm in voluptates illas corpus immersit, & animū. *Cūque iam esset senex,* 3.Reg.11. inquit diuinus codex, *deprauatū est cor eius*

per

per mulieres, vt sequeretur Deos alienos. Ruit similiter à culmine prudentiæ Henricus VIII. Angliæ Rex eadem authore libidine. Nam cùm prius vti Principem decebat verè Christianum, erga sedem Apostolicam leges omnes obseruaret modestiæ; posterius autem à concupiscentia sua abstractus & illectus, vsque eò deperisset Annam Bolenam, vt eam Catharinæ vxori suæ legitimæ substitueret, factus est à se totus alius; atque vt sedi Apostolicæ, à qua redarguebatur, insultaret ac illuderet, non erubuit summum se profiteri in regno suo Pontificem, & pronunciare non alteri mortalium quàm sibi competere iurisdictionem in subditos seu temporalem seu spiritualem. Quod sanè tantum est, vt nisi Deum se faceret, vix vltra progredi valuerit eius amentia; & à cæteris omnibus Europæ, ne dicam orbis Principibus suscepta cum risu sit, & audita cũ indignatione tanta præsumptio. Huc pertinet nobilis illa Hieracis sententia in libro de Iustitia. *Vbi mens tanquam præstigiis sopita iacet, statim exurgere solet imprudentia, & comitem sibi vocare luxuriam. Quamobrem virtutem illam quæ ambo illa vitia repellit, σωφροσύνην, id est, temperantiam sapientes Græci vocauerunt, vt quasi sit σωτηρία φρονήσεως, hoc est, prudentiæ incolumitas.*

Hierax lib. de Iustitia.

§. 7. Sed neque prætermittendum videtur, affectum nimium erga res temporales, nimiamque earundẽ sollicitudinem, multùm incommodare prudentiæ. facit enim vt adeò non attendamus ad rectum operandi modum

secundum

ſecundum virtutem, vt ne de virtute quidem, de præſcriptis rationis, de ſalute noſtra, de Dei cultu ac tremendo iudicio, de præparato improbis Tartaro cogitemus (quæ tamen omnia partim præſentia, partim futura ad prudentiæ ſtateram in primis pertinent) ſed immerſi toti in res ſublunares id ſpectemus ſolùm, vt in hac vita benè ſit nobis, ac ſi parerga eſſent quæ de futuris commemorantur, eſſetque animæ & corpori communis interitus. Rectiſſimè proindè admonet nos pſalmus 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et ſuffocatur ſemen bonum à ſpinis, quæ temporalium curarum ſunt ſymbola. Sanè ſi tẽporalia tantummodò quæris, quantum ſunt tuæ ac tuorum vitæ, & ſtatui honeſtè conſeruando neceſſaria; & neque in iis, neque in vita ipſa mortali conquieſcis; ſed vtraque ad Dei cultum refers, atque ex animo viuere profiteris, vt illi ſeruias, & temporalibus operam dare vt viuas, nemo te condemnabit. Non erit tunc difficile; in iis modum ponere, quandoquidem ad dignum cultum Deo exhibendum, vſque eo neceſſe non eſt ſuperfluis multis abundare, & magnificè ac delicatè viuere, vt potius tam ea, quàm vſus illorum immodicus valdè illum remoretur, dum animum totum quantus eſt ſollicitat, & apud ſe quaſi captiuum retinet. Ad ſolum corporis bonum temporalia faciũt; ſtudioſæ autem actiones bona ſunt animi, diuerſa igitur obiecta conſtituunt, & cum diuerſa ſint, ad vtraque nemo poteſt perfectè

attendere,

attendere, sed quantum amoris ac sollicitud
nis prioribus illis tribuit, tantum his detra
hit. Plurimum à Deo temporalia discrepan
ideóque dum ista impensè curat homo ac di
ligit, à Dei dilectione deficit, & deficiend
ab eo non diligitur: & dum non diligitur
non perfunditur cœlesti lumine, quo in pri
mis indiget prudentia, vt detegat & circum
spiciat vniuersa; sed excæcatur per iustam
subtractionem eiusmodi luminis, & imponere
sibi sinitur. Imponit homo terrenus sibi, dum
beatus in terra, & bonis refertus quæ terra
procreat, se quoque post hanc vitam pari minimum sorte putat fruiturum. Enimuerò veniet tempus, quandò non minus deceptum se sentiet, quàm olim infœlix ille Seianus sub Tyberio consul tantæ authoritatis, vt Romæ absente illo ageret Imperatorem, auratóque in senatum curru veheretur. Sed quid? allatæ ad eum sunt ex improuiso literæ, quibus cum speraret dignitatem suam auctum iri tribunitia potestate, obtulit eas Senatui lætissimus. Summa autem erat, vt actutum deponeretur, in vincula coniiceretur, plecteretur capite, vnco traheretur, in Tyberim ageretur præceps propter occultam perfidiam in Imperatoriam maiestatem, quod & factum est. Hæc cum ita sint, moderare circa res perituras affectum tuum, ne te immodicus faciat imprudentem, & auertat te à Deo, fine tuo vero, & summo bono.

Dion. l. 58.

Virtu

Virtutes morales in voluntate sitæ quomodò acquirendæ.

CAPVT IV.

§. 1. QVoniam metuendum valdè est, ne si multa dicamus de modo virtutes dirigendi sitas in voluntate, quæ propriè Morales appellantur; nihil autem de modo adipiscendi, tam videamur inconsulti, quàm ij, qui in id incumbunt magno studio, vt equos in hypodromo peritè agitare norint, eos ante sibi comparádi curam negligunt, nec opportuna ad id ratione conantur vti, omninò insinuandum est, quam maximè viam in virtutibus adipiscendis tenere expediat, & supponendum insitos quidem nobis à natura quosdã virtutis igniculos, atque, vt loquitur Seneca l. 4. de benef. c. 17 *Virtutem in omniũ animos lumen quoddam suum præmittere*, (ad quod persuadendũ suffice

sufficere possunt lætitia & verecundia, quibus perfunduntur pueri, cũ honestè agunt, aut turpiter; & laudantur indè aut vituperantur) virtutem autẽ ipsam minimè. *Virtus*, inquit idem Philosophus, *non contingit animo nisi instituto & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto. Ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur.* Et sanè quotusquisque est, qui statim à principio magna cum propensione, & gaudio obeat virtutis opera? non gemat ac repugnet? non potest autem hæc lucta cohærere cum virtute vera atque perfecta; quia virtus siue sit facultas naturalis, siue habitus acquisitus, tribuit & secum vehit operandi facilitatem. Vndè Aristoteles lib. 4. Ethic. c. vltimo negat continentiam sumptam pro difficili cohibitione vehementis libidinis rationem habere perfectæ virtutis. Idẽ tradit S. Thom. 2. 2. q. 155. a. 1. Proderit hæc meditatio, vt nemo putet indormiendum, sed diu multumque enitendum, vt virtutem sine qua nascitur, sibi comparet. Ad quod primùm conferet instanter eam à Deo postulare, instigante nos ad eiusmodi postulata, & dicente: *Petite & accipietis.* ac rursus: *Si vos cum mali sitis nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petẽtibus se?* Spiritum bonum vocat donum omne cœleste, quo spiritus seu mens hominis euadit bona (sicut vir strenuus salus patriæ quandoque dicitur, quia salutem operatur) vel si mauis mentem hominis, quam collatæ virtutes bonam faciunt. Non est maior ratio, cur à Dei

Sen. lib. 14. epist. 9.

Matth. 7. Luc. 11.

Dei munificentia castitas pendeat quam reliquæ. Pendere autem castitatem agnouit his verbis Salomon: *Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* At fortè inquies, si Deus virtutem confert, non ergo exercitatione vsus acquiritur. Non sequitur, quia virtutem conferre dicitur moralem, minuendo tentationes cõcupiscentiæ, ne valdè magnam difficultatem voluntati creent operaturæ secundum rectam rationẽ, & operando comparaturæ sibi virtutis habitum; vel etiam adiuuando eandem voluntatem, vt difficultate quæ offert sese, euadat superior; hoc autem non excludit vsum illum & exercitationem. Sap. 9.

§. 2. Vult itaque in adeptione virtutum habere nos gratiæ & auxilij sui cooperatores, non inertes & ignauos. *Propter quod*, ait B. Paulus, *remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.* & infrà: *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Ac ne quis putaret negligi ab eo quod consulebat, alio in loco; *gratia eius*, inquit, *in me vacua non fuit.* Ad eiusmodi cooperationem spectat inter alia, vitare occasiones proximas vitiorum, quia in iis latent, vt ita loquar, vitia, indéque erumpunt nullo penè negotio. Ita fit, vt qui eiusmodi occasiones non refugit, sed amat, affectum erga vitia retineat, à virtutibus autem contrariis auertatur, & indignum se præbeat, cuius orationẽ eas sibi postulantis Deus exaudiat. Hebr. 12. 1.Cor.15.

diat. Hoc enim sensu scriptũ est Ioan. 9. *Pec-tores Deus non exaudit*, éstque affine quod a legimus; *Qui declinat aures suas, ne audia-gem, erit oratio eius execrabilis.* Accipiamus humilitare exemplum. Tenet te virtutis ius desiderium, ne ergo sit tibi cum super commercium, quando nulla excusat vel get grauis necessitas, quia si sit, citò inqui-bunt, & lædent te suo contagio, fiétque qu scriptum est: *Qui communicauerit superbo, duet superbiam*, quia videlicet communican probas, quod tibi vitium eius arrideat, & n nisi fictum fucatúmque sit tuum illud de derium, indignum proindè cui Deus faue Demus præterea cordi tibi esse castitate occasiones fuge libidinis, conuersatione cum libidinosis, aut cum fœminis form præstantibus, loca in quibus facile tibi po sunt occurrere, impudica spectacula. Fec hoc prudenter Antiochus Asiæ Rex hui nominis tertius. Nam cùm esset Ephesi, dicatam Deo formosissimam quandam fœ minam adamaret; alia ex parte attendere quantum dedecus sibi allaturus esset ince stuosus congressus, aliò se recepit, nec vn quam Ephesum rediit, ne tandem illectu specie illa fœminea scelus perpetraret, a quam iam satis pronus, citò præceps agi pos set occasione accedente: ac si apud se dixisse
S. Cypr. lib. de spectac. cum B. Cypriano: *Qui sponte corruit, quid fa-ciet, si fuerit impulsus?* Sicut concupiscentiam delectant vitia, ita occasiones vitiorum, quia affines

affines sunt vitiis, & quia delectant, efficaciter imaginationem seu phantasiam mouent ac retinent, nec animum circa eas occupatum facilè sinunt ad rectæ rationis præscripta attendere, & sese cõuertere, nec proinde ad modum agendi secundum virtutem. Cum autem omnibus vitandæ sunt occasiones huiusmodi, inter quas peccatur facilè, & per iteratos peccati actus non virtutis habitus, sed vitij contrahitur; tum iis præcipuè, quos iam contigerit in peccatum proruere, vt qui exploratam magis habendo quàm cæteri earum vim, & imbecillitatem propriam, debent simul esse cautiores, nec vnquam putare futurum aliàs, vt pœnitentiam veram agere videantur. Vnde non defuit ex Ethnicis qui diceret: *Gemmas & lapides, aurum & inutile, & summi materiam mali mittamus, scelerum si benè pœnitet.* Horat.

§. 3. Pars altera cooperationis est, viros frequentare excellenti virtute præditos, ac si fieri potest cum illis cohabitare, eo quod frequentatio nulla est cohabitatione maior. Vitando procul vitiosorum contubernium, ab impedimentis virtutis animum liberas, vt sit tabula rasa, sed non idcircò inscribenda ei virtute exornas: Adeundi ob id & frequentandi viri boni, qui dictis factísque suis ad rationis normam compositis, quasi stylo inscribant eá. Neque enim non poterunt, cum energiam quoque suam virtus habeat, fidémque faciat experientia penè quotidiana, non à malis solum vitia, sed à probis quoque virtutes trãsire

ad circumſtantes & familiares. Exemplum ſeu bonum ſeu malum adhortatio tacita eſt, quid agi debeat, & exſtimulatio, rarum rara, continuum continua; ita vt qui non imitatur, ſed reſiſtit ei, vim quandam ſuſtineat. Et quia nullum violentum poteſt eſſe perpetuum, fit tandem longo vſu & conſuetudine, vt ſuccumbet qui antè forſitan repugnabat, & in eandem veniat conſenſionem, cum iis quibus vtitur familiariter, præſertim ſi ſint longè eminentiores, eo quòd exempla talium commenſurantur ſuis auctoribus, magna ſunt, deſcendúntque altius ac potentius in clientum animos & ſubditorum. Quàm proteruus erat? quam procax? quot vitiis ſcatebat adoleſcés, qui Lycurgo Principi ſuo Laconum legiſlatori ſapientiſſimo oculum eruit? Et tamen cùm Lycurgus nobiliſſimo vtens vindictæ genere, illum ſibi dari & committi poſtulaſſet ad bonam reuocandum frugem, tantùm valuit verbis & moribus domeſticis, vt non ita multò pòſt nobiliſſimas in eum virtutes ſuas tranſtulerit abactis vitiis, atque in optimum ciuem conuerterit peſtem ciuitatis. Hinc natum ſalutare illud Senecæ conſilium: *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* & mox: *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O fœlicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt*

Lycurgi egregium factum.

Seneca lib. 1. epiſt. *Vir bonus eligendus ad imitandum.*

ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem; si hic videatur tibi nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium, elige eum cuius tibi placuit vita & oratio, & ipsius animum ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplum Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi erigant. Nisi ad regulam praua non corriges. Magis adhuc ista illustremus, vt fabricando fabri fimus, ita repetitis actionibus bonis virtus acquiritur. Porrò ad agendũ benè & secundum rationẽ duo maximè requiruntur; alterum vt rectè agendi modum nouerimus, alterum vt velimus & quasi cogamur rectè agere. Viri autem boni operando aspicientibus virtutum candidatis modum eiusmodi tacitè quidem, sed nihilominùs perfectè tradunt; sicut & Saltatores tyronibus suis veram saltandi rationem, quando præsentibus illis & aduertẽtibus, secundum artis præscripta corpus mouent & membra corporis: exemplo quoque suo iisdem candidatis quãdam imponunt sanctæ imitationis necessitatem, vtpotè risuri eos, imò vituperaturi, si non imitentur, sed perperam agant. Nam & mali hoc pacto sociis & contubernalibus suis efficaces auctores nequitiæ sunt, confundi ab iis & contemni metuentibus, si ab illa sibi temperent. De hoc argumento scribentem præstat audire Augustinum: *Præceps ibam tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, cum audiebam*

Duo requiri ad bene agendum.

S. Aug. l. 2. Conf c. 3. & 9.

diebam eos iactantes flagitia sua, & tanto glorian- tes magis, quantò magis turpes essent; & libebat malum facere, non tantùm libidine facti, sed etiam laudis. Et mox: *Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam, & vbi non supererat quo admisso aquarer perditis, fingebam me fecisse, qua non feceram, ne viderer abiectior, quò eram innocentior, & ne vilior haberer, quò eram castior.* Et rursus: *O nimis inimica amicitia, & seductio mentis inuestigabilis, cum dicitur: Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.*

Cæterùm ex hoc capite non omnes æquè laudandi sunt, & iter sibi ad virtutem parant; sed illi maximè omnium, qui cum pluribus bonis simul habitant, & sapientibus piísque subsunt, à quibus in omni vita gubernentur, vt contingit in domibus religiosis, vbi disciplina viget regularis. Quia sicut vnus homo tametsi bonus, quasi nullus homo est; ita si solus tibi adsit, haud multùm te permouebit, & rapere in admirationem sui reuerentiámque poterit, nisi tam insignis sit, vt multis æquiualeat. Sed neque adeò constabit tibi de operum sanctitate, quibus incumbentem aspicies, quorum approbatorem præter illum habiturus es neminem. Vbi autem multi sunt, multiplex simul locum habet actionum rectarum approbatio, & censura defectuum. Laudant omnes quod fit benè, vituperant quod malè. Vnius si oculos & aures effugeris agens perperam, in alium incurres. Inter tot arbitros ingenio sagaces, iudicio graues, perdiffi-

cile

cile est diu latere bonum & malum. Citò venit ad plurimorum notitiam, & suo libratur pondere. Ita vrgetur vndique, quisquis inter eos degit, & quasi adigitur ad complectendam virtutem, partim amore eius, cuius strenuos cultores omnes videt esse; partim censuræ, inuidiæ, & confusionis metu, quam non effugiet, si vsurpet mores contrarios. Tunc iure suo exclamauerit cum S. Augustino: *Fœlix necessitas, quæ cōpellit me ad meliora.* Imò cùm caro infirma, & malignus spiritus inuidens nobis salutem & perfectionem, sæpè suggerant impares esse vires humanas virtutum operibus; itaque multos vitiis suis affixos teneant. Fugat citò conuictus bonorum complurium, & ætate inæqualium cogitationem hanc perniciosam, hoc ipso quò demonstrat ad oculum, viros, & fœminas etiam ætate cōfectas, iuuenes item & virgines incumbere eiusmodi operibus, non patienter solùm, sed æquanimiter. In similibus curis & angustiis cum diceret S. Augustino adhuc iuueni violenta mali consuetudo: *Putasne sine istis poteris?* recreabat ille se consideratione multorum omnis generis, quos per gratiam Dei constabat posse. *Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorū dedit me eis.*

S. August. epist. 45.

S. Aug. l. 8. Conf. c. 11.

Quid in te stas & non stas? Proiice te in eum, noli metuere, non se subtrahet vt cadas. Cùm præterea vix vllus mortalium perfectas in se virtutes omnes habeat, ideóque nec dignus sit, cuius in vestigiis omnibus pedem ponas; nec talis, cuius ex moribus necessaria tibi omnia vitæ exempla accipias, frequentia bonorum euenire solet cótrarium. Obscura in vno virtus, illustris & clara est in altero. Ita licet tibi cum S. Antonio aliud atque aliud vitæ documentum ex hoc & illo capere, atque ex diuersis quasi floribus instar apum mella colligere, quibus virtutum fauum construas.

Viuere sub Prælati regimine, quantum.

Eandem fœlicem benè agendi necessitatem magis adhuc inducit & adiuuat; viuere sub prælati regimine. Quia boni quandiu non regunt, nec imperio promouent ad virtutem aspirantes, nec animaduersione vlla, vt dici solet, magistrali. Quamobrem illorum comparibus absolutè liberum pergit esse benè vel malè agere, remittere nuntium virtutibus vel operam dare. Quisquis autem sapientissimo prælato se subiicit, à quo dirigatur, ac illo ipso & aliis ei subalternis assiduè obseruatur, & monetur, cùm alicubi hæret dubius; recreatur, cùm agit fortiter; excitatur, cùm dormit; impellitur, cùm quiescit; punitur, cùm delinquit. Ita fit, vt velit nolit, cogatur abrumpere nequitiam, & maiores ac maiores in virtute progressus facere, quia vt velit nequiter viuere, non potest in tanta vigilantia & occasionum malorum exclusione.

Et

Et vt non operetur totum bonum, nec à se excludat omne malum quod potest; haud dubiè tamen longè plura facit bona, longè pauciora perpetrat mala, quàm faceret in seculo ac perpetraret: vndè si saluetur, maiorem in cœlo gloriam; si damnetur, multò minorem in inferno pœnam cæteris paribus inueniet sibi repositam.

§.4. Amore gloriæ incendi omnes; à dedecore autem & ignominia vehementer abhorrere manifestè docet M. Tullius, cum ait Tuscul. *Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia gloria.* Et in orat. pro Archia Poeta. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque gloria ducitur.* Manifestius adhuc experientia. Nempè excelsa hominis natura delectatur simili, vtroque in id fertur, quod sibi est analogum; honore autem & gloria inter res humanas nihil maius reperias, nihil melius excepta virtute: *Externorum bonorum maximum id esse statimus*, verba reddo Aristotelis, *quod diis attribuimus, quódque maximè appetunt, qui in dignitate constituti sunt, quod item præclarissimas res dari premium consueuit. At huiusmodi est honor, externorum enim bonorum maximum est.* Si itaque cõstet, vnicam viam ad honorem esse virtutem, ad ignominiam vitium; colliget sese animus, vim sibi afferens, nec quidquam volet prætermittere, quo illam possit attingere, istud autem à se repellere. Sic institutus & inflammatus plura sine dubio in hoc genere præstabit exiguo tempore, quàm aliàs diuturno. Ma-

Amore gloriæ intenditur animus, à dedecore abhorret.

Lib.4.Eth. c.4.

gna dignitas fuit regnum Israël, & cumulus quidam honoris ac gloriæ, cui porrò authore Deo obtigit? Non alteri quàm modestissimo & magna virtute prædito Saul primùm, deinde Dauid; vndè ad illum Dominus: *Cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in regẽ super Israel.* Ad istum: *Inueni Dauid seruum meum*, (ecce excultum virtutibus) *oleo sancto meo vnxi eum.* Et infrà: *Primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ.* Et iterum: *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.*

Duo tantũ Reges Israel authore Deo.

1.Reg.15.

Psal.88.

Inter humana quæ deflet mala Ecclesiastes, expressit diligenter errorem Principum, stultis seu vitiosis honores, & dignitates decernentium, debitas solis viris probis. *Est malũ aliud, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis, stultum positum in dignitate sublimi.* Recensitis virtutum gradibus gloriam solam veram & æternam, quasi eius terminum siue mercedem propriam Dauid expressit, dicens Psal.83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* A Romanis templa Honoris & Virtutis sic constructa legimus, vt sibi mutuò cohærerent, nec vllus ad illud nisi per istud pateret aditus; vt nemo non intelligeret, quod iam dicebamus, deberi honorem velut præmium virtuti soli. Iidem humanæ existimationis & gloriæ rametsi vmbratilis cupidissimi Romani, quæ pericula non adierunt? Quæ bella non gesserunt pro patria, rati in iis consistere veram summamque fortitudinem,

Eccles.16.

tudinem, vt per hanc virtutem ad expetitum honorem illum viam sibi facerent? Cuinam triumphandi ius concessum decreto publico, nisi qui clarissimum eius specimen præbuisset reportata victoria? Idem de Græcis iudicium, qui vt ad honores apud Olympia constituros peruenirent, vires omnes animi corporisque intendebant. Non sinebantur deligere sibi aduersarios, sed vt scribit Plutarchus: *Apud Olympia victori nemini esse licuit vnquam, vt non cum primo quoque prodeunte committeretur, nullo arbitrio permisso eligendi secum congressuri.* Plut. lib. de Tranquill. Horum itaque omnium exemplo nucem frangat qui quærit nucleum, faciat quæ virtutis sunt, vt ad gloriam perueniat siue humanam, siue æternam illam & immarcessibilem: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* 2. Tim. 2. Nullam hic sibi prærogatiuam fingat ac spondeat, quasi aliis quidem non decernatur gloria, nisi virtutem colentibus; sibi autē decreta sit otianti aut vicioso. Sed neque dicat: Sufficit mihi antecessorum gloria, quam sibi pepererunt; in me autem deriuarunt; quia parum omninò est ab aliis parta accepisse, nisi conseruentur; non conseruantur autem, nisi similibus studiis & laboribus. Quocirca dictum sibi putet à maiorum suorum quolibet:

Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem.

Imò pertimescat, ne tatò maior in se appareat vitij turpitudo, quantò virtus fuit in illis illustrior, & per eiusmodi virtutē quasi iuxta se positam Virg. 12. Æn.

positam sit conspectior. Pertimescebat inter alios Themistocles dicere solitus, excitari se à sõno trophæis Miltiadis,cui successerat; quasi diceret; Cùm eius præclara facta mecum ipse reputo, non parum sollicitor, ne tantam gloriam, quantam adeptus est,& mihi quasi commendauit, degenerando obscurem atque imminuam.

Virtutis studium, & vitij odium quomodo excitanda.

§. 5. Ex alio item capite excitare quiuis in se potest odium vitij,studium virtutis; si illud in se turpissimum, hanc contra pulcherrimam esse sibi persuadeat. Nam si pergrata est forma corporis, & mirè ad se allicit intuentes; tantò vtique gratior erit forma animi, retumque ad eius ornatum pertinentium, si modò in luce versetur, quantò corpore præstat animus, & quæ immortalia sunt caducis ac mortalibus. Pulchritudinis magnę argumentum credimus, si ad personam cui inest, eorum etiam conuertat oculos, à quibus non diligitur; si facit vt præsentia eius delectentur, vt æmulentur speciem, quà formosi quoque appareant, vt illam denique commendent ac suspiciant. Sic autem frequenter, si non semper, affici nefarios homines ergà virtute præditos, exemplo sunt Herodes ille incestuosus,& Hypochritæ, & Rex Saul. Herodes erga S. Ioannem Baptistam adeò propensa erat voluntate ob vitæ integritatem; licet haberet illum incestus sui cẽsorem grauissimum, vt multùm hominem reuereretur, & libenter audiret, eòque audito multa faceret, sciens eum virum iustum, & sanctum.

Marc. 6.

sanctum. De asino Cumano legimus, quòd se repertà leonis pelle amiciuerit, vt cum nec fortis esset nec generosus, tali saltem amictu esse videretur. Idem faciunt hypocritæ, sibi conscij, quòd nihil in se habeant vera laude dignum & gloria. Externam quandam virtututis assumunt speciem, cuius veritatem fugiunt & abominantur, sicut dicit Apostolus: *Speciem quidem habentes pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Assentatores sunt, impij proditores, impudici, gloriæ cupidi, quærentes quæ sua sunt, &c. Videbis eos nihilominus mentiri amicitiam, religionem, fidelitatem, castitatem, honoris fugam, vtilitatis publicæ studiũ, cuius prætextu conuertunt in priuata sua cõmoda quidquid possunt. Ita probant quod seipsos erubescant, & vitiorum suorum deformitatem exhorreant; virtutem verò suspiciant, cuius vmbræ tantum tribuunt, vt eà tegi & excusari deformitatem illam posse credant. Expertus Saul se vita donatum à Dauid, à quo vita spoliari nullo negotio poterat, & de quo erat pessimè meritus, continere se non potuit quin virtutem eius ad miraculum vsque prædicaret, ac diceret: *Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Virtutis pulchritudini opposita est vitij turpitudo, quia contrariorum contrarij sunt effectus & qualitates. Quantum illa placet ei qui nondum valdè corruptus sit, tantum istud displicet. Gratus est, qui exempli causa, probitatem, genus, opes, doctrinam, ingenium suum silen

2. Tim. 3.

1. Reg. 24.

Virtutis & vitij oppositio.

silentio premit; laudatus accepta Deo fert omnia, laudes illas extenuat, contemnit neminem. Qui sincerè agit & loquitur, neminem circũuenit, nec aliud corde quàm more gerit. Qui proximorum suorum occultat lapsus, vel excusat. Qui continentissimus est, & seuerè sibi lasciuis gestibus verbisquè interdicit. Qui grata memoria recolit acceptum obsequium. Qui vrbanum ac mitem se præbet omnibus. Vehementer contrà offendimur oppositis moribus, hoc est, si quos videamus sibi placentes, se circumspicientes, impensè iactantes sua, aut supra verum attollentes, vel perfricta fronte mentientes, detrahentes melioribus se, struentes innocenti calumniam, vel creantes semper alicui pericula dolis & fraudibus. Qui præterea velut equi & muli toti sint in libidinibus. Qui nec rependant beneficiũ, nec velint perceptum agnoscere. Qui vel parũ offensi bacchantur, perstrepunt, excandescunt, dæmones omnes è tartaro in vltionem euocant, &c. Sicut ergo ad concipiendum ardens acquirendæ virtutis desiderium, operæ pretium est præ oculis habere admirabilem illam eius pulchritudinem; ita planè ad detestationem vitij concipiendam multùm iuuerit meditari sæpiùs quàm sit in se turpe, quàm ingratum aspicientibus: moxquè apud se statuere; *Absit vt quod in aliis reprehendo ac rideo, in me, recipiam.*

Laconum astus in ebrietatem.

Hac arte adolescentes suos deterrebant ab ebrietate Lacedæmonij. Ebrium in medio cõstituebant, cuius pudendas ineptias, ingenua ætas

ætas illa vix incipiebat aſpicere, quando mori priùs ſe velle profitebatur, quàm ita deſipere.

§.6. Indicaturus Ezechias Rex Iſaiæ Prophetæ aliquid valdè luctuoſum, miſit ad eum qui dicerent: *Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc; quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Senſus eſt; obſeſſi ab Aſſyriis diriſſima quæque intentantibus, in tantis verſamur anguſtiis, vt meritò videri ſimiles poſſimus prægnantibus non valentibus fœtum quem vtero geſtant, in lucem edere. Idem pleriſque euenit poſt conceptum adipiſcendæ virtutis deſiderium; eo contenti tergiuerſantur ſemper ingenti difficultate, quam ſibi fingunt territi, nec admouent operi manum; eoſque ipſo pudet illos ſuæ ignauiæ, pudet vitiorum ſuorum, quæ ſe expugnaturos ambitiosè iactauerant, ab iis interim pergunt ſubiugari. Perparum eſt, imò ridiculum, inire de capeſcendis quæ recta ſunt, conſilium, ſi nullum ſequatur opus; & deſideria bona concipere, quæ non ſint efficacia. Ridetur piger, de quo Prou. 13. *vult & non vult piger.* Vult inefficaciter, non vult efficaciter; ſed indolem imitatur felium, qui libenter piſces comederent, quos intra vias aquæ aſpiciunt; ſed immittere in aquam pedes nolunt. Ridetur quoque Struthio, quòd pennas habeat ſimiles pennis accipitris; ſed otioſas, ſic illas agitans quaſi volatura,

Iſai.37.

Iob.13.

vt

vt tamen semper in terra hæreat: accipiter cõtrà non explicat suas modò, sed in altum sese surrigit, ferturque per aëra motu celerrimo. Ita nos agere oportet ad virtutem aspirantes, inferenda nobis vis aliqua, si eam nostram facere, si bonis eius gaudere volumus. Neque enim vnquam timidi statuêre trophæum. Corrigenda simul suspicio illa difficultatis iusta maior. Quo enim iure adeò difficile creditur, quod à compluribus aliis fieri cernimus vestitis more nostro, carne & ossibus, quin etiam sæpè imbecellioribus ob ætatem aut sexum infirmiorem? Fortiter itaque in virtutis opus incumbamus, ne patiamur de nobis iactari per ludibrium: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Haud dubiè minor vt plurimùm labor est, quàm suspicamur, & qualiscumque aut quantùscumque sit, citò amore superatur, quia non est amanti quidquam difficile. Eandem progressio in eiusmodi opere, quo maior fuerit per proportionem, imminuit, sicut eques per aquã iter faciens concretam frigore; eò facilius frangit glaciem, & iter illud peragit, quò procedit longiùs. Addat aggredienti tibi animum hoc simile, insonetque auribus tuis, quod dici solet:

Psal. 52.

Debile principium melior fortuna sequetur.

Teipsum inspice; multa longè operosiora tentas & facis causâ corporis, quàm quæ sunt ad virtutem acquirendam necessaria; nec tamen despondes animum, non reuocas pedem, non suspendis manum; nec ea vocas viribus tuis

tuis superiora. Si corpus tibi sit exuberans perniciosis humoribus, confugis ex præscripto medicorum ad diætam rigidissimam, per quam vix quidquam comedere licet aut bibere: Si curandum ex lethali vulnere, aut oblectãdum deliciis,& præsentis vitæ cõmodis, pecuniis nullis parcitur: Si amplificanda res familiaris, nihil intentatū relinquitur, quò locupletari posse videatur; nullum refugitur periculū,ne maris quidē morti finitimū,labor nullus recusatur,nō militaris, nō rusticanus, non mercenarius: Si idem recreandū deliciis & voluptatibus, quid non agis,quò te non vertis?quæ noctis incommoda,quas vigilias? quos metus non sustines, vt ad illas peruenias? Vt autem præclara illa animi ornamenta,abstinētiam, sobrietatem, misericordiam in pauperes & castitatem tibi acquiras; nullo tanto ieiunio, sumptu, atque conatu est opus. Apage itaque excusationes futiles.

§. 7. In hac Virtutum negotiatione & cultura, si nonnulla obseruaueris quæ paucis complectar, rectè omninò feceris. Primò da operã, vt quodnam de duobus malis siue extremis, inter quæ sita est virtus, deterius sit, aut tibi familiarius intelligas, illudque præ alio fuge. Aristotelis est hoc consilium omninò salutare: *Quocirca oportet eum qui medium coniectare vult, primùm à magis contrario recedere: Ex extremis enim alterum magis, alterum minus peccabile est.* Et mox, *minima ex malis sumenda sunt.* Et infra: *Spectandum verò est,*

Consilia ad Virtutem cōducentia.

Arist. lib. 2. Ethic. c. vlt.

 ad

ad quæ nos procliuiores simus, atque in contrarium nos ipsos abstrahendum. Secundò, vt ad mediocritatem, seu medium, in quo virtus iacet, peruenias, non quomodocumque extremum illud perniciosius, vel tibi connaturale abiice; sed ita vt tendas in contrarium; sic tandem fiet, vt in optato medio conquiescas. Probatur præscriptionis huius veritas exemplo aptissimo, quo idem Philosophus ibidem vtitur: *Id quod qui ligna distorta dirigunt, facere consueuerunt.* Nam reuerà distortæ virgulæ vt dirigantur, in partem flectuntur contrariam, quousque ab omni obliquitate ad rectitudinem transferantur. Sed fortè dicis;

Extremum vtrumque inter mala.

Vtrumque extremum inter mala ponitur; si ergo declinandum est ad alterum, vt tandem medio insistatur: ergo faciendum est malum, & ad illud declinandum; quod nemo dixerit. Deinde natura subitas & magnas abhorret mutationes: magna autem & intollerabilis est, statim ab extremo vno transire ad aliud. Vnde S. August. modum tradens dediscendi ebrietatem hoc non præscribit, sed pedetentim solum vult ab ebrietate recedi: *Vt nec ardorem nimium patiatur, & de tam graui morbo liberetur, per interualla dierum aliquid de nimietate potus sibi subtrahat, quousque ad rationabilē bibendi consuetudinem redeat.* Respondeo, transeundum esse ad extremū aliud, nō procedendo vltrà, sed citra medium; atque ita non esse omninò parem distorti ligni rationem; quandoquidem inflectitur verè vltrà rectitudinem,

S. August. serm. 231.

dinē,& in partē oppositā vt dirigatur. Dici etiā nihil vetat,mediū virtutū nō consistere in indiuisibili,sed quādā habere latitudinē,sicut & rerū pretia,& solē in Zodiaco; nec prohiberi virtutis amatorē,quin vt recedere discat ab extremo vno,ita tēdat in oppositum vltrà pręcisū mediū huius latitudinis,vt nihilominus totā non transiliat; quandoquidē id si faceret, eo ipso delinqueret. Tertiò, extirpanda prius sunt vitia grauiora, vel ad quæ magis propendemus, vel quæ proximo maiorem præbent offensionem; & comparandæ virtutes contrariæ. Nam & solertes medici nobilioribus membris, & grauioribus morbis ex arte curandis primò dant operam. Documēti huius authorem Plutarchum inuenies in Politicis,vbi sic scribit: *Quod si tibi non tam facile fortè fuerit vniuersa omninò, si quæ sunt animi extergere vitia, penitúsque emaculare; illa certè timè tollenda minuendáue sunt, quæ apparent maximè, primóque conspectu occurrunt.* Idque vt à Themistocle obseruatum commemorat: *Auditui & memoriæ proditum est, Themistoclem vt animum ad Rempublicam capessendam appulit, cōpotationibus, comessationibúsque primùm abstinuisse; secundo loco vigiliis se solicitū & sobrietati dedisse.* Quartò, vide ne idcirco parua contēpseris,contēpta siquidē euadunt tandē magna ac pene immedicabilia. Hoc te docebunt sacræ literæ.Ecclef.19. *qui spernit modica, paulatim decidet.* Hoc sancti Patres, & Philosophi, quorum princeps, *Modicus error in principio,* inquit,

3. *Vitia grauiora prius extirpanda: virtutes contraria comparāda.*

4. *Parua vitia non cōtemnenda.* Arist.lib. 1. Phys.text. 10.

inquit, *magnus est in fine*. Hoc Medici, apud quos illud vulgatissimum:

——serò medicina paratur
Cùm mala per longas inualuere moras.

Hoc poëtæ, quorum vnus per allegoriam dixisse legitur:

Ouid. lib. 1. de remed. amo.

Quæ præbet latas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primùm tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Hoc analogia rerum naturalium. Quàm magnus circa Hellespontū Danubius ex paruo eius fonte ad syluam Hercyniam? Quantum sæpè ex scintilla neglecta incendium? Gangrenæ etiam leuissimæ tam potens est virus, vt ni citò curetur, omninò præcidi membrum oporteat. Hoc denique ratio naturalis, quòd homo negligens malum modicum, non illud exhorreat; dum autem non exhorret, intrepidè vnum addit alteri, & quotidiè ampliores in eo progressus facit, fitque accessione multiplici, vt ne graue quidem & mortale metuendum valdè videatur, in quod etiam proinde labitur, adeóque non acquiritur virtus contraria, vt si iam adepta erat, planè destruatur. Ita impletur quod scri-

Iob. 14.

ptum est, *Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur*: & meritò præceptum intelligitur Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* At nonne sæpè auditur à Medicis; *Modicum non nocet*; & à Iurisperitis, *De minimis non curat prætor*: & *modicum*

modicum pro nullo reputatur, & in l. si quis §. fin. ff. de dolo malo; *Modicum non est anxiè curandum?* Respondeo; Modicum non nocet multũ, quando suam retinet paruitatem; nocet tamen modicum, sique sinatur incrementa accipere, magnum affert detrimentum, vt vidimus, & iter parat ad ea, quæ per se sunt grauissima. Quocirca bonarum mentium est, etiam à paruis abstinere; &, cordis naturam imitari, quod vt nobilissimum est, ita nihil potest noxium pati. Imitata est S. Paula, de qua S. Hieronymus; *ita leuia peccata plangebat, vt eam grauissimi criminis crederes ream.* Accedit, sæpè esse mortalia, quæ videntur venialia; timoratæ autem conscientiæ, partem amplecti tutiorem: quod sanè faciet, quandiu egregiè studebit, etiam leues vitiorum sordes à se depellere, grauioribus præcidere occasionẽ, elidere in semine suo nequitiam. Quod ad dicta illa Iurisperitorum, prætérquam quòd vera non sunt simpliciter, iuxta glossam in legem 4. de rest. in integ. ff. intelligi solùm debent, spectato more Iudicum, qui in grauibus occupandi negotiis, minimarum rerum vel culparum actiones & causas non recipiunt.

Modic. in quantum noceat.

Cor nihil pati noxiũ potest.

S. Hier. in Epitaphio Paulæ.

De regulis Prudentiæ circa fidem.

CAPVT V.

§. 1. *Credenda à nõ credendis quomodò discernẽda.*

 2. Quò

2. *Quo incentiuo moueri Christianus debet ad credendum.*
3. *In actu credendi quid obseruandum.*
4. *Quando & quomodò actus fidei eliciendus.*
5. *Quando & quomodò oporteat fidem exteriùs profiteri.*

Fides duplex.

§. 1. De fide hîc loquimur non humana, qua assentimur iis, quæ homo ex se vt homo est, loquitur; sed de supernaturali & Theologica, inclinante mentes nostras in indubiè assentiendum iis tanquam certissimis, quæ Deus reuelauit. Quis enim in suspicionem mendacij trahere possit vel audeat, quod pronunciauerit diuina æternáque veritas? *Impossibile est*, inquit B. Paulus, *mentiri Deum.* Et rursus: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Verùm, in hoc difficultatis cardo vertitur, vt intelligamus quidnam à Deo sit reuelatum, quid non sit. Sectarij nihil esse censent, nisi quod sacris paginis continetur; ideóque omnes explodunt Traditiones viua duntaxat voce transmissas ad posteros; etiam quæ dicuntur Apostolicæ, siue fidem, siue mores respiciant. Est, bone Lector, cur hîc te cohibeas, vbi offertur tibi grande præcipicium; Prudens esto, quid agas considera. Magis crede sanctis & antiquis Patribus, peritissimis rerum ad fidem pertinentiũ. Suspecta semper est nouitas vetustati contraria. *In antiquis autem est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Sic vinũ vetus melius est, quia magis

Hebr. 6.
Rom. 3.

Antiquitas anteponenda nouitati.
Iob. 12.

magis defæcatum, ac digeſtum; ſemina aliquot annorum valentiora ad ſegetes ſpicáſque proferendas, quàm quæ ſunt vnius anni; quia in his multum humidi ſupereſt indigeſti, vt tradit Ariſtoteles Sect.20. Problem.17. Quare vt non abs re concludit apud Sozomenum lib.4.caq.19. Conſtantinus magnus: *Bonorũ virorum eſt, fide veterum viuere.* Quod autem ſancti illi & priſci Patres cenſuerint, nó comprehendi credenda omnia Sacris paginis, ex illorum diſces Cõmentariis ad verba illa Apoſtoli 2. Theſ. 2. *Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Ac præcipuè S. Chryſoſtomus. In illis certè paginis nuſpiam legimus, *ſcriptum Dei verbum plenum eſſe*; hoc eſt, ita perfectè de omnibus credendis & agendis lectores inſtruere, vt nullis opus ſit Traditionibus; quæ cauſa eſt, cur ad ſupplendũ hunc defectum, cœpta ſint Concilia in Eccleſia celebrari, in quibus dubia multa definita ſunt adminiculo doctrinæ traditæ, quorum definitio in iiſdem ſacris literis non continetur, nec viſa eſt contineri: & fateantur ſectarij neceſſe eſt, ſuam illam propoſitionem niti Traditione; atque ita dum eleuare conantur Traditiones, illas ſe admittere. Norunt præterea nihil vetare, non ſcribi aliquid quod dicitur, tantíque eſſe roboris, quàm ſi ſcriberetur. De humanis legibus non eſt dubium, inter quas Plato lib.6. de legibus quaſdã ponit ſola Traditione acceptas,

Concilia in Eccleſia qua de cauſa celebrata.

ob idque dictas ἄγραφα νόμιμα: sed neque de diuinis debet esse, quia vtroque etiam modo loqui Deum quid vetat? Adeò deterioris cōditionis non est quod non scribitur, vt sæpè sit melioris; tùm quia prius est ore tradi, quā scribi: & scriptura ad supplendam vocem introducta est; tum quia qui vehementer amat aliquem, eliget sine dubio præstantiorem cum eo agendi modum; agit autem, quoties potest non scripto, sed voce. Sic agebat cum Moyse Deus: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*: & Christus ad Discipulos, quibus ob id dicebat, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Nota verba illa, *quod in aure auditis*. Nota & posteriora, *prædicate super tecta.* Non quòd scribere eos prohibuerit, sed prædicationis solùm meminit, vt nobiliorem docendi modum exprimeret: sicut etiam expressit S. Hieronymus, dicens: *Habet enim nescio quid latentis ἐνεργείας viua vox, & in aures discipuli de doctoris ore transfusa fortiùs sonat.*

Scriptura ad vocem supplendam.

Exod. 33.

Matth. 10.

S. Hier. ad Paulinum.

Hoc tandem peto, num existiment sectarij vnum de credendis hoc esse, *aliquid à Deo reuelatum?* Assentientur planè, quia aliàs nihil haberent quod crederent. Sed iam vlteriùs quæro, vnde norunt aliquid à Deo reuelatum? Respondent, ex Scripturis. Scribit enim B. Paulus: *Potens est confirmare vos iuxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij*, &c. Rectè: sed quis indicauit eis Epistolam hanc ad Romanos,

Reuelatum inter credenda.

Rom. 16.

nos, vel aliam, esse Scripturam sacram, & quæ in ea continentur, à Deo patefacta? An dicere audebunt, eam sibi ipsi perhibere testimonium, vel quandam aliam: aut per se euidens esse quòd Sacra sit, sicut per se euidens dicitur, tria & tria esse sex? Vtique ridicula nimis & absurda esset responsio, iuxta quam sacer quóque esset Alcoranus Turcicus, cùm simile testimoniũ sibi ipsi perhibeat. Idem de Pseudoprophetarum verbis iudiciũ ad populum iactantium: *Hæc dicit Dominus*. Ad aliam Scripturæ partem confugere, quæ dictæ Epistolæ faciat fidem, initium est dare progressionis infinitæ: de hac siquidem alia parte quæstio mouebitur, vnde nam Sacra esse cognoscatur? Ad quod probandum si assumatur tertia, etiam de tertia hoc ipsum percontabimur; & sic deinceps, nec erit exitus. Quod ad præsumptam euidentiam de emanatione eiusdem Epistolæ à Spiritu sancto, tam facilè reiicitur, quàm temerè prætenditur. Nam quæ per se sunt euidentia, à quolibet sine controuersia recipiuntur, vt ignem calore esse præditum, lucere solẽ, candescere niuem, tria esse tria, & bis tria sex. At neque in Epistolam de qua est sermo, neque in aliã Scripturæ partem tale quid cõuenire, constat ex hodierna de libris Canonicis controuersia, itémque ex puero, & peregrino, qui nihil vnquã de illa audiuerit, nec de rebus huiusmodi. Sciscitetur quis ab eo, externe aliquod Dei verbum scriptum; sique

exter,vtrū Epistola ad Romanos partem eius constituat? Nihil dubium,quin dicturus sit se prorsus ignorare; cùm tamen valdè bene norit calidum à frigido discernere, à nigro candidum, ab igne solem, à sole niuem, à tribus quatuor. Sit alter æquè barbarus, cui proponantur Epistolæ duæ Canonicæ,& totidem Apocryphæ; iubeatúrque vnas ab aliis separare; æquè certum est, id non facturum, aut casu facturum, nec hæsitaturum minus quàm olim S. Helenam hæsisse legimus tribus repertis crucibus,quarum quæ esset Christi nō priùs discernere valuit, quàm accessit miraculum,prodigiosa ac repentina mulieris vnius curatio ad contactū illius; non autem cæterarum. Impertinens proindè est dicere, nihilò ægriùs distingui posse à profanis scripturis Sacras, quàm à nigro candidum. Porrò si per se nequeunt sese prodere, restat vt vnius vel plurium authoritate hominū, qui id à Spiritu sancto didicerint, tales esse intelligantur. Hoc autem quid aliud est, quàm Traditiones astruere,seu id affirmare, de quo constare potest solo viuæ vocis oraculo? Et certè, qui Paulum non viderunt, Epistolā illius esse, vel ipsum de numero fuisse Apostolorum, nō nisi ab aliis discere valuerunt id testificantibus. Hi homines hac tanta authoritate præditi, sunt Ecclesia Catholica seu Prælatorū cœtus, à quibus regitur. Oportet enim authoritatem hanc esse infallibilē;talis autem solius est Ecclesiæ, cui vni dedit Deus miracula facere omnis

Authoritas infallibilis in Ecclesia.

omnis generis, vt infrà dicemus: cui rurſus ſingulariter promittit Chriſtus, Ioan. 14. & 16. reuelationē omnis neceſſariæ veritatis: quā denique ſolā vocat ob id Apoſtolus, *Columnam & firmamentū veritatis*, 1. Tim. 3. Dico *ſolius Eccleſiæ*, quia nulli priuato facta eſt eiuſmodi promiſſio infallibilis veritatis, & aſſiſtentiæ Spiritus ſancti; & ridiculum valdè eſt exiſtimare eam particulari homini factam, & non multò magis toti Eccleſiæ. Sed neque de priuato quopiā conſtare poteſt, quòd ſufficienter ſe diſponat per fidem, vel aliter, ad directionē certā à Spiritu ſancto impetrandā.

Ex hoc ſequitur hanc eandem Eccleſiam competentē Iudicem eſſe credendorum. Non quòd condat, vel condere poſſit fidei articulos; ſed quòd authoritate illa ſua infallibili certò nobis aſſignet, diſcernátque ab extraneis genuinum Dei verbum, ſeu ſcriptum ſeu non ſcriptum; & quid in eo credendum proponatur, quóque ſenſu ſit accipiendum declaret ac determinet; Sicut ciuilis Iudex non condit oblatum ſibi teſtamentum: nec cælator aurum, nec Prouinciæ Præfectus edictum Principis ad ſe tranſmiſſum; ſed tale duntaxat declarat eſſe. At nonne promiſit Deus priuatis quibuſque veri notitiam, dicens, Luc. 11. *dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Iam iam reſpondi: Promiſit quidem, ſed vt par eſt petentibus cum debita cordis puritate & inſtantia. Cui autem reuelatum eſt, quicquam à ſe deſiderari, quoad inſtantiam hanc & puritatē?

Eccleſia Iudex competens credendorum.

Síque

Sique eam reuelationem iactet, vndè probabit illam miraculis destitutus? Promisit item sed per interiectam Ecclesiam, si verū de quo agitur, commune sit, omniúmque salutem respiciat; iuxta illud *Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi; maiores, & dicent tibi.* Et quia sectarij ab Ecclesia fecerunt diuortium, extra illam viuunt, audire loquentem nolunt, infallibilem eius authoritatē contemnunt agnoscere; sequitur ambulare eos in tenebris, nec quicquam de verbo Dei, déque credendis habere exploratum; sed vt plurimum veritatis loco amplecti mendacium: Sicut Ixion Iunonem se complecti ratus, in euanidam nubem incidit, ex eáque Centauros & monstra procreauit. Notauit hoc ipsum grauissimis verbis S. Cyprianus: *Quasi apud lapsos profanos, & extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit Spiritus sanctus, esse aliud possit, nisi praua & fallax lingua, & labia venenata, & sacrilega mendacia; quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cùm iudicij dies venerit.* Notent hoc diligenter fatui illi, qui Catholici videri volunt & dici, ac sectarios fatentur esse hæreticos, seu vera fide destitutos; negant tamen damnari eos in statu illo morientes. Quasi verò scriptum non sit, Marc. 14. *Qui non crediderit, condemnabitur:* & Ioan. 3. *Qui non crediderit, iam iudicatus est.* Hebr. 10. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quasi præterea ebrietas, fornicatio & peccata non sunt hæresi leuiora, quæ tamen excludunt à regno cœlo

Deut. 32.

S. Cypr. l. 4. epist. 9.

cœlorum? Aut excommunicati non sint hæretici etiam in sæculo altero, iuxta illud Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis?*

Hæretici excommunicati etiã in altero sæculo.

§. 2. Quò moueri nos oporteat ad assentiendũ mysteriis à Deo reuelatis, frustrà quæri videtur, substante hypothesi, quòd sint à Deo reuelata. Quis audeat ab eius authoritate quærere aliam, vi cuius assentiatur? Nonne si hoc faceret, grauissimam ipsi iniuriam irrogaret, insinuans digniorem esse hanc aliã, & ad faciendam rei fidem de qua agitur, efficaciorem? Iniuria certè se affectum crederet inter homines Cato, si quis asseueratione eius minimè contentus expectaret aut quæreret aliud quoddam testimonium, quo ad credendum impelleretur. Ita est planè, inconsultissimus sit oportet atque impius, qui affirmanti Deo vel omninò non credit, vel minùs quàm assertori alteri. Sed enim, quod insipientiæ genus etiam prodigiosissimæ in mundi huius officina non reperias? Omninò tales quidam circumferuntur, tàm affixi iudicio proprio aut sensibus, vt licet ex miraculis visu vsurpatis, vel auditu tanquam ex diuinis testimoniis satis intelligant, verum esse quod dicitur, Deúmque ipsum habere assertorem; itaque exstimulentur ad assentiendũ, vt difficile omninò iis sit contra stimulum calcitrare; posteà tamen conuertentes sese ad sensum vel iudicium, illúdque interrogantes, assensum retractent, si mysterium antè creditum

ditum sit ei contrariũ; vel si consentaneũ, magis tamen mysterio credant vi domestici sui quàm diuini testimonij; ídque inde proficiscitur, quòd licet mysteriũ in attestãte Deo euidens fiat per miraculum; in se tamen est & manet obscurum, ex consequenti non perfectè conuincitur intellectus: & quia non conuincitur, inflecti & trahi absolutè potest à libera voluntate in assensum contrarium. Non ita vir prudens desipiet, sed vbi dictum seu reuelatum aliquid à Deo intelliget, vel ex verbo eius scripto aut tradito legitiméque exposito (est autem expositio legitima, quam Catholica recipit Ecclesia, quam extra erroris periculum constitutam liquet ex præcedenti §.) fidem illi habebit, vel solùm, vel præcipuè ob veritatis illius diuinæ summam prorsus authoritatem; & discet in eiusmodi rebus sẽsus iudiciíque proprij definitionẽ nõ modò nõ accersere, sed etiã aspernari. Nã nisi Christus in materia fidei prioris illius sententiam, hoc est, sensus reprobaret, hac censura Thomam non perstrinxisset: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt & crediderunt.* Est sanè visus sensuum nobilissimus, iuxta ac fidelissimus; atque hinc illud:

Expositio legitima quæ.

Ioan. 20.

Horatius in Arte ad Pisones.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Cernis interim Lector, quàm velit nostræ hîc salutis author, non haberi eius rationem; ex Optica autem disces, animæ esse facultatem præstigiis, seu fallaciis sexcentis obnoxiam,

immer

immersam materiæ, de obiectis tantùm corporeis iudicare. De fide autem notum est, quòd assensum requirat firmissimum, & circa obiectum minimè fallax versetur résque immateriales; de quibus ferre sententiam minus ad sensum pertinet, quàm de sono ad eundem visum, aut de colore ad auditum: quia inter sensum & obiectum immateriale minor est proportio, quàm inter visum & sonum, vel inter colorem & auditum. De ratione naturali & iudicio proprio idem dictũ puta: magis illam superat obiectum fidei immateriale, supernaturale, diuinum, quàm radij solis obtutum noctuæ. Si ergo cauendum est noctuæ, ne præsumat controuersas de radiis illis quæstiones discutere, est sanè cur nouerit humana ratio magis adhuc interdictum sibi diuinorum mysteriorum non sententiam modò, sed etiam perscrutationem, Prou. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Admiratione plena sunt, quæ fide creduntur, qua contrà carent quæ demonstratione seu humana ratione comprehenduntur. *Sciendum nobis est*, inquit S. Gregorius, *quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* S. Gregor. hom. 26. in Euang.

Obscura item in se sunt, quæ fide credimus, quatenus fide credimus: quæ causa est, cur fidem appellent diuinæ literæ *Speculum in ænigmate, argumentum non apparentium, lucernam lucentem in caliginoso loco:* 1. Cor. 13. 2. Pet. 1.

euiden

euidentia contrà, quæ ratione assequimur. Nihil vltrà require, vt cõstet contemnendam, & arcendam procul huiusmodi rationem, quoties ferendum est de fidei rebus iudicium, sic saltem vt caueamus ita nobiscum loqui: Non sufficit mihi diuina authoritas, volo insuper accedat ratio, sine qua stat mihi non credere; illa etiam permoueri proximè & immediatè volo ad credendum. Ita loqui nefas est, ad summum conceditur præuia vti ratione, quò meliùs intelligamus id quo de agitur, quódque credendum proponitur, esse à Deo reuelatum: cæterùm assensus ipse aliciendus est vi solius diuinæ reuelationis cognitæ, vt sit assensus fidei. Hoc quia non obseruarunt Heresiarchæ; sed magis ad sententiam, rationémque propriam retulerunt controuersias de fide & interpretatione Scripturarum, fluctuarunt vbique miserrimè, solidum nihil inuenientes, in quo pedem figerent, ac requiescerent. Nempè mens nostra humanitus in dies horásque singulas noua deprehendit, experitur & considerat; vetera pensiculatiùs librat, & inter se cõparat; aut nouos affectus induit, quorũ omniũ in mutandis sententiis vis est maxima. Hinc parœmia illa δευτέρων ἀμεινόνων, id est, posterioribus melioribus, qua significatur prioris consilij erratum posteriore consilio corrigi. Hinc tanta eiusmodi Pseudoprophetarum in dogmatibus suis inconstantia, & editarum à se fidei confessionum disparitas, & animi fluctuantis tristitia atque.

Assensus fidei quis.

Pseudoprophetarum incõstantia unde.

atque perplexitas, quam dissimulare ne in scriptis quidem suis valuerunt. Nam Lutheri verba in sympofiacis sunt : *In animum inducere non possum quæ doceo.* & Zuinglij l. de vera & falsa Relig. *nondum satis liquet, quid sibi velit, Hoc est corpus meum.* Et Carlostadij in epist. ad Lutherum : *Nihil à me editum est de Eucharistiæ sacramento, nisi per modum disputationis.* Et Melāchthonis in epist. ad Io. Barthol. *Optarem, excidissent mihi digiti omnes, cùm primùm illos admonui scribendis tractatibus.* Spondet tandem Caluinus in admon. ad VVestph. *retractaturum se quæ scripsit omnia, si Melāchthoni videretur.* Quā vacillabat in dogmatibus suis, qui ea pendere volebat ab hominis vnius arbitrio.

Si ita est, dicat aliquis, si tam incerta est obscuris in rebus quales sunt fidei, humana ratio siue iudicium, incertum igitur erit iudicium Ecclesiæ, siue sit de Scripturis, siue de interpretatione Scripturarum, cùm similiter sit humanum. Negatur consequentia, quia, vt suprà vidimus, illa in eiusmodi iudiciis infallibiliter à Spiritu sancto dirigitur, ob idq; euadit certissima fidei regula, qua se firmabat S. Hieronymus adhuc iuuenis, sicut in eius vita legimus, cùm à Meletio, Paulino, Vitale viris Antiochenis, & Arianorum vexillariis interrogaretur, quid sentiret de diuinis hypostasibus, essentne tres an vnica? Respondit, inquam, *Credere se id omne, quod sancta credit Romana Ecclesia extra quam sciret salutem nemini repositam.* Idem faciamus omnes, si

Marianus in vita S. Hieron.

tuti quietíque esse volumus, iudicio eius nostrum humiliter conformemus, credamus quod illa credit; damnemus & reiiciamus, quod reiicit; per eam loqui non dubitemus primam illam summámque veritatem: eò sanè spectant verba illa aurea ad Apostolos mēbra eius primaria: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Illa similiter: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Et rursus: *Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris.*

Luc. 10. Act. 15. 1. Ioan. 4.

Modus credendi quis.

§. 3. Ad verum credendi modum iam se nostra conuertat oratio. In primis non expedit præproperè credere. Ait enim Scriptura, Ecclesf. 19. *Qui citò credit, leuis est corde*; ac si enucleatiùs diceret: Quam facilè admittit quod dicitur, tam facilè remittit, vbi primùm grauior aliqua difficultas, siue argumentum pro parte contraria suboritur. Puerorum est hac leuitate laborare, de quorum ingenio versatili Horatius: Iram

Horat. in Arte.

Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Citò abscedit color, quem lana diu, penitusque non imbiberit: citò ruunt accelerata ædificia; citò recrudescit vulnus, quod lentè non curat Medicus; parum durant fructus præcoces, nec diu viuere possunt fœtus abortiui, quos nempe sat diu non gestauit maternus vterus. His de causis interdicit Ecclesia, ne prius infidelis quispiam, idémque adultus regenerationis aquam percipiat, quàm edoctus

ctus sit diligenter fidei rudimenta. Documẽtum alterum, idémque reciprocum est, ne iusto tardiùs fidelem te præbeas, & quod credendum est credas, ni velis audire cum similibus: *O stulti & tardi corde ad credendum.* Tardè credere dicitur, cui cum res fidei satis sint factæ euidenter credibiles, seu dignæ quæ credantur, à Deo reuelatæ, cunctatur tamen credere. Quod enim ius habet sufficienter instructus vltrà differendi? quò spectat affectata & superuacanea ista tergiuersatio, nisi vt duræ ceruicis, & à veritate abhorrentis sit indicium? *Eum qui certus est*, inquit iuris regula, *vltra certiorari nihil necesse est.* Rectè, sed quis dicendus est sufficienter instructus? Qui dogma, de quo agitur, videt oculis propriis confirmari veris miraculis, aut confirmatum fuisse discit à testibus irrefragabilibus, aut ab Ecclesia Catholica audit fuisse à Deo reuelatum, seu contineri in verbo quod ipsa verum Dei verbum docet esse. Nam cùm miracula certissima, quæ patrauit, mirabilis eiusdem propagatio, conseruatio, fortitudo in aduersis, in disciplina sanctitas, & quamplurima alia veram Dei Ecclesiam esse ostendunt, diuino eius afflatam Spiritu, in singulari eius protectione constitutam, dignissima sanè est, cui omninò credatur, dicenti; hoc verbum est verbum Dei, & consequenter diuina fide credendum quicquid in eo asseritur. A tali magistra edoctus, sufficienter edoctus est. Cæterùm vt dicatur ipsa Ecclesia loqui, sufficit,

Luc. 24.

si aliquis eius Prælatus aut Sacerdos legitim missus tam sanctè viuat, vel tam clarè osten dat decreta sacrorum Conciliorum, vt mora liter certum sit, ipsum non mentiri, cùm se proferre dicit doctrinam Ecclesiæ. Etsi autem Ecclesiæ loquentis infallibilitas sit vnus de fidei articulis, quatenus verbo Dei continetur: Ipsa tamen vi miraculorum quæ fecit, & aliorum quæ proximè commemoraui, dignissima euadit, quæ credatur verè à Deo dirigi, certissiméque proponere ac discernere illud Dei verbum & res ab eo reuelatas.

Miracula Ecclesiæ quid confirmant.

Est sanè id verissimum, dicat aliquis, si vera sint prodigia seu miracula, quibus illustratur & constabilitur Ecclesia: sed multa video eius dogmata non aliis, quàm falsis aut suspectis confirmata; vtpotè non patratis ab ipsomet Christo vel Apostolis, cum quibus cessauit in Ecclesia, & interiit vera virtus miraculorum. Non te contingat ita loqui, si fidelis es: nouatori hæc verba relinque, erubescenti nullum in infœlici secta sua editum hactenus signum, ob idque nostra multiplicia nobis inuidenti, & studenti eleuare. Quæ si falsa sunt, imposuerunt ergo nobis tot sancti Patres, tot historici omni exceptione maiores: quibus nolle credere, Plutarcho autem, Tito Liuio, Suetonio & profanis aliis fidem habere, quàm iniquum est ac præposterum? Quid habuerunt signa Apostolica, quod non inueniatur in posterioribus? Astruebat illorum veritatem luculenta experientia; quia palàm

Nulla apud Sectarios.

palàm docebat verè ægrotasse, cæcutiuisse, mortuos iacuisse, quos Christus & Apostoli vocabant ad prosperam valetudinem, ad vsum oculorum, ad iteratam lucis huius vsuram; Cur non etiam ista vera credis, quibus semper fauerunt probationes & argumenta similia? Quis tu es? & vnde venis, vt te confidas temeraria & impudenti inficiatione permouere posse orbem totum Christianum ad conficta iudicanda, quæ vera, infucata, solida esse persuasum semper habuit tot seculorum antiquitas? quæ item pro oculatis testibus nacta sunt integras amplissimásque ciuitates? Quæ Scriptura diuina te docuit interiisse cum Apostolis virtutem miraculorum? Omninò nulla: Cur ergò affirmas, tu inquam, Traditionum osor, nihil volens in materia fidei non scriptum recipere? Nulla autem fieri iam miracula in fidei confirmationem, ad eiusmodi materiam pertinet. Vide quantum à tuis illa S. Augustini verba dissentiant, lib. 22. Ciuit. c. 8. *Nunc etiam fiunt miracula, siue per Sacramenta eius, siue per orationes vel memorias Sanctorum eius.* Benè est, quod nec citò credas, nec serò; præterea tamen dabis operam, vt nihil hæsitans id facias; quia diuina authoritas iure suo non postulat solùm tempestiuè vt credas quod reuelauit, sed etiam vt intrepidè, firmiter, confidenter, quando satis tibi constat ex propositione Ecclesiæ, id fuisse ab eo reuelatum. Ita fit, vt in fidem peccet, non solùm qui assensum

Nec citò neq; serò credendum.

habet fidei assensui contrarium; sed qui in assensu fidei voluntariè dubitat, aut qui præ dubio assensum illum seu actum cohibet, cum deberet elicere. Quare quantumlibet id quod scitur Deus reuelasse, sit præter rationem naturalem, eiusque captu superius; nihil id te perturbet, qui iam didicisti, non esse eiusmodi rationis, sicut nec sensus de fidei mysteriis iudicare; quem rursus non latet quod de
1.Ioan.3. Deo scribit Euangelista: *Deus maior est corde nostro*; id est, plura scit & videt, quàm possit eadem humana ratio cogitationibus suis assequi. Sufficiat tibi non esse mysteria illa fidei contra rationem, vt verè non sunt, cùm rationes ad ea illustranda vbique ferè proferamus. Et sanè quidquid mihi protuleris, & dixeris repugnare, de ordine erit rerum naturalium, supra quarum conditionem cum diuinæ sint & supernaturales, nullo modo has decet illarum mensuræ subiicere, seu ab illis ad istas argumentari, & quod illis inconcessum, istis quoque esse credere. Poterat Deus, si voluisset, arcana omnia nobis ostensa in media luce collocare; sed meritò noluit, ne singularem nobis occasionem adimeret colendi valde ipsum, & benè merendi, quorum vtrumque facimus, cum obscura eius dicta vt indubitata nihilominus recipimus. Quare id deinceps magísque faciamus, eò firmiùs recipiantur à nobis quæ reuelauit, quò videntur incredibiliora. Imitetur amicos veros, & bruta generosa. Illi in
aduer

aduersis produnt se maximè, pergunt adhærere amicis & opitulari, sibi gratulantur insignem quamcúmque ansam beneuolentiæ in eos suæ aduersis rebus comprobandæ. Hæc verò exultant,& iras viresque colligunt, quando committi se vident cum violentissimis hostibus, quibus superatis constet, quàm sint fortia. Si tamen quid dubitationis inuito tibi obreperet; non idcircò te credas infidelem, nec animum despondeas. Talia non nocent, sed amplioris meriti materia sunt repugnantibus, & ad suggestionem veternosi hostis non aduertentibus. Nunquam tibi dicere contingat: *Huic quidem articulo assentior; illum autem nec admitto nec respuo, sed sibi relinquo.* Nō ita loquitur, qui totus est Christianus, totus Catholicus, nouítque reum illum fieri omniū abnegatorum, qui ad omnes fidem suam non extenderit. Nec mirum; vna enim est veritas siue authoritas, quæ credi iubet vnos & alios, proinde vel recipiendi sunt omnes illius gratia, vel omninò nullus. Irrogatur eidem veritati iniuria sanè grauis, quando quoad aliquid in suspicionem adducitur, & indigna fide iudicatur. *Amici verè officium.* *Brutorum propria.*

Sed neque sufficit in genere vera esse credere, quæ Fides docet. Sunt ex his nonnulla, quæ in specie seu explicitè intelligas oportet, ac vera esse tibi persuadeas (eoque magis, quo cæteros ampliùs ingenio, iudicio, vel authoritate antecellis) tum quia aliàs nulla esset te inter & paganos differentia, quorum nullus *Fides in genere quomodò recipienda.*

non fatetur in genere, vera esse quæcumque Deus pronunciat; tum quia vniuersalia parum mouent, ad colendum Deum, nec magna sentitur difficultas, vbi ad singularia non descenditur. Cùm ergo probari nos, & mereri velit Deus laborem superando, qui circa credenda occurrit; vult simul distinctè aliqua sciri à nobis & credi, præcipuos videlicet fidei articulos, qui continentur in Symbolo fidei, & solennizantur in Ecclesia, iuxta receptam S.Th. doctrinam, 2.2. q.2. a.6. & 7. Alij sunt, quorum notitia peculiariter Episcopis & Parochis incumbit, docendi populi prouinciam sustinentibus. Tales voco necessitatem meritúmque bonorum operum, liberum arbitrium, septenarium numerum Sacramētorum, vim eorundem productiuam gratiæ, velut Dei organum morale aut physicum, veram & realem Christi præsentiam in Eucharistia, inuocationem Sanctorum, &c.

Episcopis & Parochis necessariò sciēda.

§. 4. Forma verborum, sub qua elici obiter & commodè potest actus fidei saltem in genere, ista est: *Omnipotens & æterne Deus, ego N. firma fide credo & credere cupio tanquam certissimum, quidquid sponsæ tuæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ reuelasti, & à nobis credi voluisti; nec vnquam ab eius salutari doctrina te adiuuante recedam; contraria autem omnia veluti falsa tota mente abominor, damno, atque reiicio.* Eam tibi facito familiarem, & quotidie mane vel alio tempore vsurpare memento. Si quid dubietatis subrepat circa

Fidei formula Deo proponenda.

ca peculiarem quendam articulum, v. g. circa realem Christi præsentiam in Eucharistia legitimè consecrata (quo modo apud Catholicos consecratur, non apud sacramentarios) fidei actum illius proprium constanter elicito, dicens ore & corde, hanc te præsentiam omninò credere, & velle credere. Sique in tempora incideris infecta hæresibus, cuiusmodi est nostrum hoc infœlicissimum, & te morti vicinum senseris; lege præsentibus aliis, vel iussu tuo quispiam, Catholicæ fidei professionẽ; & habeto ratam. Sic robur tuæ intendes fidei; sicut & S. Blandina, quæ Lugduni, teste Eusebio, quantò acerbioribus vrgebatur suppliciis, vt Christianam se esse abnueret, tantò magis corde credebat in Christum, & ore clamabat: *Christiana sum, Christiana sum:* cũque talia proferret, nouas sibi ad tolerantiam vires sentiebat, & dicebat accedere. Erit prætereà hoc apud astantes optimi odoris & exempli præsertim, si adiicias indictum te velle, si fortè posteà minus tibi præsens in verbum aliquod proruperis fidei huic contrarium. Nec eadem erit ratio, quæ eius, qui antè matrimonium protestatur se per nulla verba velle ex animo contrahere; posteà autem absolutè per verba consueta contrahit. Hic enim contractus matrimonium verum esse creditur, quia protestatio illa contraria est facto protestantis non oppressi morbo, sed ratione vtentis plenè ac liberè, ob idque inefficax, nec quidquam operatur, vt notat Nauar. c. 22. Enchir. n. 28.

S. Blandinæ fides & constantia.

Euseb. l. 5. c. 1.

§.5. Fidem profiteri dicitur non ille solùm, qui palàm dicit, *Christianus sum*, (quamquam non abnuerim, nobilissimam hanc esse confessionis materiam) sed etiam qui asserit aliquid, & propugnat ad doctrinam pertinens Christianæ, & Catholicæ Ecclesiæ Euangelica consilia, & virtutes omnes commendantis, vt docet S.Thom. 2.2.q.13.a.1.2.& 3. In hac fidei professione præbe te fortissimum, ingenuè palamque illam tuere, quoties id exiget Dei gloria; vt quando te interrogabit non aliquis de triuio, sed magistratus; quamnam profitearе, cùm in seculo tot videas, etiam inter expedita aduersum se tormenta pro patria, pro amicis, pro dominis suis temporalibus stare fortissimè, spretis minis atque suppliciis, se eorum vocare seruos, tueri causam, iustamque esse dicere. Vnius verba sunt:

In principes fidelitas.

Virg. lib.1. Æneid.

Cuncta equidem tibi Rex fuerint quæcumque fatebor,
Vera; etenim neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum.

Sic Principes suos valdè se putant colere; vicissim autem reos se agnoscunt perfidiæ, morti obnoxios, de iis pessimè meritos, si secus fecerint, si eorum famam sustinuerint, damni alicuius metu, lacerari. Erubesce in Christi causa minùs esse generosus. Imitare latronis illius beati constantiam, qui palàm tuendum suscepit illum aduersum latronis alterius voces sacrilegas, dicens: *Neque tu times Deum, qui*

Pro Christo quāta debemus.

in

in eadem damnatione es? Et nos quidem digna facta recipimus; hic autem nihil mali fecit. Intelligis, puto, tibi Christum multò magis dominati, quàm te creaturis inferioribus: hæ autem adeò tuæ ſunt, vt dicta ſit lex omnibus ſeruiẽdi tibi, cùm poſtulat neceſſitas, (eſto futurum ſit, vt ſeruiendo deſtruantur & intereant) & hanc ſui deſtructionem in tua relatam commoda ſibi debeant gratulari, cum ſic finem aſſequantur, propter quem eſſe acceperunt. Hinc ratiocinare, quid te oporteat pro Deo tuo, Deique lege facere. Nunquam detrecta illius cauſa caput tuum obiicere quibuſcunque periculis; imò eo nomine crede te beatum. Eandem fidem orthodoxam fortiter profitere, quando id flagitabit proximorum tuorum ſalus ſpiritualis, qui te illam non profitente, à te negatam fuiſſe præſumpturi ſunt, & exemplo tuo abnegaturi; vel ad eam non conuertendi, qui aliàs ei veriſimiliter ſubſcriberent. Potes, ſi vis, corporali vitæ proximi præferre tuam, & in diſcrimen non adducere, ne ipſe ſuæ iacturam faciat; Sed alia omninò eſt ratio, ſi corporalem tuam cum illius ſpirituali conferas. A te exigit charitas bene ordinata, tuam vt exponere non ſubterfugias; ſeu confitendo fidem, ſeu aliter, ne illum æterna mors abſorbeat, aliàs veriſimiliter abſorptura. Hoc ſenſu ſcriptum eſt, 1. Ioan. 3. *Ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Habuit ordinis huius rationem magnam

S.Cypri

S.Cyprianus. Considerauit quantæ esset apud omnes authoritatis, quantum posset exitus eius in vtramque partem; quantùm animi Christianis omnibus adderet, si ingenuè constantérque sanctæ fidei præberet testimoniũ. Quot è contrà perturbaret, si secus faceret. Interroganti itaque Galerio Proconsuli: *Tune es Cyprianus?* intrepidè respondit: *Ego sum.* Iubenti autem vt eiurato Christo, idolis incensum adoleret, adiecit, *Non facio.* Monenti denique vt magis sibi caueret, séque imminenti aliàs periculo eriperet, dixit: *Fac quod tibi constitutum est, in re tam iusta nulla est consultatio.* Sic tortori est traditus, cui postquam numerari rogasset ab amicis viginti quinque nummos aureos, exposita ceruice adeptus est gloriosi coronam martyrij, & nutantes mirificè confirmauit.

Pontius in vita S. Cyprian.

S. Cypriani ingens constantia.

Est & casus tertius, in quo vnum aut plures, aut omnes fidei articulos publicè aut saltem duobus tribusve testibus oportet profiteri; quando dicta lex est, vt non antè recipiantur ad spiritualem communionem fidelium, qui Ecclesiæ dant nomen, quàm id fecerint. Obseruari id solet circa insignes quosque & males. Quo in negotio excelluit quondam Victorinus Romanus Orator, de quo S. Augustinus: *Ait Simpliciano, eamus in Ecclesiam, Christianus fieri volo.* Et infra: *Vt ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentísque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis*

S.Aug.l.8. Conf.c.2.

delis Romæ reddi solet ab eis, qui accesserunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à presbyteris vt secretius redderet, sicut nonnullis qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat. Illum autem maluisse salutem suam in conspectu Sanctæ multitudinis profiteri. Et rursus: *Pronunciauit ille fidẽ præclara fiducia.* Quantus autem vir *Victorinus quãtus vir.*
fuerit iste Victorinus, exponit ibidem, dicens: *Habet magnam laudem gratiæ tuæ confitendum tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, & omniũ liberalium doctrinarũ peritissimus; quique Philosophorum tam multa legerat, & diiudicauerat, & dilucidauerat, Doctor tot nobilium Senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterij, quod ciues huius mundi eximium putant, statuam in foro Romano meruerat accipere.* Iam si in recensitis casibus necesse est palàm fidem afferere, & non erubescere Christũ, multò magis interdictum sup- Matth. 10.
ponitur, ne illam abnegemus, nisi vicissim velimus ab eodem coram patre abnegari. Magna impietas est eiusmodi abnegatio (quam tamen non curant sectarij, blandientes sibi de certissima eius remissione apud Deum, à quo se prædestinatos præsumunt, & indubiè credunt) magna planè, propter quam *egressus* Luc. 22.
foras Petrus fleuit amarè; & acerrimè quondam est disputatum, essentne qui ita deliquerant, ad pœnitentiam, Ecclesiæque consortium admittendi. Vicit, fateor, sententia, quæ dicit recipiendos; ostenderunt tamen argumenta contrariæ, nec pauca, nec lenia, culpæ huius magnitudinem: Quam librantes pondere suo

sancti

sancti Martyres in statera sani iudicij, steterunt in magna constantia aduersus eos; qui se angustiauerunt. Inter alios comedere noluit suillas carnes Eleazarus nonagenarius, mortem elegit, ne præuaricaretur. Et S. Polycarpus Smirnensis Antistes, irrisis tyranni minis ac suppliciis, ait: *Bestias accerse, aut aliud quod voles. Rata nobis stat sententia, longéque ab eo absumus, vt aliquando mutato consili o meliorum nos pœniteat, quod deteriora sequamur.* Sed quid, si grauia instent mihi tormenta, nisi fidem eiurauero? An non me excusabit illorum metus apud Deum? Tibi respondetur: excusationem habet, quod fit metu, modò metus sit, qui etiam constantem & sapientem virum permoueret; vt mors, mutilatio, exilium, carcer perpetuus, seruitus, amissio liberorum; si modò rursus quod aduersus legem committitur, non sit ex se peccatum. Nam si est, omni malo pœnæ est grauius. Vndè vir constans & prudens, qui nouit ex duobus malis eligendum minus & fugiendum; nunquam vt istud effugiat, illo se polluet. Fortè etiam percuntabere, quid si non aliter peccem in fidem veram, quàm cõmunicando cum paganis & hæreticis in quibusdam eorum ritibus? Ad hoc duo accipe. Primùm, hanc quoque esse fidei infìciationem, dicente Apostolo: *Confitentur se nosse Deum; factis autem negant:* quando eiusmodi ritus instituti sunt, & assumuntur in signum protestationemque contrariæ, vt si ordinariè, & ex professo ad conciones accedas Hæreti

2. Mach. 6.

S. Polycarpi fortitudo.

Eusob. l. 4. c. 14.

Tit. 1.

Hæreticorum. Audi quid talibus dicat S. Chrysostomus: *Si verò dixerit tibi, nolo vt aspicias idola: sed tantum ausculta, quomodò ille gentilis blasphemat Christũ, vt glorificet Deos: si auscultaueris, auribus Christum negasti.* Vel si cum illis cœnam degustes, quam conficiunt ad æmulationem Dominicæ, vt indicat idem S. Doctor, cùm addit: *Si dixerit tibi, non manduca carnem dentibus tuis, tantùm finge te de immolato manducare. Si simulaueris, gustu tuo Christum negasti.* Et infrà: *Si dixerit, nolo fingas te de immolato manducare; sed tantùm tange idolum manu tua, aut tene thuribulum. Si tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Christum negasti.* Si prætereà nulla necessitate compulsus, ad illorum imitationem currente Quadragesima carnes comedas. Si in sepulturam tibi eligas illorum cœmiterium. Si vestibus te amicias propriis prædicantium pseudoeuangelicorum, vel qui in Turcia sunt sacrificulorum. Quoad vestes cæteras, quæ non tam illorum fidem & religionem à nostra, quàm gentem à gente separant; non est quidem illarum vsus fidei abnegatio: prohibetur nihilominus in orbe Christiano propter scandalum (nisi per iocum vel derisum obiter assumantur, vt in scenis publicis.) In Turcia autem non interdicerentur, vbi reipsa Christianos audio incedere vulgò in Turcico habitu, dempto Turbante seu turbinato pileo, & ad id quadantenus cogi, nec eo nomine à Patriarchis suis censuram vllam pati. Alterum est, hanc peregrinorum

S.Chrysost. hom. 25. in Matth.

Christus pluribus negatur modis.

morum

morum vſurpationem, quę tacitam vel expreſſam continent fidei inficiationem, ab ignau & immodico temporalium facultatum amoi vulgò deſcendere. De quo argumento loquitem audire ſufficit S.Cyprianum: *Diſſimulandi fratres, veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda. Decepit multos patrimonij ſu amor cacus, nec ad recedendum* (ab infidelibus, *parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultate ſua velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catena, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens victa, & anima praclusa, vt ſerpenti terram ſecundùm Dei ſententiam deuoranti prada & cibus fierent, qui terrenis cupiditatibus inhærerent.* Nempè qui immodicè res ſuas amant, timent diſſimilitudine morum aut alter alterius profeſſionis homines ſe potentiores offendere, ne ſi offendant, detrimentum aliquod ab iis in fortunis ſuis accipiant; ſe iis proindè in eo etiam quod non licet, accommodant. Taceo, quod ſicut Cœlius ille qui apud Martialem l.7. Epigr.33. mentiebatur podagram, reipſa tandem hoc morbo correptus eſt, & fingere deſiit: Ita iuſto Dei iudicio ſæpè contingit, vt qui falſam religionem ſimulant, ſenſim ei aſſueſcant, reipſaque adhæreant.

S.Cyp.lib. de Lapſis.

De præſcriptis Prudentię circa Spem.

CAPVT VI.

§.1.Spes

§. 1. Spes quid sit; & quam exigat à nobis cooperationem.

2. Quod fundamentum Spei supponendum.

3. Quo potissimum tempore sperare conueniat.

4. Formula verborum ad Spei actum accommodata.

5. Quomodò dimicandum aduersus pusillanimitatem & desperationem.

6. De Spe concipienda in priuatis & communibus negotiis, vel periculis.

§. 1. SICVT præcedenti capite de supernaturali Fide dicere studuimus, ita hoc loco de Spe, non quauis; sed supernaturali, disputare aggredimur; nobilissima enim cùm sit, inprimísque necessaria, digna videri debet, quæ audito hoc nomine simpliciter intelligatur. Hominem imbecillum, morti expositum, ex materia concretum, brutarum animantium in hac vita socium, omnibus miseriæ telis expositum, de terra sumptum, cuius pondere prohibetur alta petere, sponte autem ad infima ruit loca: talem, inquàm, hominem in cœlum euehi, in cœlo habitare, summóque bono seu Deo ibidem beatissimè perfrui, res est omni virtute naturali superior, prorsúsque admirabilis. Vnde magnis duobus Dei donis indigemus; quorum altero id credamus posse fieri; altero tantum bonum expectemus. Illud Fides appellatur, istud verò Spes dicitur. Illud in intellectu, istud est in voluntate, sempérque cum gaudio aliquo

Magna dona duo à Deo nobis expetenda.

G con

coniungitur, eò quòd voluntas sperans expectánsque bonũ arduum absens, id quadantenus habere præsens, & possidere incipit, vt docet Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 11. & Sect. 30. Problem. 6. gaudij autem obiectum est bonum præsens. Illius obiectum est Deus, vt verus & cognoscibilis, tanquam gratiæ principium; huius verò idem Deus, vt bonus nobis, seu summum bonum nostrum à nobis possidendum. Sed an sufficit ad Spem tanti boni concipiendam, eius naturam intelligere? Nullo modo, sicut nec ad percipiendum ex agricultura fructum satis est, quæ & qualis ea sit ars didicisse. Cooperationem & praxim requirit artis huius cognitio, idem de spe dictum puta. Volentem meritò sperare propositam à Deo æternam fœlicitatem, oportet mediis illis admouere manum, per quæ voluit ad illam perueniri, aliàs inanis & fallax erit Spes nostra. Sperari quædam scio iuxta communem loquendi modum, quæ vt eueniant, nihil à nobis postulant, verbi gratia, horam fœlicem, crastinam cœli serenitatem, quo sensu scripsit quidam:

Gaudij obiectum.

Grata superueniet quæ non sperabitur, hora. (Horat. l. 1. Epist. 4.)

Verùm huius generis nequaquam est Theologica Spes, de qua iam differimus; sed vt sit efficax, postulat vt adulti omnes de suo multum conferant, connitantur, & strenuè cooperentur. *Regnum cælorum vim patitur*, inquit diuina Sapientia, *& violenti rapiunt illud.* (Matth. 11.) & Apostolus, *non coronabitur, nisi qui legitimè* (2. Tim. 2.)

gitimè

gitimè certauerit. Adeò certè nonnulla est cooperatio, quæ vi comparatur, & violentiæ, & legitimo certamini; vt contrà omninò grauis sit, & valdè seria. Ridetur alibi impiorum Spes & indisciplinatorum, qui videlicet eiusmodi cooperationis nullam gerentes curam, nec ea facientes quæ præscribit Deus omnibus ad beatitudinem aspirantibus, audent nihilominus sibi eam polliceri. Sap. 3. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est, & vacua est spes illorum.* Et cap. 5. *Spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur.* Benè itaque operemur, vt benè speremus, consilio vtentes Psalmographi: *Fac bonitatem; & spera in Domino, & ipse faciet.* Vt item non rideant nos Ethnici, nullis tantis immersi tenebris, vt non intelligerent, indignum esse ignauos & otiosos magnum aliquid à Deo expectare. Recitabo verba M. Catonis apud Salustium: *Cunctamini alius alium expectantes, videlicet diis immortalibus confisi, qui Rempublicam in maximis sæpè periculis seruauerunt. At enim non votis muliebribus illorum auxilia parantur; vigilando, agendo, benè consulendo prosperè cuncta cedunt. Vbi te socordiæ atque ignauiæ tradideris, nequaquam Deos implores.* Posset Deus desidiosis nobis sua si vellet conferre beneficia; sed aliud iniuit consilium, ne videretur vitio patrocinari, ne gloriæ suæ detraheret fucorúmque ignauiũ Rex diceretur, ne omninò gratis data æterna fœlicitas minus esset

Psal. 36.

In Coniur. Catil.

honorifica nobis & iucunda. Exiguum est quod in eius adeptionem conferimus, illud nihilominus quantulũcumque non vult prætermitti. Nam similiter ad reficienda quinque hominum millia, quàm parum erant pisciculi duo, & panes quinque tam parui, vt à puero portarentur? Eos tamen non neglexit, sed accepit & impendit. Ex his constare potest stultissima & intolerabili præsumptione laborare sectarios, qui sibi blandientes, vitámque æternam promittentes, totum onus virtutum bonorum operum, obseruationis legis Christo relinquunt. Ne quidem de Baptismo Caluinistæ valdè sunt solliciti, quæ nihilominus omnia ignorare nõ possunt esse necessaria salutis media ab eo instituta; cùm dicat Ioon. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Matth.3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et cap.25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & nõ dedistis mihi manducare.* Et cap.19. *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata.* Et Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Cautos & prudentes nos faciat infœlix eorũ imprudentia, conditiones in contractu salutis nostræ à Christo appositas exactè obseruemus, si eam meritò sperare volumus. Non ambulemus solùm per viam disciplinæ Christianæ; curramus etiã & ita quidẽ vt non effugiat

Ioan. 6.

nos

nos brauium, sed illud comprehendamus.

§. 2. Spem omnem Fide aliqua veluti præiacto indigere fundaméto, innuit satis B Paulus, Fidem vocans substantiam Spei: *Est autem Fides*, inquit, *sperandarum substantia rerum*, cuius autem nisi fundamenti est substare? Rationem addo, appetitus secundùm Aristotelem, l. 1. de Plantis cap. 1. non aliundè quàm ex sensu, seu apprehensione est: Cùm ergo Spei actus sit appetitus quidam, & naturæ motus in bonum arduum adipiscendum, necessariò supponit illius apprehensionem siue notitiā, qua existimetur posse obtineri. Neque enim cuiquam persuaseris, inani vt labore se conficiat circa id, cuius adeptio creditur impossibilis. Hæc notitia boni ardui acquisibilis pars est Fidei. Ad Spem ergo disponit fides, vndè Augustinus: *Quid sperari potest, quod nō creditur?* Et prout vera fuerit vel falsa Fides, perfecta vel imperfecta, diuina vel humana, ordinis supernaturalis vel naturalis, talem sibi annectit Spē, & post se relinquit. Quænā porrò sit vera, perfecta, diuina, supernaturalis Fides adeò decantata in sacris paginis, diximus præcedenti capite; videlicet non est superba & temeraria persuasio de certissima remissione propriorum peccatorum, déque diuina electione & beneuolentia, vt Nouantes somniant, cùm ex aduerso secundùm Scripturas: *Nemo sciat, vtrùm amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum seruentur incerta.* Et fidelibus vbique commendetur timor, Eccles. 5. *De*

Spes indiget fidei fundamento.
Hebr. 11.

S. August. in Euch. c. 8.

Eccles. 9.

propitiato peccato noli esse absque metu. Prou. 28. *Beatus homo qui semper est pauidus.* Et scribat S. August. *Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.* Et rursus: *Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non timeat?* Non, inquam, est eiusmodi stulta persuasio, sed donum illud Dei & lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur mysteriis omnibus, quæ nobis Deus per Ecclesiam suam veram seu Catholicam credenda proposuit, siue scripta sint, siue non sint. Huius autem Fidei articulus vnus est, Propositam omnibus à Deo vitam æternam (*vult* quippè *omnes saluos fieri*, 1. Tim. 2. quantum ex se est) addito promisso certo & irreuocabili, ad illam peruenturos, qui illius adeptioni constanter incubuerint. Vnde Tit. 1. Fides vocatur *agnitio veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur.* Scio Nouantes, præter insanam illam persuasionem quam Fidem vocant iustificantem, ponere & profiteri fidem aliam diuinorum mysteriorũ, dictam ab illis fidem historicam; sed hæc quoque apud illos inanis & humana est fides; inhabilis ad fulciendam Spem verè supernaturalem, quia per illam mysteria omnia reuelata non credunt, (per veram autem creduntur omnia) & quæ credunt, non credunt vi diuinæ authoritatis, sed priuatæ ac propriæ, ideóque humanæ; hoc est, credunt vna

Idem l. 10. Conf. c. 32.

lib. de corr. & grat. c. 13.

Fides quid.

vna & non alia, quia illa apud ſe vera eſſe iudicant, hæc verò falſa; cùm tamen Deus per Eccleſiam ſuam quam audiri iubet, Matth. 18. & doctrinam promittit omnis veritatis, Io. 14. & 16. æquè omnia credenda proponat. Eos proindè ſi viueret S. Auguſtinus, indubiè reponeret in album hæreticorum; ſcribit enim q. 11. in Matth. *Qui falſa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad Fidei pertinet ædificationem; hæreticus eſt, & foris animo, quamuis intus eſſe videatur.* Vis adhuc probem, falſam Spem eſſe Nouantium? Spes vera eſt rerum, quæ aliter poſſunt fieri ac ſæpè fiunt, atque hinc illa Ciceronis exclamatio: *O fallacem hominum Spem, & inanes noſtras contentiones, quæ ſæpè in ſpatio franguntur, quàm portum conſpicere potuerint.* Nouantium autem Spes nullam admittit incertitudinem, nullam dubietatē, nullum à ſalute excidendi metum. Ex parte Dei nulla eſt metuendi occaſio, cū fideliſſimus ſit in omnibus viis ſuis; verùm ex parte noſtra ſemper eſt aliqua, ſæpè maxima; quia rarò collaboramus gratiæ eius ſicut oportet: Et vt fortè collaboremus; hoc tamen ipſum latere nos, clariſſimè teſtatur Iob, dicens: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendero, prauum comprobabit, etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et quod magis mirere, teſtatur Caluinus ipſe Principiorum ſuorum non ſatis memor, niſi me fallunt hæc eius verba: *Tot obruitur hallucinationum formis*

Spes eſt rerum quæ aliter fieri poſſunt.

Cicero l. 2. de Orat.

Iob. 9.

Caluin. in Inst. cap. 2. n. 44.

nostra ratio, tot erroribus est obnoxia, in tot impedimenta impingit, tot angustiis irretitur, vt plurimùm à certa directione absit. Si vt agnoscit, tàm impedita, intricata, tenebricosa, errori obiecta est humana ratio, vt sæpè hallucinetur etiam circa minima; quantò magis quando ferendum erit iudicium, vtrùm voluntas Deo satis collaboret?

Spe maximè opus sub exitū vitæ.

§. 3. Sub vitæ exitum si vnquam aliàs, vtendum tibi est Spei præsidio; quia sicut filios Israel tunc maximè exagitauit Pharao, quando ex Ægypto in Palęstinam commigrarunt; ita planè calcaneo nostro, id est, supremo vitæ tempori vehementer insidiatur diabolus, postquam nullam irretiendi nos occasionem sibi videt occursuram. Multa tunc insusurrat veternosus hostis, quibus ægrum iam satis fractum morbo ac perturbatum, rogat si fieri potest, à Spe salutis excidere. Longam ei proponit peccatorum seriem, & quidem enormium, quibus vitam respersit suam, & sufficiens fortè non opposuit antidotum pœnitentiæ. Obiice tentationis huius nodo cuneum fortiorem, & ne vehementi suggestionis huius statu abripiare in interitum, ad Spei anchoram verè ἱερὰν, id est, sacram teipsum conuertito. Anchoram voco; quia sicut anchora exorta tempestate naues firmat ne rapiantur à ventis, & illisæ conterantur; ita cœlestium Spes bonorum solatur, & confirmat nos inter ægritudines, anxietates, mortisque periculum, ne despondeamus animum,

ne

ne medio in opere defixa relinquamus aratra, & longo parta labore merita amittamus. Nec tamen anchora sufficit, nisi tuta sit & firma. Si enim parua sit aut leuis, non erit tuta, magnam retinere nauem insurgentibus procellis non poterit. Deindè vt iusta sit ei magnitudo, firmam prætereà oportet esse ac validã, ne vi maris vento agitati curua illius brachia seu dentes dirigantur, & mordere amplius terram nequeant, nauísque in certum ruat exitium. Magnam itaque firmámque Spem concipe instante illo vitæ exitu, & vt possis, vide dum per tempus licet, egregiam Deo seruitutem exhibeas, virtutem colas, pœnitentiam agas, salutis tuæ tractes negotium. Nam profectò tantò maius quisque ius habet ad cœlestia bona expectanda, quantò impensiùs executus est quæ diximus: sicut miles tãtò certiùs sibi pollicetur à duce suo præmiũ, quantò maius in bello specimen dedit virtutis militaris. Et agricola eò confidentiùs expectat messem fertilem, quò in agro colendo impigriorem se præbuit. Platonem audiamus, l. 1. de Rep. *Quicumque iustè sanctéque vitam exigit, dulcis eum Spes comitatur, cor nutriens & senectutem fouens.* Cæterùm cùm difficile sit ingrauescente morbo illum Spei actum perfectè elicere, cui nunquam assueueris, in eo exerce te passim currente vita. Vix serò metitur, quod manè non est seminatum. Vix pugnat fœliciter, qui arma tractare antè cõflictum non didicit.

Et quanta.

Eliciendæ Spei formula. §. 4. En tibi formam sub qua ore vel corde elici poterit: *Omnipotens sempiterne Deus, cuius nutu facilè peraguntur, quæ impossibilia sunt hominibus, spero & firmissimè sperare cupio, cooperanti mihi auxiliis gratiæ tuæ, nec defecturam diuinam misericordiam, quæ peccata mea aboleat, nec munificentiam, quæ me faciat cœlestium bonorum participem. Per Dominum nostrum*, &c. Sed quia hæc forma vitæ potius quàm mortis tẽpus respicit; attexenda est alia huic accommodatior: *Omnipotens æterne Deus, quamuis hactenus vt debui, nec amauerim te, nec coluerim; sed multis potius & magnis peccatis meis ad iracundiam prouocauerim; quia tamen eorum ingenuè me accuso*, eademque ingenuè confessus sum apud vnum de iis, quibus dixisti in persona Apostolorum, Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: & dolorem concipio, mihi saltem opto vehementem, & statuo auxiliatore te, si ad valetudinem rediero, ad meliorem me frugem recipere; & B. Virginis patrocinium, aliorumque Sanctorum (quod iam imploro) magnæ apud te authoritatis esse credo, confidere prorsus volo te misericordiarum patrem fore mihi propitium, defectumque meum misericordia illa tua suppleturum. Per Dominum nostrum*, &c.

§. 5. Nunc de remediis aduersus desperationem Theologicæ Spei contrariam. Attingere iam cœpi §. 3. præcipuum, si de ea sermo sit obrepente circa vitæ exitum: nempe vt dum adhuc viuis incolumis, instanter Deum colas,

colas, assiduam salutis tuæ curam geras, peccatum quodcumque lethale angue peius oderis, familiaria tibi facias Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, mundum cum pompa sua vniuersa despicias, aduersis rebus caueas ponere in cælum os tuum; sed in spiritu humilitatis & silentio iustum agnoscas Dei iudicium quasi dignus grauioribus; acceptas denique iniurias ex animo remittas propter Deum. Potissima sanè hæc sunt prædestinationis argumenta (sicut & nomen dare Ordini religioso, in quo vigeat disciplina regularis, in eóque perseuerare vsque ad finem) ex quibus sine dubio quò plura concurrunt, eo maior est sperandi occasio. Quod si extra mortis metum desperationis spiritu infestari te sentias, aliquantulum diuersa indiges medicina. Aut enim remissionis peccatorum consequendæ spem abiicis, aut profectus spiritualis; seu, quod idẽ est, arduæ alicuius virtutis adispiscendæ, & cõsuetudinis malæ superãdæ; aut denique perseuerãtiæ. Ac quidẽ si nec precibus, nec modis aliis cõsuetis & idoneis hæc dona studes impetrare, meritò sanè desperas; quia Deus nõ quoscumque iis afficere decernit & adiuuare, sed iuuantes se, &, vt loquitur S. Augustinus; *Qui fecit te sine te, nõ iustificabit te sine te; fecit nescientem, iustificat volentem.* Sin autem bona fide studeas, est planè cur in magnam Spem assurgas. Nam quod ad remissionem peccatorum, quantumcúmque videantur grauia, finita nihilominus sunt numero

Prædestinationis argumenta.

S. August. serm. 13. de verb. Apost.

numero, intensione, grauitate; Deus aute infinitè misericors, qui proindè plus pote dimittere quàm tu committere. Ingenuè tai tùm illa confitere in spiritu humilitatis, in a nimo contrito, adiunctóque serio emenda tionis proposito: nec dubita fore, vt te in gra tiam recipiat. Si dubitas, iniuriam facis, nec

Ioan. 6. credere te probas dicenti: *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras*. Et: *Nolo mortem pecca-*

Ezech. 33. *toris, sed vt conuertatur & viuat*. Item: *Venite*

Matth. 11. *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Ac rursus Isaiæ 1. *Quiescite peruersè agere, discite bene facere. Venite & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt*. Valde læsa hominum patientia vix supplicibus placari nouit & ignoscere; hinc rati Numantini nunquam fore, vt Romanis propiciis vterentur, quibus totis viginti annis repugnando negotium maximum creauerant, desperabundi tandem se suáque in rogum coniecerunt. At Deo nostro longè aliud est in more positum. Qua de re S. Am-

S. Ambros. in Lucam. brosius: *Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum præmia diuina desperet. Nouit enim Deus mutare sententiam, si tu noueris mutare delictum*. Falleris, si te solum credis onustum peccatis plurimis; onusta enim fuit principio S. Magdalena, & B. Paulus ob diram persecutionem in Christianos, & Manasse Rex Iuda, & latro, qui è dextris erat Crucifixi: qui tamen omnes ad antidotum confugientes

pœni

pœnitentiæ, ſperauerũt in Domino, & nõ ſunt cõfuſi: confuſus autẽ fuit Eſau, Hebr. 12. quia de peccato ſuo non doluit, ſed de damno quod fecit vendendo primogenita. At fortè dicis, cùm tanto iam tempore obſecrantem non liberet me Dominus ab infirmitate corporis, vtique iratus eſt mihi, minúſque adhuc videtur liberaturus à peccatis. Cùm præterea ad memoriam ſæpè redeant, quæ etiam bona fide confeſſus ſum, admoneri mihi videor, adhærere illa conſcientiæ meæ, necdum eſſe abolita. Reſpondeo, fallit te periculoſa iſta argumentatio. Non eſt eadem ratio ægritudinis corporis, quæ peccatorum. Ab his eximi neceſſarium ſimpliciter eſt ad vitam æternam; in quam nihil intrabit coinquinatum. Secus autem ab ea liberari; quin potius, euiſmodi malis affici ſæpè eſt vtile. *Intelligat homo medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſanitatem, non ad damnationem. Sub medico vreris, ſecaris, clamas; non audit medicus ad voluntatem, ſed ad ſanitatem.* Recordari peccata fide bona iam expiata per Pœnitentiæ virtutem & Sacramentum, non diſſuaſerim ſimpliciter, cùm ſcriptum ſit, *De propitiato peccato noli eſſe abſque metu.* Et, *Peccatum meum contra me eſt ſemper*; Et, *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Sed tantùm ſi importuna valdè ſit hæc recordatio, & mentem inclinet tuam ad deſperationem; auoca tunc ab illis cogitationem à ſpiritu malo emanantem, pij & prudentis

S. Auguſt. in Pſal. 21.

Eccleſ. 5. Pſal. 50. Iſaia 38.

dentis Confessarij tui consilium sequere, benti bono vt animo sis, & in sinum te c iicias diuinæ misericordiæ, intra te dice Si euidenter aut valde probabiliter mihi c staret, adhuc à me desiderari aliquid ad portandam illorum veniam, omni posthal ta mora, ad illud manum admouerem. H credo sufficere, & consolare in verbis isti Quod ad profectum in virtutibus, quidam bi iusto maiorem præstituunt; ita enim c piunt culpis omnibus seu magnis seu paru esse vacui, vt tantam etiam perfectionem i hac ipsa vita sibi polliceantur & sperent; qu

Iacob. 3.

quia se non vident impetrare (*in multis enim offendimus omnes*) animo cadunt, contristantur, virtutísque studium prorsus abiiciunt. Nempè ignorant naturæ nostræ imbecillitatem & conditionem; non omnia fieri posse, quæ bonum est expetere. Malefectores omnes (exmpli causa) pœnas dare optabile est; nec tamen id futurum est aliquando, aut potest

Ecclef. 7.

Ad quam perfectionẽ adspirandum.

fieri. Scriptũ est: *Noli esse iustus multùm, neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Ad perfectionem aspirare bonum est, sed instituto & viribus nostris parem; sed ita, vt si quádóque deficiamus, non idcircò actum de nobis aut frustrà laboratum suspicemur. Lege nulla iubemur perfecti esse, sed ad perfectionem tendere; tendit autem, qui licet dum viuit, fastigium eius non attingit, nec omni næuo caret; procedit semper aliquantò vlteriùs & post annos vel menses aliquot se de-

prehen

prehendit seipso meliorem, minus obligatum prioribus vitiis, ad virtutis autem opera promptiorem.

Quod ad victoriam malæ consuetudinis, tantò perniciosiùs est illius spem nolle admittere, quantò promptiùs qui non admittũt, in omne flagitiorum genus seipsos præcipitant. Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Exuitur ægrè, fateor, huiusmodi consuetudo, perindè ac cutis quæ adhæret nobis. *Consuetudo*, ait Plutarchus, *tantùm abest, vt præter naturam sit, vt ipsa velut in naturam quodammodò transeat.* & S. Hieronymus: *Difficile est annosam arborem transplantare.* Vtróque grauior diuinus sermo: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Est nihilominus cur tibi occurrat Apostoli sententia: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quis vnquam illum ipsum ferro & satellitibus armatum aduersus gregem Christianum, ei placatum iri putasset aliquando? Vide tamen Dei gratiam in momento sanantis eum. Manus dedit vocanti se dicens: *Domine quid me vis facere?* Tantus est defensor factus, quantus fuerat persequutor; & impleta est prophetia illa vetus; *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia;* priùs ferocissimi lupi suscepit ingenium; conuersus autem, & totus à se factus alius, conuertit ad Christum plurimos,

Malæ consuetudinis victoria.

Plut. lib. de tuend. valet.

Hier. 13.

Phil. 4.

Act. 9.

Gen. 49.

& quasi spolia variis diuisit & assignauit Ecclesiis. Quis iam desperet se etiam inueteratum dierum malorum posse opitulante Deo à se fieri alium, & prauitatem veterem commutare cum innocentia, qui factum audit de hoste defensorem? Exemplum aliud si requiris, intuere S. Augustinum, quē feruor iuuentutis & adolescentiæ in vanitates multas immerserat; ex quibus tandem sic emersit totus, vt nunquā immersus fuisse videatur. Laborauit sanè vt emergeret: *Voluntas noua*, inquit, *quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus meus, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Et infrà: *Consuetudo aduersum me pugnacior facta erat; quoniam volens quò nollem, perueneram.*

S. Augustinis conuersio.

S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.

Iuuenalis.

Sic canis à corio vix absterrebitur vncto:

Tandem nihilominus euasit superior, & ostendit non omninò recipiendum quod scribit Seneca: *Non qualibet insitionem vitis patitur; si vetus, exesa est; si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum, aut non alet: Hic de quo scribis & mandas, non habet vires, indulsit vitiis simul & emarcuit, & induruit; non potest recipere rationem, non potest nutrire.* Corrigit hanc doctrinam idem sanctus doctor, & ait l. 1. de serm. in monte, c. 15. *Consuetudinem vincere difficillimum est: & tamen illam ipsam si seipsum non deserat homo, Deo duce atque adiuuante superabit.* Addit de seipso, l. 9. Conf. c. 1. *Quàm suaue mihi subito factū est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat,*

Senec. epist. 113.

iam

iam dimittere gaudium erat. Budæus Iuriſconſultus clariſſimus in Germania pudore affectus, vbi pro Rege Franciæ Franciſco Primo legatione fungebatur, quòd reſpondere nequiuiſſet ad quæſtionem quandam de lingua Græca, cuius eo vſque planè rudis fuerat, ſtatim atque domum rediit, octo annis ſolitarius ad S. Maurum (locus eſt vicinus Lutetiæ) delituit eo fine, vt linguam illam peregrinam perfectè ſibi compararet, quod & fecit; nunquam admittens inſurgentem deſperationem, ſæpè irridentem conatus eius, volénſque experiri & verum probare quod dici ſolet: *Labor omnia vincit improbus.* Sueno ſimiliter Sacellanus Regis Sueciæ grauiter obiurgatus, quòd publicas pro eo legens preces, publicum dediſſet inſcitiæ ſuæ non ferendæ teſtimonium, & cum legendum eſſet; *Vt Regem noſtrum famulum tuum conſeruare digneris; te rogamus audi nos*, legiſſet: *Vt Regem noſtrum mulum tuũ*, &c. vrgente confuſione id aggreſſus eſt & aſſecutus, quod ab omni ſpe videbatur alieniſſimum, ad literas adiecit animum tanta pertinacia, vt euaſerit in virum doctiſſimum, aſſumptúſque fuerit ad Epiſcopatum de Roſcheld. Horum exemplo veterem nullum morem puta inſuperabilem, tantum aggredere, & benè cœpiſſe interpretare facti dimidium, tibique fidenter promitte maiorem in dies facilitatem, eoque maius meritum apud Deum, quo magis in moris illius praui extirpatione deſudaueris. Cuius radices quia

H conta

contagiosæ sunt, ad vnam vsque quoad pot- tis reuelle omnes, ne germinent. Imita Græcos, qui capta Troia non antè quieuerun nec in patriam redierunt, quàm enecaretu Astianax Hectoris filius, veriti ne semine ho superstite instauraretur Troia, denuóque re bellaret. Concludam, si rursus dixerò, magnus morbus, magnum malum secundum peccatum est praua consuetudo: sed simul magnus medicus Christus, de quo si virtus exibat & sanabat omnes ægros corpore, à quacumque detinerentur infirmitate, Luc. 6. Ioan. 5. cur non etiam mente ægros curare poterit? Olim despondere animum infirmi non poterant, qui Hippocrati sistebantur, & ecce plusquam Hippocrates hîc.

Quod ad perseuerantiam, quorsum eius spem valere iubeas, si agere bene vt dictum est, viriliter incipias? Si egregia cœpta prosequare fortiter? Quò progrediere longius, eò minus viæ, minus item vt dixi laboris supererit, cur ergo non speres magis ac magis? An quia multi vrbibus viciniores facti ad quas tendebant, in via nihilominus defecerunt, antequam peruenirent? Canes similiter non pauci inhiantes leporibus & prædis aliis, ab inchoato cursu abstinent. Quid? non vides hæc cōmemorans viatores longè plures, plurimum recreari emenso longo spatio, nec prius interquiescere, quàm in vrbes illas pedem intulerint? Canes similiter cum se sentiunt cursu prædam vincere, sensimque fieri

vicinio

viciniores, indicare & testificari latratu crebro ardorem nouum, nouas item & quasi accessorias vires corporis, tantum abest, vt ad intermissionem cursus propendeant. Deinde non est par ratio eorum quæ commemoras, quia viribus præcipuè corporis, tam via illa, quàm cursus iste peragitur, quas motu longissimo palàm est extenuari & frangi: vires autem animi sunt (hoc est facultatis spiritualis, nec ita fatigabilis) quibus inchoatur salutis via & inchoata peragitur. Si tibi non desis, nihil omninò deerit ad consummationem. A te & Deo res tota pendet, Deum non defuturum cooperanti, nec negaturum gratiam efficacem ex diuina eius promissione liquet, eaque firmata iureiurando, vt *per duas res immobiles*, sicut loquitur beatus eius Apostolus, *quibus impossibile est, mentiri eum*, firmam fidem faceret. Promissionem insinuant verba illa, Isai. 5. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Ephes. 2. *Diues in omnes qui inuocant illum.* Iac. 1. *Dat omnibus affluenter & nulli improperat.* Imprudentes sunt Nautæ plurimi, sed nullus adeò, vt nauim onustam bonis mercibus, & iam portui vicinam negligat. Minus adhuc est, cur te suspicere iam diu Deo seruientem, & salutis portui in dies appropinquantem ab illo desertum iri. Facito tantum quod in te est, non deerit, sed *qui dedit velle, dabit & perficere pro bona voluntate.* Ne dicas: O si me scirem perseueraturum! Fac quod faceres si certò scires, & tunc perseuerabis, & securus eris.

Hebr. 6.

Philip. 2.

§. 6. Quod ad ſpem minus præcipuorum communiumque negotiorum, Theologic non eſt; quia obiectum non habet diuinum & ſupernaturale; ſed humana, & acquiſita præuiis experientiis & coniecturis aliis futuri effectus qui quæritur. Sed neque tam certa ſeu firma ex genere ſuo, quia certitudo Theologicæ oritur ex certo concurſu Dei & hominis: Poteſt autem homo valde probabiliter noſſe, an ſufficienter cooperetur ad ſalutem ſuam ſummíque boni adeptionem; poſita autem eius cooperatione, non poteſt de diuina eſſe dubitatio. In humanis autem negotiis non ita certi eſſe poſſumus de concurſu Dei, noſtro etiam ſuppoſito, tum quia pro iis nullibi extant promiſſiones tam ſeriæ; tum quia ſæpè non expedit vt fiat bonum ad quod aſpiramus, licet expedire iudicemus, & quia non expedit aut non decet, conatibus noſtris non fauet Deus, nec deducit eos ad optatum finé. Nec tamen idcirco reprobat pium illum conatum noſtrum, & voluntatem, ſicut nec piam perſuaſionem adfuturi diuini auxilij, ſed potius parat ei mercedem. Exemplum, nititur quis peccatorem ad bonam frugem traducere; optimum profectò ſibi opus præſtitnit, fortè etiam nihil prætermittit quod ad id faciat, & adhibendo quæ poteſt omnia, totus in ſpe eſt illum conuertendi; fortè tamen nón conuertet, quia ille forſitan libera voluntate ſua repugnabit, & repugnando pertinaciter, indignum ſe præbebit, quem efficaciter Deus

moueat,

moueat. An poteſt vir ille pius, partes ſuas integrius agere quam Angeli? Ecce interim non impetrant ſemper à clientibus ſuis, quod cupiunt, vnde dicunt apud Prophetam: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Atque hæc eſt cauſa, cur idem vir pius & prudens in eiuſmodi rebus dicere ſoleat: *Hoc ſpero me perfecturum, ſi Deus voluerit*, inſinuans videlicet, ideò non ita firmiter ſperare ſe, quòd exploratam non habeat Dei voluntatem. Rectè tamen ſperat, quando adſunt media, quorum vſu ſpes niti poſſit, rectè de Dei voluntate déque diuino præſumit auxilio, quando bonus aut neceſſarius eſt finis qui intenditur, de Deo quippe ſentiendum eſt in bonitate. *Quid metuit Christianus*, ait S. Auguſt. *quando admonetur ſic orare, ſic præſumere, ſic fidere vt dicat: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Dixi, *quando adſunt media*, quia ſi deſunt omnia, nulla eſt ſperandi ratio ne quidem ex parte Dei, prout inſiſtit communi ſuo agendi modo, vnde non peccat qui tunc de fine illo aſſequendo deſperat. Nam iuxta hunc modum vtitur cauſis ſecundis certiſque mediis; quæ cum ſubtrahit omnia, hoc ipſo indicat, nolle ſe quod quærebatur concedere ob cauſas ſæpe quidem occultas nobis, ſemper tamen æquiſſimas. Hoc ſenſu videtur Dauid deſperaſſe ſe poſſe euadere manus Saul 1.Reg. 23. humanitus, inquam, loquendo, aliàs cum ex diuina reuelatione ſciret, regnaturum poſt Saul, dubitare non

Hier. 51.

S. Aug. lib. 2. de ſymb. cap. 2.

poterat de diuina erga se prouidentia, quæ vt in textu habetur, mox ipsi adfuit. Sic quoque ait Apostolus Rom. 4. Abraham *in spem contra spem* credidisse. Nec tamen id obstat, quominus in graui necessitate aut periculo, possit quiuis ad Deum sese conuertere, si fortè velit vel nouum salutis offerre medium, vel supplere illud virtute propria, vt supplet interdum, & periclitantes miraculosè adiuuat, vt quondam tres pueros in fornace Babylonis. Sin adsit medium aliquod, vel eiusmodi finis est vitæ conseruatio, aut aliquid aliud necessarium, & valde bonum, vel non. Si primum, tunc medio etiam paruo vti conuenit, & Dei opem tanto magis expectare, quantò melius est opus magisve necessarium, quantò item fortiùs sæpè concurrit, cùm ex parte naturæ vel hominum nihil fermè est adminiculi. *Quando res in maximam inciderit inopiam, spera maximè*, verba sunt S. Chrysostomi, *tunc enim Deus maximè suam ostendit potentiam.* Et infrà: *hoc est enim tempus diuini auxilij.* Vnde Philo Iudæus videns se & socios repulsam passos à Caio Caligula, apud quem legatione fungebatur, omnes bono animo iussit esse, dicens: *Humanis rebus desperatis minimè defuturum Deum ad opitulandum, sed si vnquam aliàs, tunc presto fore.* Et sanè tunc valde glorificatur Deus eo, ab cuius spem nihilominus videt in diuinam opem recumbere; & quia glorificatur, adiuuat sperantem, iuxta illud Psal. 90. *Quoniam sperauit in me, liberabo*

S. Chrys. in Psal. 117.

Euseb. lib. 2. cap. 5.

liberabo eum ; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Si ſecundum, non eſt prudentis ſperare, quando medium infirmum eſt, minus adhuc vi huius ſpei tendere ad bonum expetitum per tale medium, vel malum declinare. Quis rogo à ſpe laudabit pauciſſimos milites expugnare volentes ingentem exercitum (niſi fortè authore Deo id faciat) vel impetum ei facienti repugnantes, vt vitam ſuam tueantur, ſi fugiendo poſſint? (alia eſſet ratio, ſi nullus daretur fugæ locus) nemo profectò, ſed eos perperam potius dicet audere, & tentare Deum, & brutis eſſe inſipientiores; quandoquidem bruta natura duce deſiſtunt à conatibus ſuis, ſi procul ſe eſſe videant à conſecutione boni quod proſequuntur, vt canes à curſu, ſi procul diſtare leporem, aut intra lucum ſeſe abdere animaduertant. Hoc vnum ſupereſt, quod moneam, fulcrum præcipuum ſpei tuæ non ſit humana facultas vel induſtria, ſed diuinæ bonitatis fauor & opitulatio. Viciſſim ne teipſum conſtituas ſpem alicuius potiſſimam, nec cum Cæſare nautæ dicas trepidanti exortis fluctibus: *Noli timere, fortuna Cæſaris tecum vadit.* ſcriptum eſt enim, *maledictus homo qui ponit carnem brachium ſuum*, id eſt, qui de arte potentiaque humana ſic ſentit, vt ſitum in ea credat auxilium præcipuum. Dic tu potius, & tecum quilibet: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Et Pſal. 61. *Spes mea in Deo eſt*, non excidant tibi verba

Plut. lib. de Fort. Rom.
Hier. 17.
Pſal. 123.

dentis Confessarij tui consilium sequere, iubenti bono vt animo sis, & in sinum te con iicias diuinæ misericordiæ, intra te dicens Si euidenter aut valde probabiliter mihi cõstaret, adhuc à me desiderari aliquid ad reportandam illorum veniam, omni posthabita mora, ad illud manum admouerem. Hoc credo sufficere, & consolare in verbis istis.

Quod ad profectum in virtutibus, quidam sibi iusto maiorem præstituunt; ita enim cupiunt culpis omnibus seu magnis seu paruis esse vacui, vt tantam etiam perfectionem in hac ipsa vita sibi polliceantur & sperent; quá

Iacob. 3.

quia se non vident impetrare (*in multis enim offendimus omnes*) animo cadunt, contristantur, virtutísque studium prorsus abiiciunt. Nempè ignorant naturæ nostræ imbecillitatem & conditionem; non omnia fieri posse, quæ bonum est expetere. Malefectores omnes (exmpli causa) pœnas dare optabile est; nec tamen id futurum est aliquando, aut potest

Eccles. 7.

Ad quam perfectionẽ adspirandum.

fieri. Scriptũ est: *Noli esse iustus multùm, neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Ad perfectionem aspirare bonum est, sed instituto & viribus nostris parem; sed ita, vt si quádóque deficiamus, non idcircò actum de nobis aut frustrà laboratum suspicemur. Lege nulla iubemur perfecti esse, sed ad perfectionem tendere; tendit autem, qui licet dum viuit, fastigium eius non attingit, nec omni næuo caret; procedit semper aliquantò vlteriùs & post annos vel menses aliquot se depreben

prehen

prehendit seipso meliorem, minus obligatum prioribus vitiis, ad virtutis autem opera promptiorem.

Quod ad victoriam malæ consuetudinis, tantò perniciosiùs est illius spem nolle admittere, quantò promptiùs qui non admittũt, in omne flagitiorum genus seipsos præcipitant. Ephes. 4. *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immundiciæ omnis, in auariciam.* Exuitur ægrè, fateor, huiusmodi consuetudo, perindè ac cutis quæ adhæret nobis. *Consuetudo*, ait Plutarchus, *tantùm abest, vt præter naturam sit, vt ipsa velut in naturam quodammodò transeat.* & S. Hieronymus: *Difficile est annosam arborem transplantare.* Vtróque grauior diuinus sermo: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Est nihilominus cur tibi occurrat Apostoli sententia; *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quis vnquam illum ipsum ferro & satellitibus armatum aduersus gregem Christianum, ei placatum iri putasset aliquando? Vide tamen Dei gratiam in momento sanantis eum. Manus dedit vocanti se dicens: *Domine quid me vis facere?* Tantus est defensor factus, quantus fuerat persequutor; & impleta est prophetia illa vetus; *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia;* priùs ferocissimi lupi suscepit ingenium; conuersus autem, & totus à se factus alius, conuertit ad Christum plurimos,

Mala consuetudinis victoria.

Plut. lib. de tuend. valet.

Hier. 13.

Phil. 4.

Act. 9.

Gen. 49.

&

& quasi spolia variis diuisit & assignauit Ecclesiis. Quis iam desperet se etiam inueteratum dierum malorum posse opitulante Deo à se fieri alium, & prauitatem veterem commutare cum innocentia, qui factum audit de hoste defensorem? Exemplum aliud si requiris, intuere S. Augustinum, quē feruor iuuentutis & adolescentiæ in vanitates multas immerserat; ex quibus tandem sic emersit totus, vt nunquā immersus fuisse videatur. Laborauit sanè vt emergeret: *Voluntas noua*, inquit, *quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruique te vellem Deus meus, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam.* Et infrà: *Consuetudo aduersum me pugnacior facta erat; quoniam volens quò nollem, perueneram.*

S. Augustini conuersio.

S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.

Iuuenalis. *Sic canis à corio vix absterrebitur vncto:*

Tandem nihilominus euasit superior, & ostendit non omninò recipiendum quód scribit Seneca: *Non qualibet insitionem vitis patitur; si vetus, exesa est; si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum, aut non alet: Hic de quo scribis & mandas, non habet vires, indulsit vitiis simul & emarcuit, & indurauit; non potest recipere rationem, non potest nutrire.* Corrigit hanc doctrinam idem sanctus doctor, & ait l. 1. de serm. in monte, c. 15. *Consuetudinem vincere difficillimum est: & tamen illam ipsam si seipsum non deserat homo, Deo duce atque adiuuante superabit.* Addit de seipso, l. 9. Conf. c. 1. *Quàm suaue mihi subito factū est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus si erat,*

Senec. epist. 113.

iam dimittere gaudium erat. Budæus Iurisconsultus clarissimus in Germania pudore affectus, vbi pro Rege Franciæ Francisco Primo legatione fungebatur, quòd respondere nequiuisset ad quæstionem quandam de lingua Græca, cuius eo vsque planè rudis fuerat, statim atque domum rediit, octo annis solitarius ad S. Maurum (locus est vicinus Lutetiæ) delituit eo fine, vt linguam illam peregrinam perfectè sibi compararet, quod & fecit; nunquam admittens insurgentem desperationem, sæpè irridentem conatus eius, volénsque experiri & verum probare quod dici solet: *Labor omnia vincit improbus.* Sueno similiter Sacellanus Regis Sueciæ grauiter obiurgatus, quòd publicas pro eo legens preces, publicum dedisset inscitiæ suæ non ferendæ testimonium, & cum legendum esset; *Ut Regem nostrum famulum tuum conseruare digneris; te rogamus audi nos*, legisset: *Ut Regem nostrum mulum tuũ*, &c. vrgente confusione id aggressus est & assecutus, quod ab omni spe videbatur alienissimum, ad literas adiecit animum tanta pertinacia, vt euaserit in virum doctissimum, assumptúsque fuerit ad Episcopatum de Roschéld. Horum exemplo veterem nullum morem puta insuperabilem, tantum aggredere, & benè cœpisse interpretare facti dimidium, tibique fidenter promitte maiorem in dies facilitatem, eoque maius meritum apud Deum, quo magis in moris illius praui extirpatione desudaueris. Cuius radices quia

contagiosæ sunt, ad vnam vsque quoad poteris reuelle omnes, ne germinent. Imitare Græcos, qui capta Troia non antè quieuerunt, nec in patriam redierunt, quàm enecaretur Astianax Hectoris filius, veriti ne semine hoc superstite instauraretur Troia, denuóque rebellaret. Concludam, si rursus dixero, magnus morbus, magnum malum secundum peccatum est praua consuetudo: sed simul magnus medicus Christus, de quo si virtus exibat & sanabat omnes ægros corpore, à quacumque detinerentur infirmitate, Luc.6. Ioan.5. cur non etiam mente ægros curare poterit? Olim despondere animum infirmi non poterant, qui Hippocrati sistebantur, & ecce plusquam Hippocrates hîc.

Quod ad perseuerantiam, quorsum eius spem valere iubeas, si agere bene vt dictum est, viriliter incipias? Si egregia cœpta prosequare fortiter? Quò progrediere longius, eò minus viæ, minus item vt dixi laboris supererit, cur ergo non speres magis ac magis? An quia multi vrbibus viciniores facti ad quas tendebant, in via nihilominus defecerunt, antequam peruenirent? Canes similiter non pauci inhiantes leporibus & prædis aliis, ab inchoato cursu abstinent. Quid? non vides hæc cõmemorans viatores longè plures, plurimum recreari emenso longo spatio, nec prius interquiescere, quàm in vrbes illas pedem intulerint? Canes similiter cum se sentiunt cursu prædam vincere, sensimque fieri vicinio

viciniores, indicare & testificari latratu crebro ardorem nouum, nouas item & quasi accessorias vires corporis, tantum abest, vt ad intermissionem cursus propendeant. Deinde non est par ratio eorum quæ commemoras, quia viribus præcipuè corporis, tam via illa, quàm cursus iste peragitur, quas motu longissimo palàm est extenuari & frangi: vires autem animi sunt (hoc est facultatis spiritualis, nec ita fatigabilis) quibus inchoatur salutis via & inchoata peragitur. Si tibi non desis, nihil omninò deerit ad consummationem. A te & Deo res tota pendet, Deum non defuturum cooperanti, nec negaturum gratiam efficacem ex diuina eius promissione liquet, eaque firmata iureiurando, vt *per duas res immobiles*, sicut loquitur beatus eius Apostolus, *quibus impossibile est, mentiri eum*, firmam fidem faceret. Promissionem insinuant verba illa, Isai. 5. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Ephes. 2. *Diues in omnes qui inuocant illum.* Iac. 1. *Dat omnibus affluenter & nulli improperat.* Imprudentes sunt Nautæ plurimi, sed nullus adeò, vt nauim onustam bonis mercibus, & iam portui vicinam negligat. Minus adhuc est, cur te suspicere iam diu Deo seruientem, & salutis portui in dies appropinquantem ab illo desertum iri. Facito tantum quod in te est, non deerit, sed *qui dedit velle, dabit & perficere pro bona voluntate.* Ne dicas: O si me scirem perseuaturum! Fac quod faceres si certò scires, & tunc perseuerabis, & securus eris. Hebr. 6. Philip. 2.

§. 6. Quod ad ſpem minus præcipuorum communiumque negotiorum, Theologica non eſt; quia obiectum non habet diuinum & ſupernaturale; ſed humana, & acquiſita præuiis experientiis & coniecturis aliis futuri effectus qui quæritur. Sed neque tam certa ſeu firma ex genere ſuo, quia certitudo Theologicæ oritur ex certo concurſu Dei & hominis: Poteſt autem homo valde probabiliter noſſe, an ſufficienter cooperetur ad ſalutem ſuam ſummíque boni adeptionem; poſita autem eius cooperatione, non poteſt de diuina eſſe dubitatio. In humanis autem negotiis non ita certi eſſe poſſumus de concurſu Dei, noſtro etiam ſuppoſito, tum quia pro iis nullibi extant promiſſiones tam ſeriæ; tum quia ſæpè non expedit vt fiat bonum ad quod aſpiramus, licet expedire iudicemus, & quia non expedit aut non decet, conatibus noſtris non fauet Deus, nec deducit eos ad optatum finé. Nec tamen idcirco reprobat pium illum conatum noſtrum & voluntatem, ſicut nec piam perſuaſionem adfuturi diuini auxilij, ſed potius parat ei mercedem. Exemplum, nititur quis peccatorem ad bonam frugem traducere: optimum profectò ſibi opus præſtituit, fortè etiam nihil prætermittit quod ad id faciat, & adhibendo quæ poteſt omnia, totus in ſpe eſt illum conuertendi; fortè tamen non conuertet, quia ille forſitan libera voluntate ſua repugnabit, & repugnando pertinaciter, indignum ſe præbebit, quem efficaciter Deus moueat,

moueat. An poteſt vir ille pius, partes ſuas integrius agere quam Angeli? Ecce interim non impetrant ſemper à clientibus ſuis, quod cupiunt, vnde dicunt apud Prophetam: *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata.* Atque hæc eſt cauſa, cur idem vir pius & prudens in eiuſmodi rebus dicere ſoleat: *Hoc ſpero me perfecturum, ſi Deus voluerit*, inſinuans videlicet, ideò non ita firmiter ſperare ſe, quòd exploratam non habeat Dei voluntatem. Rectè tamen ſperat, quando adſunt media, quorum vſu ſpes niti poſſit, rectè de Dei voluntate déque diuino præſumit auxilio, quando bonus aut neceſſarius eſt finis qui intenditur, de Deo quippe ſentiendum eſt in bonitate. *Quid metuit Chriſtianus*, ait S. Auguſt. *quando admonetur ſic orare, ſic præſumere, ſic fidere vt dicat: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Dixi, *quando adſunt media*, quia ſi deſunt omnia, nulla eſt ſperandi ratio ne quidem ex parte Dei, prout inſiſtit communi ſuo agendi modo, vnde non peccat qui tunc de fine illo aſſequendo deſperat. Nam iuxta hunc modum vtitur cauſis ſecundis certiſque mediis; quæ cum ſubtrahit omnia, hoc ipſo indicat, nolle ſe quod quærebatur concedere ob cauſas ſæpe quidem occultas nobis, ſemper tamen æquiſſimas. Hoc ſenſu videtur Dauid deſperaſſe ſe poſſe euadere manus Saul 1.Reg. 23. humanitus, inquam, loquendo, aliàs cum ex diuina reuelatione ſciret ſe regnaturum poſt Saul, dubitare non

Hier. 51.

S. Aug. lib. 2. de ſymb. cap. 1.

poterat de diuina erga se prouidentia, quæ vt in textu habetur, mox ipsi adfuit. Sic quoque ait Apostolus Rom. 4. Abraham *in spem contra spem* credidisse. Nec tamen id obstat, quominus in graui necessitate aut periculo, possit quiuis ad Deum sese conuertere, si fortè velit vel nouum salutis offerre medium, vel supplere illud virtute propria, vt supplet interdum, & periclitantes miraculosè adiuuat, vt quondam tres pueros in fornace Babylonis. Sin adsit medium aliquod, vel eiusmodi finis est vitæ conseruatio, aut aliquid aliud necessarium, & valde bonum, vel non. Si primum, tunc medio etiam paruo vti conuenit, & Dei opem tanto magis expectare, quantò melius est opus magisve necessarium, quantò item fortiùs sæpè concurrit, cùm ex parte naturæ vel hominum nihil fermè est

S. Chrys. in Psal. 117.

adminiculi. *Quando res in maximam inciderit inopiam, spera maximè*, verba sunt S. Chrysostomi, *tunc enim Deus maximè suam ostendit potentiam*. Et infrà: *hoc est enim tempus diuini auxilij*. Vnde Philo Iudæus videns se & socios repulsam passos à Caio Caligula, apud

Euseb. lib. 2. cap. 5.

quem legatione fungebatur, omnes bono animo iussit esse, dicens: *Humanis rebus desperatis minimè defuturum Deum ad opitulandum, sed si vnquam aliàs, tunc præsto fore*. Et sanè tunc valde glorificatur Deus eo, ab cuius spem nihilominus videt in diuinam opem recumbere; & quia glorificatur, adiuuat sperantem, iuxta illud Psal. 90. *Quoniam sperauit in me, liberabo*

liberabo eum ; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Si secundum, non est prudentis sperare, quando medium infirmum est, minus adhuc vi huius spei tendere ad bonum expetitum per tale medium, vel malum declinare. Quis rogo à spe laudabit paucissimos milites expugnare volentes ingentem exercitum (nisi fortè authore Deo id faciat) vel impetum ei facienti repugnantes, vt vitam suam tueantur, si fugiendo possint? (alia esset ratio, si nullus daretur fugæ locus) nemo profectò, sed eos perperam potius dicet audere, & tentare Deum, & brutis esse insipientiores; quandoquidem bruta natura duce desistunt à conatibus suis, si procul se esse videant à consecutione boni quod prosequuntur, vt canes à cursu, si procul distare leporem, aut intra lucum sese abdere animaduertant. Hoc vnum superest, quod moneam, fulcrum præcipuum spei tuæ non sit humana facultas vel industria, sed diuinæ bonitatis fauor & opitulatio. Vicissim ne teipsum constituas spem alicuius potissimam, nec cum Cæsare nautæ dicas trepidanti exortis fluctibus: *Noli timere, fortuna Cæsaris tecum vadit.* scriptum est enim, *maledictus homo qui ponit carnem brachium suum*, id est, qui de arte potentiaque humana sic sentit, vt situm in ea credat auxilium præcipuum. Dic tu potius, & tecum quilibet: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Et Psal. 61. *Spes mea in Deo est*, non excidant tibi verba

Plut. lib. de Fort. Rom.

Hier. 17.

Psal. 123.

Iudith. c. 6. ad Dominum. *Non derelinquis præsumentes de te; & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.*

De Regulis Prudentiæ circa Charitatem erga Deum.

CAPVT VII.

§. 1. *Charitatis seu amoris in Deum dignitas & pretium.*
2. *Deus præcipuè diligendus vt author gratiæ.*
3. *Ex toto corde ac supra omne amabile.*
4. *Constanter, & efficaciter.*
5. *Quo potissimum tempore.*
6. *Sub qua verborum formula.*

(3–6:) *diligendus est Deus.*

§. 1. Qvo impensius diligamus Deum, & obseruemus in hac dilectione quæ oportet, iuuerit præfari aliquid de eius dignitate; ad quam patefaciendã, propè sufficit dicere virtutem esse, à qua ipse sibi nomen
1. Ioan. 4. quærit *Deus charitas est.* Neque enim ab aliis quàm nobilissimis rebus solent viri Principes sua sibi quærere. Vnde Nabuchodonozor volens honorem à nomine Danieli con-
Dan. 4. ciliare, voluit vt Baltassar diceretur *secundum nomen Dei sui.* Eadem pretio & maiestate

præit

præit virtutibus cæteris,& prima quasi regina graditur comitata pedissequis. *Maior horũ est charitas*. 1. Cor.13. Omnis generis bona post se trahit,vt meritò dicere possit possessor eius: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Sap.7. Diuinæ gratiæ peccatorem restituit, Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*. Eundem eidem copulat. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*. Titulum confert filiorum Dei,1.Ioan.3.*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater,vt filij Dei nominemur & simus*. Atque ita secernit eos à filiis Diaboli,vt notat S. Augustinus:*Signent se omnes signo crucis,respondeant Amen,cantent Halleluia, baptizentur omnes,intrẽt Ecclesias,faciant parietes Basilicarum, non discernuntur filij Dei à filiis Diaboli,nisi charitate*. S. Aug. Tract.1. in epist. Ioan. Vinculum denique est perfectionis, Colos.3. quia scribit S.Chrysost. *Sicut nihil prosunt, sed diffluunt partes nauis,& humani corporis si desint tabulata,& contignationes, & ligamenta,quibus inter se deuinciantur: Ita nec virtutes cæteræ aut virtutum opera,nisi in charitate fiant*. S. Chrys. in cap.3. ad Coloss. His permoti Theologi vocant eam formam virtutum,quòd sicut materia sine forma inuenusta est, paruique pretij, sic planè istæ nisi accedat charitas, nec ius tribuunt ad vitam æternam. Hæc si non sufficiunt,scito charitatem vel eandem omninò esse cùm gratia, vel ab ea prorsus inseparabilem; Per gratiam autem simus *diuinæ consortes naturæ*, 1. Pet.1. ita scilicet vt in nobis gratia præditis habitet Deus singulari & nouo modo, non quasi in loco extraneo sibique

inimico, ſicut ante iuſtificationem, ſed velut in templo & domicilio ſuo. Scito præterea charitatem ab Apoſtolo præ omnibus commendari, Col.3. *Super omnia autem charitatem habete.* Et 1.Cor.12. *Adhuc excellentiorem vobis viam demonſtro.* Quæ verba de charitate intelligenda eſſe docet S. Auguſt.Tract. 118. in Io. & in Ench. c.17.ita loquitur: *Qui rectè amat, procul dubio rectè credit & ſperat, qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi vera ſint quæ credit. Sine charitate fides quidem eſſe poteſt, ſed non prodeſſe,* & lib.13.de Trinit.c.18. *Hæc eſt margarita precioſa, ſine qua nihil tibi prodeſt quodcumque habueris, quam ſi ſolam habeas, ſufficit tibi.*

§. 2. Quia nullum bonum diligitur, niſi antè cognitum, vt docet S.Thom. 1.2. quæſt. 4. art. 3. fit vt pro cognitionis diuerſitate reſultet amor alius atque alius. Et quidem Dei cognitio duplex eſt, naturalis & ſupernaturalis. Illa dicitur, quam naturæ viribus ſeu ratiocinando comparare nobis poſſumus inſpectis creaturis velut Dei effectibus, de qua intelligendum eſt illud, Pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Rom. 1. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, conſpiciuntur.* Hac via cognouerunt priſci Philoſophi aliquem eſſe Deum, omnium quæ videmus architectum, ſapientiſſimum, præpotentem, virtutum remuneratorem; vindicem vitiorum. *Quis eſt tam vecors,* ait Cicero, *qui cùm ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quiſquam ordine*

Cic.lib.de Aruſp. reſp.

neno

nem rerum ac vicissitudinem persequi possit? Supernaturalis verò est, ad quam penetrare nequit vis naturalis intellectus, sed deducit nos sola à Deo facta reuelatio, non confirmans duntaxat testimonio suo certissimo veritates complures quas insinuat nobis humana ratiocinatio, vt mundi creationem, animæ immortalitatem; sed plurimas alias patefaciens omni captu nostro superiores, de quarum vna ait Christus Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus qui in cælis est.* Huius generis has quoque puta Deum vnicum esse in natura & essentia; in personis trinum, patrem, filium, & spiritum sanctum, à quarum prima sit secunda genita modo diuino, qui fit per amorem mutuum. Esse item optimum, simplicissimum, perfectissimum, eo modo quo docet fides Catholica, gratia sua sanctificantem animas, verè omnipotentem, ac futurum aliquando nostrum omnium Iudicem, à quo æterna fœlicitate donabuntur boni, in æternum contra inenarrabilibus pœnis punientur mali, &c. Iam dico, sicut cognitio hæc posterior, longè priore angustior est; ita planè amor, seu dilectio quæ ita nititur, ordinis est supernaturalis, & longè præstantior ea, cuius fundamentum ponitur cognitio Dei naturalis, non secus ac reuerentia exhibita Christo vt Deo, longè præcellebat eam, quam deferebant, qui eum vt hominem vel Prophetam considerabant; & adoratio Regis apprehensi vt Rex est, multo

multo vincit eam quæ defertur, quando magnus tantum nobilis esse creditur. Cum itaque charitas sit summus & nobilissimus Dei amor qui esse potest, postulat vt non diligatur solum quasi naturæ author; sed multo magis vt author principiumque gratiæ & gloriæ.

§. 3. Nondum hoc sufficit, videndum prætereà vt propter semetipsum diligatur, omnia autem alia propter ipsum. Scribit S. August. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Exigit præterea non partem cordis nostri, sed ipsum totum, & ait: *Prabe mihi fili cor tuum*, totum autem ei non datur, quando pars amoris nostri in aliquid tendit, quod propter ipsum non diligitur, quia hoc ipso in eum non tendit; secus autem fieret, si res eiusmodi propter ipsum diligeretur. Vbi notandum, tunc solum diligi aliquid propter Deum, quando diligitur quantum, & eo modo quo præscribit Deus, non plus nec aliter. Ita fit vt non possit impudicè diligi mulier propter ipsum. Nunc ad rem. Diligitur Deus propter se, quandò nec solùm, nec præcipuè diligitur propter aliud, puta ob temporalia, vel æterna bona quæ confert, aut paratus est conferre: sed propter inditas ipsi rationes, perfectiones, & amoris causas, quæ faciunt illum amore nostro dignissimum; vt quia est infinitè excellens, nobilis, bonus; qui fecit nos non cõmodi alicuius sui gratia, sed nostri dũtaxat, quibus se communicare voluit per creatiõné, nullis obsequiis nostris prouocatus, sed vt bo-

S. Aug. l. 10. Conf. c. 29.

Prou 23.

nitatis illius suæ diuitias ostenderet. Qui insuper tam est misericors, tam patienter ineptias & improbos mores nostros sustinet, tam facile in gratiam nos recipit. Qui denique omnem qua prædiri sumus, contulit nobis amandi facultatem, quam idcircò meritò vult in se vnum conuerti. Nam & *flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur.* Eccles. 1. Preciosus ac nobilis est hic amor, nec parum cedit in honorem Dei: vndè laudat Poëta Cæsarem, quòd ita diligeretur.

Diligeris populo non propter præmia Cæsar, Martialis.
Propter te populus præmia Cæsar amat. l. 8 Epigr. 51.

Contrà, qui propter beneficia sola, aut præcipuè, in Dei amorem assurgit, non amaturus nisi illa acciperet, mercenarius est, Deo anteponit eiusmodi beneficia, dignus ob tantam peruersitatem qui in inferno cum damnatis locum sortiatur (à quibus sic præposterè Deus diligebatur) iuxta prophetiam Ps. 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Introibit vsque in progenies patrum suorum, & in æternum nō videbit lumen.* Est prætereà in amando inconstantissimus. *Huiusmodi amicitiæ,* quæ nituntur sola beneficentia, *dissolui facilè possunt*, inquit Aristoteles, *cum similes ipsi non permaneant. Nā non amplius iucundi aut vtiles fuerint*, supple benefactores, *amare desistunt*, qui scilicet beneficium ab illis acceperunt. Arist. l. 8. Eth. c. 3. Hæc tamen non obstant, quò minus propter beneficia, diligere Deum cuique liceat (dummodò vt dixi, incéuo hoc solo aut præcipuè ad id non moueatur,

Ioan.3. tur,ſed paratus ſit amare ipſum, quamuis non benefaceret)&ſingulariter,quia ſic dilexit nos, ſic ſalutis noſtræ curam egit, vt vnigenitum ſuum voluerit fieri hominem,& factum dederit in mortem, paſſuſque ſit crucifigi, & pro nobis pati, *vt omnis qui credit in eum*, & facit quæ iubet, *non pereat*,qui aliàs erat periturus, *ſed habeat vitam æternam.*

§. 4. Ex his manifeſtum relinquitur, quid ſit diligere propter Deum omnia, & diligere Deum ex toto corde,nempè diligere ipſum,& nihil aliud niſi propter ipſum.Hac enim ratione fit, vt diligatur in ſe & in omnibus, & amor noſter totus in ipſum deſinat, & poſſit ei
Pſal.72. dicere, *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Dicendum iam reſtat, quid ſit diligere Deum ſuper omnia, & quomodo poſſimus ad gradum hunc dilectionis peruenire. Ad quod reſpondeo, non eſſe illum diligere intenſiùs ſeu ardentiùs & ſecundum maiorem conatum,ponduſque facultatis amantis,quàm aliquid aliud, quia licet optimum id ſit, laudeque digniſſimum;nullibi tamen præceptum legitur; nec mirum, cùm ſit res perdifficilis, proptereà quod amoris intenſio pendere ſolet à vehementi motu phantaſiæ, & appetitus ſenſibilis; quæ facultates natæ non ſunt moueri à Deo, vtpotè obiecto ſpirituali, ſed à ſenſibus, quæ proinde ſi apprehendantur vt magna bona, amore valde intenſo amantur naturaliter, non ita Deus contraria de

cauſa.

causa. Quare diligere Deum super omnia sensu quo tenemur, potiùs est eligere illum præ omnibus, vtpotè omnia dignitate pretioque superantem, & habere malle quàm quodcumque aliud; magis rursus eius formidare offensionem & iacturam, quàm rei alterius cuiuscumque. Est prætereà optare ei & quidem soli omne bonum (quandoquidem amare est bonum velle alicui, vt tradit Arist. lib. 2. Rhet. cap. 4.) verbi gratia, vt semper sit omnipotens, in se beatissimus, iustissimus; vt colatur, timeatur, ametur ab omnibus, (quæ si faceret homo non peccaret mortaliter; peccando autem non vult ipsemet parere, & subesse Deo, non ei placet diuina iustitia, seueritatem eius refugit experiri.) Sic sanè quoad appretiationem, vt loquuntur Theologi, omnibus antefertur; sic pater plus diligit primogenitum suum strenuè laborantem, & futurum columen domus, quàm filium adhuc puerum & blandientem; esto, huic plura det signa beneuolétiæ, & quoad sensum corporisque immutationem magis erga eundem afficiatur. Hæc ipsa ratio magis diligendi, nempè quoad appretiationem, est riore illa nobilior, certior, conuenientior. Nobilior, quia in Deo & creaturis ratione tentibus inuenitur; non autem in brutis, vt tior. Neque enim norunt bruta duo inter se ona cõparare, & maius discernere. Certior, uia non est procliue definire, quidnam ameus intensiùs, quodnam ex duobus bonis sensilibus

Diligitur Deus super omnia quomodo.

sensilibus oblectet nos magis, & imaginationem, sensusque nostros moueat fortiùs. Quodnam autem putemus esse maioris pretij, expeditiùs multò determinamus. Conuenientior, quia facilior, & sic infirmitati nostræ accommodatur.

§. 5. Præter hæc amandus est Deus constanter & efficaciter: Constanter, id est, omni tempore, vt nihil vnquam separet nos ab eius charitate, non tribulatio, non angu-
Prou.17. stia, non suggestio aliqua praua, &c. *Omni tempore diligit, qui* (vere) *amicus est*: falsus autẽ, *amicus est secundùm tempus, & non permanebit in*
Eccles.6. *tempore tribulationis*. Christus porrò non falsos, sed veros & solidos quærit amatores, quibus dicere possit: *Vos estis, qui permansistis mecum in tribulationibus meis*, & veri huius amoris præmium decernere expressum verbis sequenti-
Luc.22. bus: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt comedatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo*. Caueat itaque qui verá se profitetur habere charitatem; caueat, inquã, ne sit in Dei sui amore Vertumnus & instabilis; & hîc maximè vt saluus sit, perseuerantiam sibi credat esse necessariam. Et quoniam diuini amoris extinctio ex opinione de Deo praua descendit, sicut ex bona idem amor venit &
Psal.144. gignitur; non admittat cogitationes de illo impias; sed magis dicat, *omnia in sapientia fecisti*. Et, *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & san-*
Deut.32. *ctus in omnibus operibus suis*. Et, *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis, &*

absque

absque vlla iniquitate iustus ac rectus. De hoc monitos nos voluit, dicens: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Multa disponit, & iubet Deus humanæ censuræ obnoxia, propter causas, quibus nituntur, ignoratas. Occultat autem illas, volens probare nos, vtrùm diligamus eum: Matth. 11.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides. Ouidius l. 1. Trist.

O quanti pretij, quàm speciosum est aurum igne probatum, quod virtuti eius non cessit, sed restitit. Ita pretiosa charitas, & sancta de Deo cogitatio, quam extinguere non valuerunt aquæ multæ; id est, occasiones & argumenta, quibus prima fronte videri potest minus bonus, sapiens, prouidus, iustus, atque vt verbo dicam, dignus qui summè diligatur. In tam præcipiti casu attende tibi, ne ab illo indignante audias cum tui similibus: *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Miror quod tam citò transferimini.* Exemplum, tangit te manus eius, ita vt à planta pedis vsque ad verticem non sit in te sanitas. Ne idcircò auersere Medicum optimum probè scientem quid tibi expediat: sed cum Iob dicito: *Etiamsi me occiderit, in eo sperabo. Iustificationem meam quam cœpi, tenere non deseram.* Adhæc, si tibi occurrat creatura eius aliqua minùs benè concinnata, vel noxia, ne idcircò calumnieris eum. Nam quæ imperfecta sunt, illustrant perfectiora, & demonstrant authoris sui virtutem variam; imprudentia tantum

Luc. 24. Gal. 1. Iob 13. & 27.

Iudith. c.6. ad Dominum. *Non derelinquis præsumentes de te; & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias.*

De Regulis Prudentiæ circa Charitatem erga Deum.

CAPVT VII.

§. 1. *Charitatis seu amoris in Deum dignitas & pretium.*

2. *Deus præcipuè diligendus vt author gratiæ.*

3. *Ex toto corde ac supra omne amabile.*
4. *Constanter, & efficaciter.*
5. *Quo potissimum tempore.*
6. *Sub qua verborum formula.*

} *diligendus est Deus.*

§. 1. QVo impensius diligamus Deum, & obseruemus in hac dilectione quæ oportet, iuuerit præfari aliquid de eius dignitate; ad quam patefaciendã, propè sufficit dicere virtutem esse, à qua ipse sibi nomen quærit *Deus charitas est*. Neque enim ab aliis quàm nobilissimis rebus solent viri Principes sua sibi quærere. Vnde Nabuchodonozor volens honorem à nomine Danieli conciliare, voluit vt Baltassar diceretur *secundum nomen Dei sui*. Eadem pretio & maiestate

1. Ioan. 4.

Dan. 4.

pi ærit

præit virtutibus cæteris,& prima quaſi regina graditur comitata pediſſequis. *Maior horũ eſt charitas.* Omnis generis bona poſt ſe trahit,vt meritò dicere poſſit poſſeſſor eius: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Diuinæ gratiæ peccatorem reſtituit, Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Eundem eidem copulat. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Titulum confert filiorum Dei,1.Ioan.3.*Videte qualem charitatem dedit nobis Pater,vt filij Dei nominemur & ſimus.* Atque ita ſecernit eos à filiis Diaboli,vt notat S. Auguſtinus:*Signent ſe omnes ſigno crucis,reſpondeant Amen,cantent Halleluia, baptizentur omnes,intrẽt Eccleſias,faciant parietes Baſilicarum, non diſcernuntur filij Dei à filiis Diaboli,niſi charitate.* Vinculum denique eſt perfectionis, Coloſ.3. quia ſcribit S.Chryſoſt. *Sicut nihil proſunt, ſed diffluunt partes nauis,& humani corporis ſi deſint tabulata,& contignationes, & ligamenta,quibus inter ſe deuinciantur: Ita nec virtutes cateræ aut virtutum opera,niſi in charitate fiant.* His permoti Theologi vocant eam formam virtutum,quòd ſicut materia ſine forma inuenuſta eſt, paruique pretij, ſic planè iſtæ niſi accedat charitas, nec ius tribuunt ad vitam æternam. Hæc ſi non ſufficiunt,ſcito charitatem vel eandem omninò eſſe cùm gratia, vel ab ea prorſus inſeparabilem; Per gratiam autem ſimus *diuinæ conſortes naturæ*, 1. Pet.1. ita ſcilicet vt in nobis gratia præditis habitet Deus ſingulari & nouo modo, non quaſi in loco extraneo ſibique

1. Cor.13.

Sap.7.

S.Aug.Tract.1.in epiſt. Ioan.

S.Chryſ. in cap.3. ad Coloſſ.

inimico, sicut ante iustificationem, sed velut in templo & domicilio suo. Scito præterea charitatem ab Apostolo præ omnibus commendari, Col.3. *Super omnia autem charitatem habete.* Et 1.Cor.12. *Adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.* Quæ verba de charitate intelligenda esse docet S. August.Tract. 118. in Io. & in Ench. c.17.ita loquitur: *Qui rectè amat, procul dubio rectè credit & sperat, qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi vera sint quæ credit. Sine charitate fides quidem esse potest, sed non prodesse,* & lib.13.de Trinit.c.18. *Hac est margarita preciosa, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi.*

§. 2. Quia nullum bonum diligitur, nisi antè cognitum, vt docet S.Thom. 1.2. quæst. 4. art. 3. fit vt pro cognitionis diuersitate resultet amor alius atque alius. Et quidem Dei cognitio duplex est, naturalis & supernaturalis. Illa dicitur, quam naturæ viribus seu ratiocinando comparare nobis possumus inspectis creaturis velut Dei effectibus, de qua intelligendum est illud, Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Rom. 1. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, conspiciuntur.* Hac via cognouerunt prisci Philosophi aliquem esse Deum, omnium quæ videmus architectum, sapientissimum, præpotentem, virtutum remuneratorem; vindicem vitiorum. *Quis est tam vecors,* ait Cicero, *qui cùm suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quisquam ordinem*

Cic.lib.de Arusp. resp.

nem rerum ac vicissitudinem persequi possit? Supernaturalis verò est, ad quam penetrare nequit vis naturalis intellectus, sed deducit nos sola à Deo facta reuelatio, non confirmans duntaxat testimonio suo certissimo veritates complures quas insinuat nobis humana ratiocinatio, vt mundi creationem, animæ immortalitatem; sed plurimas alias patefaciens omni captu nostro superiores, de quarum vna ait Christus Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus qui in cœlis est.* Huius generis has quoque puta Deum vnicum esse in natura & essentia; in personis trinum, patrem, filium, & spiritum sanctum, à quarum prima sit secunda genita modo diuino, qui fit per amorem mutuum. Esse item optimum, simplicissimum, perfectissimum, eo modo quo docet fides Catholica, gratia sua sanctificantem animas, verè omnipotentem, ac futurum aliquando nostrum omnium Iudicem, à quo æterna fœlicitate donabuntur boni, in æternum contra inenarrabilibus pœnis punientur mali, &c. Iam dico, sicut cognitio hæc posterior, longè priore angustior est; ita planè amor, seu dilectio quæ ista nititur, ordinis est supernaturalis, & longè præstantior ea, cuius fundamentum ponitur cognitio Dei naturalis, non secus ac euerentia exhibita Christo vt Deo, longè præcellebat eam, quam deferebant, qui eum t hominem vel Prophetam considerabant; adoratio Regis apprehensi vt Rex est,

multo

multo vincit eam quæ defertur, quando magnus tantum nobilis esse creditur. Cum itaque charitas sit summus & nobilissimus Dei amor qui esse potest, postulat vt non diligatur solum quasi naturæ author; sed multo magis vt author principiumque gratiæ & gloriæ.

§.3. Nondum hoc sufficit, videndum præterea vt propter semetipsum diligatur, omnia autem alia propter ipsum. Scribit S. August. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* Exigit præterea non partem cordis nostri, sed ipsum totum, & ait: *Prabe mihi fili cor tuum*, totum autem ei non datur, quando pars amoris nostri in aliquid tendit, quod propter ipsum non diligitur, quia hoc ipso in eum non tendit; secus autem fieret, si res eiusmodi propter ipsum diligeretur. Vbi notandum, tunc solum diligi aliquid propter Deum, quando diligitur quantum, & eo modo quo præscribit Deus, non plus nec aliter. Ita fit vt non possit impudicè diligi mulier propter ipsum. Nunc ad rem. Diligitur Deus propter se, quandò nec solùm, nec præcipuè diligitur propter aliud, puta ob temporalia, vel æterna bona quæ confert, aut paratus est conferre: sed propter inditas ipsi rationes, perfectiones, & amoris causas, quæ faciunt illum amore nostro dignissimum; vt quia est infinitè excellens, nobilis, bonus; qui fecit nos non cõmodi alicuius sui gratia, sed nostri dũtaxat, quibus se communicare voluit per creatiõné, nullis obsequiis nostris prouocatus, sed vt bonitatis

S.Aug. l. 10. Conf. c. 29.

Prou 23.

nitatis illius suæ diuitias ostenderet. Qui insuper tam est misericors, tam patienter ineptias & improbos mores nostros sustinet, tam facile in gratiam nos recipit. Qui denique omnem qua præditi sumus, contulit nobis amandi facultatem, quam idcircò meritò vult in se vnum conuerti. Nam & *flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur.* Preciosus ac nobilis est hic amor, nec parum cedit in honorem Dei: vndè laudat Poëta Cæsarem, quòd ita diligeretur. Eccles. 1.

Diligeris populo non propter præmia Cæsar,
Propter te populus præmia Cæsar amat. Martialis. l. 8 Epigr. 51.

Contrà, qui propter beneficia sola, aut præcipuè, in Dei amorem assurgit, non amaturus nisi illa acciperet, mercenarius est, Deo anteponit eiusmodi beneficia, dignus ob tantam peruersitatem qui in inferno cum damnatis locum sortiatur (à quibus sic præposterè Deus diligebatur) iuxta prophetiam Ps. 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Introibit vsque in progenies patrum suorum, & in æternum nō videbit lumen.* Est prætereà in amando incontantissimus. *Huiusmodi amicitiæ,* quæ nituntur sola beneficentia, *dissolui facilè possunt,* inquit Aristoteles, *cum similes ipsi non permaneant. Nā non amplius iucundi aut vtiles fuerint,* supple benefactores, *amare desistunt,* qui scilicet beneficium ab illis acceperunt. Hæc tamen non obstant, quò minus propter beneficia, diligere eum cuique liceat (dummodò vt dixi, incéno hoc solo aut præcipuè ad id non moueatur, Arist. l. 8. Eth. c. 3.

tur,

Ioan.3. tur,sed paratus sit amare ipsum, quamuis non benefaceret)&singulariter,quia sic dilexit nos, sic salutis nostræ curam egit, vt vnigenitum suum voluerit fieri hominem,& factum dederit in mortem, passusque sit crucifigi, & pro nobis pati, *vt omnis qui credit in eum*, & facit quæ iubet, *non pereat*,qui aliàs erat periturus, *sed habeat vitam æternam*.

§. 4. Ex his manifestum relinquitur, quid sit diligere propter Deum omnia, & diligere Deum ex toto corde,nempè diligere ipsum,& nihil aliud nisi propter ipsum.Hac enim ratione fit, vt diligatur in se & in omnibus, & amor noster totus in ipsum desinat, & possit ei

Psal.71. dicere, *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Dicendum iam restat, quid sit diligere Deum super omnia, & quomodo possimus ad gradum hunc dilectionis peruenire. Ad quod respondeo, non esse illum diligere intensiùs seu ardentiùs & secundum maiorem conatum,pondusque facultatis amantis,quàm aliquid aliud, quia licet optimum id sit, laudeque dignissimum;nullibi tamen præceptum legitur; nec mirum, cùm sit res perdifficilis, propterea quod amoris intensio pendere solet à vehementi motu phantasiæ, & appetitus sensibilis; quæ facultates natæ non sunt moueri à Deo, vtpotè obiecto spirituali, sed à sensibus, quæ proinde si apprehendantur vt magna bona, amore valde intenso amantur naturaliter, non ita Deus contraria de

causa.

causa. Quare diligere Deum super omnia sensu quo tenemur, potiùs est eligere illum præ omnibus, vtpotè omnia dignitate pretioque superantem, & habere malle quàm quodcumque aliud; magis rursus eius formidare offensionem & iacturam, quàm rei alterius cuiuscumque. Est præterea optare ei & quidem soli omne bonum (quandoquidem amare est bonum velle alicui, vt tradit Arist. lib. 2. Rhet. cap. 4.) verbi gratia, vt semper sit omnipotens, in se beatissimus, iustissimus; vt colatur, timeatur, ametur ab omnibus, (quæ si faceret homo non peccaret mortaliter; peccando autem non vult ipsemet patere, & subesse Deo, non ei placet diuina iustitia, seueritatem eius refugit experiri.) Sic sanè quoad appretiationem, vt loquuntur Theologi, omnibus antefertur; sic pater plus diligit primogenitum suum strenuè laborantem, & futurum columen domus, quàm filium adhuc puerum & blandientem; esto, huic plura det signa beneuolẽtiæ, & quoad sensum corporisque immutationem magis erga eundem afficiatur. Hæc ipsa ratio magis diligendi, nempè quoad appretiationem, est ›riore illa nobilior, certior, conuenientior. Nobilior, quia in Deo & creaturis ratione ›tentibus inuenitur; non autem in brutis, vt ›tior. Neque enim norunt bruta duo inter se ›ona cõparare, & maius discernere. Certior, ›uia non est procliue definire, quidnam ame›us intensiùs, quodnam ex duobus bonis sensilibus

Diligitur Deus super omnia quomodo.

absque vlla iniquitate iustus ac rectus. De hoc monitos nos voluit, dicens: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Multa disponit, & iubet Deus humanæ censuræ obnoxia, propter causas, quibus nituntur, ignoratas. Occultat autem illas, volens probare nos, vtrùm diligamus eum: Matth. 11.

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides. Ouidius l. 1. Trist.

O quanti pretij, quàm speciosum est aurum igne probatum, quod virtuti eius non cessit, sed restitit. Ita pretiosa charitas, & sancta de Deo cogitatio, quam extinguere non valuerunt aquæ multæ; id est, occasiones & argumenta, quibus prima fronte videri potest minus bonus, sapiens, prouidus, iustus, atque vt verbo dicam, dignus qui summè diligatur. In tam præcipiti casu attende tibi, ne ab illo indignante audias cum tui similibus: *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Miror quod tam citò transferimini.* Exemplum, tangit te manus eius, ita vt à planta pedis vsque ad verticem non sit in te sanitas. Ne idcircò auersere Medicum optimum probè scientem quid tibi expediat: sed cum Iob dicito: *Etiamsi me occiderit, in eo sperabo. Iustificationem meam quam cœpi, tenere non deseram.* Adhæc, si tibi occurrat creatura eius aliqua minùs benè concinnata, vel noxia, ne idcircò calumnieris eum. Nam quæ imperfecta sunt, illustrant perfectiora, & demonstrant authoris sui virtutem variam; imprudentia tantum Luc. 24. Gal. 1. Iob 13. & 27.

Sap. 14. nostra sunt noxia, sicut scriptum est: *Cr in muscipulam facta sunt pedibus insipientiu* se autem vsus habent admodum salutar perturbantur anni tempestates, destru grandine sata pulcherrima, non exaudi supplicum vota; præualent Turcæ Chi nis, Catholicis quibusdam hæretici; N quidem conturbet te plus æquo. In n enim delinquimus omnes, & mortem non fecit Deus, manibus dictisque ac mus. Multa, inquam, peccamus, quæ nam institiam cogunt in nos animaduer quæque si media in luce constituerentur gito labellum compesceremus, non pror peremus in voces querulas; sed in piam

Psal. 102. confessionem: *Non secundùm peccata n fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostra tribuit nobis.* Scatent iusti quilibet nonn næuis, à quibus expedit purgari eos in fenti vita per pœnas temporales. Mali trà faciunt interdum opera quædam b moraliter, quibus conuenit Deum opt quosdam in seculo successus præmij loco tribuere. Ita ergo fit, vt exaudiantur quan que præ illis; non tamen idcircò magis d gantur. Taceo ex malis illis erui quando bona plurima, purgantur enim fideles, e diuntur, fiunt in posterum cautiores, & oc sione insurgentium hæresum valdè exagit veritas Catholica, tandémque victrix e dit illustrior.

S. August. epist. 105. *Hæreticorum inquietudine*, quit S. Augustinus, *vt scripturas vigilant persi*

perſcrutemur, ne ouili Chriſti noceant, tanquam de ſomno ignauia noſtra excitatur induſtria. Ita per multiplicem gratiam Saluatoris, quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adiutorium. Et alibi: *Multa ad Catholicam fidem pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio diſcendi eſt occaſio.* Denique ſi videris afflictiones bonorum, proſperitates malorum, violenta iudicia, ſubuerti iuſtitiam in prouincia, *non mireris ſuper hoc negotio*, inquit Eccleſiaſtes cap.5. Patefaciet ſuo tempore Deus permiſſionis, ordinationis, conſilij totius ſui rationem irrefutabilem, & iuſtificabitur in ſermonibus ſuis, vincétque qui nunc à temerariis iudicatur. Hæc de diuini amoris conſtantia; efficacem autem te habere probaueris, ſi illum ſæpè ad memoriam reuoces. Nam reuerà, *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, ſi præ-[t]ereà per ſe vel per ſuos loquentem libenter [a]udias, ſiquidem, *Qui ex Deo eſt, verba Dei [a]udit:* & ſponſa illa ſancta vt impensè ſpon[su]m diligebat, dicebat ei: *Sonet vox tua in [a]uribus meis; vox enim tua dulcis.* Et infrà: *[A]nima mea liquefacta eſt, vt loquutus eſt.* Si [li]benter & reuerenter de eo loquare; *Ex a[bu]ndantia cordis os loquitur.* Si eius imago ti[b]i chara & grata ſit propter ipſum; quis [no]im neſcit, argumentum hoc vnum eſſe,

Lib.6. Ciu. cap.2.

De bonorum oppreſſionibus & violentis iudiciis, &c. non mirandum.

Matth.6.

Ioan. 8.

Cant. 2. & 5.

Luc.6.

& magnum quidem mutuæ inter homines necessitudinis? Proximus porrò tuus etiam inimicus imago eius est, factus ad eius similitudinem, Gen. 1. Non ergo illum oderis, si Deum diligis, sed vitia eius; nec defraudes quenquam communibus signis beneuolentiæ. Considera præcepto huic; *Diliges Dominum Deum tuum*, continuò istud fuisse adiectum; *Et proximum tuum sicut teipsum.* Perpende quid scribat dilectus ille Christi discipulus: *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et paulò antè: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, fratrem autem suum odit, mendax est.* Argumentum aliud dilecti Dei est, si mandata eius custodias; quia pergratum semper amico solet esse, & obsequi quem amore complectitur; nec alio magis infert Christus à se diligi patrem, quàm inde petito indicio, quòd videlicet totus sit in adimplendo eius mandato & voluntate, de adeunda morte crucis: *Vt intelligat mundus,* inquit, *quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio; surgite eamus hinc.* Eodémque spectant verba illa S. Greg. homil. 30. in Euangel. *Amor Dei ociosus esse non potest, operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non est.* Rationem si quæris, accipe: Voluntatem suam quiuis libenter exequitur, & quod iubet, vult fieri; cùm ergo amor de duobus faciat cor vnum & animam vnam, inclinat ex consequenti ad parendum amicorum voluntatibus, quoties à ratione non dissentiunt.

Inimici diligendi.

Matth. 22.

1. Ioan. 4.

Ioan. 14.

Voluntatibus amicorum parendum.

Quocirca

Quocirca de diuinis præceptis adimplendis esto sollicitus, ni falsò gloriari velis de charitate in Deum. Ait quippe: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*; ac si diceret: Qui non seruat, non diligit. Et suprà, discipulum eius scribentem audiuimus: *Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non seruat, mendax est*. Exemplum, præcipit tibi Deus, idque sub interminatione pœnæ grauissimæ, vt ab omni peccato lethali immaculatum te custodias, *Tanquam à facie colubri fuge peccatum*, & 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Eò ergo plus vel minùs diceris amare Deum, quò solicitiùs vel minùs solicitè ab eiusmodi peccatis abstinebis. Vt delectatur quiuis amicus verus præstandis amico officiis, ita exhorret ea facere, quibus illum mœrore afficiat. Iam verò Deus si mœrere posset, si gemere, si contristari, nullo magis id faceret, quàm culpa mortifera. Specimen denique præbebis amoris efficacis in Deum, si ad eius amorem & obsequium inducere studeas quamplurimos. Qui vehementer oderunt aliquos, exponunt illos odio & inuidiæ omnium quoad possunt, auertunt ab iis amicos, seditiones mouent, rebellionis authores sunt subditis; ita plerique omnes amorem complurium iis conciliant, quos amore magno prosequuntur. Zopyrus, vt Darium Persarum Regem Dominum suum impensè adamauit, nihil omnino prætermisit, quod conferre potuit ad imperium eius dilatãdum.

Ibid.

Prou. 22.

Amicitia & inimicitiæ propria.

Quare cùm eum cerneret vigesimum iam mensem triuisse frustrà in obsidione Babylonis, nasum sibi, aures, & labia præcidit, itaque truncatus confugit ad Babylonios, mentiens se tales à Dario plagas accepisse. His auditis creduli Babylonij ciuitati eum suæ præfecerunt, rati fore, vt suam animi corporisque fortitudinem in Darium converteret, de quo tam malè meritus videbatur, remque Babylonicam fœliciter administraret. Sed enim ille ciuitatem Dario subiecit ac tradidit. Esto & tu Deo alter Zopyrus, ipsi te primum omnium subiice, & per amorem religa fœliciter; deinde alios quotquot, vt dixi, poteris.

Zopyri facinus egregium.

Tempora ad actum dilectionis eliciendum, aptiora quatuor.

§. 6. Ad eliciendum huius actum dilectionis quatuor sunt tempora cæteris aptiora. Primum, quando ad illum exstimulant te Concionatores, proferendo eximia quædam Dei in humanum genus beneficia, cuiusmodi sunt creatio, vocatio, redemptio, diuini verbi Incarnatio, Eucharistiæ institutio. Alterum, quando obtingit tibi priuatum & singulare quoddam Dei donum; vt quando eo prouidente eriperis magno periculo: vnde Dauid ab eo liberatus concepit mox diuini amoris votum, dicens: *Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus refugium meum, & liberator meus.* Tertium, quando ad sacram Synaxim te comparas, tum quia præparandus adornandúsque est locus suscepturus cœli & terræ Dominum; ornamentum autem potissimum omnium est

Psal. 17.

Charitas;

Charitas; tum quia hospes ad neminẽ diuertere libentius solet, quàm ad illum, à quo diligitur,& se scit diligi. Christus autem in Eucharistia suscipiendus hospes est,ita seipse vocat Matth. 25. *Hospes eram, & non collegistis me.* Sicut sacramenti huius institutio, amoris in nos sui argumentum fuit eximium, vt notat his verbis Euangelista: *Cùm dilexisset suos,in finem dilexit eos. Et cœna facta,* &c. Sic ex parte nostra eiusdem susceptio reciprocum amoris actum à nobis postulat, quo videlicet affectu magno feramur in eum, qui non contentus nascendo dedisse se nobis in socium,vescendo dedit in edulium,moriendo in pretium,daturus se regnando in præmium. Quartum, quandò instare tuæ horam mortis præsenties. Nam quemadmodum Oratores sub exitum præcipuè declamationum suarum,quidquid habent artis adhibent: & Comœdi Tragœdique in vltimo præsertim actu conatur excellere: Et in Romano exercitu vltimum locum occupabant Triarij omnium fortissimi: & amici sub discessum mutuum quàm dulcissima possunt verba fundunt; ita par est, vt actu omnium nobilissimo præsentis cursũ vitæ coronemus.

Christus hospes in Eucharistia suscipitur.

Ioan. 13.

§. 7. Eiusdem actus formula ista esse poterit: *Domine Deus creator cæli & terræ, à quo velut inexhausto fonte omnis generis beneficia in nos assiduè deriuantur, amo te, & amare desidero ex toto corde propter temetipsum, & super omnia, quia tu solus sanctus, tu solus Dominus,tu solus altissimus. Vtinam tibi omnes seruiant, te cognoscant,*

Actus amoris in Deũ aliciendi formula.

 tibi

tibi obsequantur, & debitum honorem habeant. Gratulor tibi immensam maiestatem, fœlicitatem, sapientiam, potentiam, & alias perfectiones tuas. Quod ad creaturas, erga nullam prorsus affici volo, nulli adhærere, nisi propter te, & quantum, ac quomodò concedis ac iubes. Præfero te omnibus infinito interuallo, malòque sexcenties illas etiam omnes quàm te offendere & amittere. Sis Domine benedictus in secula. Amen.

De Prudentiæ Regulis circa Charitatem fraternam.

CAPVT VIII.

§. 1. *Nomine fratris seu proximi quis intelligendus.*

2. *De obligatione proximum diligendi & necessitate.*

3. *In quo positus sit amor sanctus, quo est prosequendus.*

4. *De exterioribus indiciis & affectibus amoris sancti.*

5. *De ordine obseruando in dilectione proximorum.*

6. *In specie quid obseruandum circa dilectionem inimicorum.*

7. *Fœdus amor quàm fugiendus, & abominandus.*

Fratris ac proximi vox reciproca, & relatiua.

§. 1. TAM fratris quàm proximi vox relatiua est; & significat communicationem, coniunctionem, affinitatem quandam

dam hominis cum homine: quam communicationem distinguunt Teologi in naturalem, quæ est quoad naturam, similitudinem, patriam, eiusdem artis professionem, parentes, & alia id genus naturalia & humana bona; & in supernaturalem respicientem bona supernaturalia, vt Deum vniuersorum Dominum, Christum omnium redemptorē, idem sacrificium, eadem Sacramenta, eandem Christianæ vitæ professionem, eandem in cælo beatitudinem oblatam omnibus. Quia ergo quiuis cum quouis alio in his omnibus, vel horum aliquibus conuenit, fit vt quiuis alterius frater ac proximus censeri meritò possit ac debeat, siue amando illum, vicissim redametur, siue non. Declarat hoc planissimè Christus, Matth. 23. *Omnes vos fratres estis.* Et: *Vnus est pater vester cœlestis, qui in cœlis est.* Et alio loco: *Cum orabitis, dicite, Pater noster qui es in cœlis.* Si communis omnium nostrum Pater est Deus, omnes ergo sumus eius filij, & mutui inter nos fratres. Et ne quis fortè inimicos crederet excipiendos; occurrit, & inimicum ipsum qui te odit, expresè vocat fratrem tuum, dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Iam si quilibet alteri frater est, quomodo non etiam proximus? Quis potiori iure talis appellandus quàm frater? Nonne Dauid vtrumque coniungit, & vnum vt sic loquar, infert ex altero dicens: *Propter fratres*

Matth. 4.

Etiam inimici sunt fratres.

Ibid.

I 5

Psal.121. *fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.* Stet ergo, omnes homines esse sibi mutuò
[Lib.de doct. Chr.c.30.] proximos, & cum S. Augustino credamus, quòd *cùm Dominus dicit; diliges proximum tuum sicut teipsum, significat omnem hominem esse reputandum proximum.* Intelligenda hæc sunt de cōmuni & imperfecta quadam ratione fraternitatis & proximitatis, præter quam alia quædam est specialis, multóque insignior inter eos solos, qui Christi charactere per baptismum initiati, & veræ membra Ecclesiæ, fidem profitentur orthodoxam; præsertim si insuper in statu sint gratiæ, & quo melius Deo seruiant in vno eodemque Ordine regulari vitam degant. Possunt aliquo etiam modo Angeli boni proximis nostris annumerari, quia Deo nobiscum seruiunt; vnde & conserui nostri appellantur, Apocal.22. æterna perfruuntur gloria, ad quam tendimus, quamplurima præstant nobis beneficia, quod non parum pertinere ad rationem munusque proximi, colligit idem S. August. ex verbis illis Euangelicis: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* Mali autem Angeli, seu Dæmones non possunt, tum quia iubemur nullum habere cum iis commercium, 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios Dæmoniorum*, sicut nec Christus habet 2. Cor.6. *Quæ conuentio Christi ad Belial?* tum quia hostili semper in nos animo sunt. Idem de Damnatis reliquis iudicium. Non patitur miserrimus illorum status, vt in aliquo nobiscum bono communicent,

Angeli boni etiam in proximis numerādi.

cent, nec amplius capaces sunt gratiæ, gloriæ, Sacramentorum. Et cùm in Diaboli potestatem toti transierint, conditionem eius induunt.

§. 2. Diligendum proximum amore tum naturali, quem amicitiam vocant pro obiecto habentem animi dotes & corporis, virtutes morales, similitudinem generis, beneficentiã, & alia id genus humana bona, digna quæ amentur magnique fiant; tùm supernaturali seu Charitate, quem conciliant motiua supernaturalia, vt Deus reuelatus gratię principium dilectionem hanc præcipiens, ex dictis perspicuum relinquitur, obiterque adhuc monstratur; quia sicut diligendus est à nobis Deus vt author naturæ & gratiæ, ita vtraque dilectione propter illum proximus. Deinde similitudo causa est amoris, eo quod per similitudinem homo vnus sit velut idem cum altero, & alter cum ipso, amoremque quo se diligit, protinus ad illum extendit. Vt non abs re dici soleat; *Omne animal diligit sibi simile.* Cùm igitur similes simus omnes ad inuicem per naturalia bona communia, ac rursus per supernaturalia multa, de quibus supra, sequitur constringi nos omnes lege mutuæ dilectionis, etiam eos, qui lædunt se mutuò; quia hæc offensio qualiscumque & quantacumque sit, nec tollit nec tollere potest prædicta amoris incentiua, siue titulos; sicut nec expressam absolutamque illam Christi legem: *Diliges proximum tuum.* Et, *Ego autem dico vobis, diligite* Matth. 22. Matth. 5.

Similitudo amoris causa.

Eccles. 1.

diligite inimicos vestros. Iniquũ est negare aliis, quod ab iis impetrare cupit quilibet; cupit autem quiuis à quouis diligi, etiam qui dicũt: *Tales me semper hostes persequantur*, quia hoc non dicunt quasi delectentur odio, in quo sunt apud improbos; sed virtute ob quam huiusmodi odium inuidiáque concipitur. Aut dicere volunt, si aliquos necesse est pati, tales nobis experimus, qui odij occasionem non iustè ex vitio nostro, sed nequiter ex virtute arripiant. Id prætereà meritò videri debet à Deo & natura præceptum atque constitutum, sine quo viuere esset miserrimum; sine amicitia autem vitam traducere res est grauissima. *Absque amicis viuere*, inquit Aristoteles, *licet cætera omnia bona suppeterent, eligeret nemo. Nam & diuites, & principatus potestatem habentes maxime indigere amicis videntur*. Vndè amicum sibi semper aliquem faciebat Scipio antequàm è foro discederet. Et Hieremias inter grauissimas calamitates Hierusalem, hanc non siluit: *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici*. Denique si Aristides & Themistocles, dum inter hostes versabantur, & pro Republica sua Atheniensi bellum gerebant, priuata odia valere iubebant, & in gratiam redibant, ne diuisi ab inuicem præda fierent. Serpenti item cum vulpe conuenit, vt scribit Plut. in lib. de industria animalium, quòd illis communis hostis sit aquila; multò magis oportet nos colere mutuam necessitudinem, quibus luctandum est assiduè cum Dæmoniis, communibus

Arist. lib. 8. Eth. cap. 1. & 8.

Scipio semper amicum sibi faciebat antequam discederet è foro.

Thren.

munibus hostibus, omniumque capitalissimis. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra Spiritualia nequitiæ in cœlestibus*; quique si videant litigare nos ad inuicem, & mutuas alere simultates, quàm metuo ne idem faciant, quod de miluo narrat apologus. Vidit murem & ranam rixantes & contendentes inuicem, quis eorum videretur maior, & obtineret in palude principatum: vidit, inquam, & citò litem diremit; vtrumque enim vnguibus suis rapuit, raptumque deuorauit. Ephes. 6.

§. 3. Hîc porro quæritur, quisnam sit proximi amor verus & sanctus? A duobus pendet responsio, quæ Aristoteles, quamuis Ethnicus, mirabili mentis acumine complexus mihi videtur, his verbis: *Amare est, velle alicui quæ bona putat, illius non sua gratia.* Docet in primis, quòd amare sit velle alicui bonum (& quidem non quodcunque sed verum: nam bonum falsum non est bonum simpliciter, vt nec aurum falsum est aurum) sicut contrà, odisse est velle alicui malum: quod adeò certum est, vt nationes quædam in more habeant odium exprimere per alieni damni desiderium: & volentes dicere, *odio me habet*, ita loquantur, *malum mihi vult*. Vera porrò bona propriè dicuntur supernaturalia, vt Deus, status gratiæ, remissio peccatorum, vita æterna, progressus in virtutibus, mors bona, &c. temporalia autem & humana non nisi quatenus ad illa referun

Arist. lib. 2. Rhet. c. 4.

Amare quid.

Ac odisse.

referuntur. Cùm item dicuntur amico per dilectionem expeti bona, satis indicatur, non solùm ei non procurari mala bonis eiusmodi contraria; sed timeri etiam, & quoad fieri potest, impediri, eadem quippè ratio est contrariorum. De impropriis autam malis, hoc est, de pœnis temporalibus, ad eius correctionem vtilibus ac necessariis, non idem dicendum. Nam reuera quandò & quatenus ad hoc prosunt, inter bona potius censenda sunt, & votis ac precibus in illius caput accersenda. Illa certè sibi bona interpretabatur Dauid, dicens Deo: *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Hoc annotasse proderit, vt nouerimus responsum dare ad molestissimum quoddam multorum dubium, qui scandalizantur & quærunt, quomodò videri potest hic ipse Rex verè fuisse instructus fraterna charitate, qui tam multa variis imprecatur mala, vt Psal. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Quod etiam facit Apostolus Gal. 5. *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* & ante illum Hieremias cap. 17. *Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi & non paueam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Aut enim hi modi loquendi Hebraici sunt, vt docet S. Aug. l. 1. de serm. Dom. in monte, c. 42. & seq. & D. Th. 2. 2. q. 83. art. 8. ad 1. & 2. in quibus verbum imperatiui, vel optatiui modi, ponitur pro futuro

[margin notes, partly cut off: ...la impro- / ...a qua. ; ...l. 118.]

turo indicatiui; ita vt idcircò imprecatio non sit, sed rei futuræ vaticinium. Sicut cùm dicitur: *soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud*; id est, soluetis, & ego reædificabo. Ioan.2.
Aut imprecatio est mali temporalis tantùm, relata ad spirituale bonum eorum, in quorum caput aduocatur. Sæpè enim vexatio dat intellectum, & eo fine cupere pertinaces ac deprauatos mala pœnæ sustinere, laudabile est; & eiusdem Regis exemplo communitum sic deprecantis: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine* (sed hîc cauenda illusio, sæpè enim videntur hæc mala in hunc finem peti, cùm ex occulto odio potius postulentur) sique opponas eiusmodi desiderium, videri odio persimile; respondebitur, sanctum perfectumque odium esse, de quo idem alibi: *Perfecto odio oderam illos*. Hoc ergo stet, vera illa bona proximis, si verè diliguntur, procuranda, nec despondendum animum eo nomine, quòd circa multos perdatur opera, aut quòd benè instituti postea peruertantur. Nam vicissim tandem ad se cum prodigo illo redeunt, aut faciliùs ad assuetam reducuntur disciplinã, sicut equi faciliùs capiuntur, captique trahuntur, qui ruperunt vincula, quàm qui nulla vnquàm fuere catena constricti. Docet insuper Aristoteles in altera parte prolatæ ex eo sententiæ, his, inquam, verbis; *illius, non sui gratia*, verum syncerumque amatorem ex amicitia non quærere sibi ipsi commodum, sed ei quem amat, & amore dignum credit ob virtutes

Psal.82.

Psal.138.

virtutes ipsi insitas. Ex qua tota doctrina tria colligimus nunquam obliuiscenda. Primum est, adulatoribus nihil inesse veræ dilectionis, quia in toto amoris negotio, quē præ se ferunt, quærunt tantùm quæ sua sunt; vel si quid boni expetunt iis quibus assentantur, & quorum auribus sua infundũt θανάσιμα μελίκρατα, id est, Letalia mulsa; in eo non conquiescunt, vt benè sit illis; sed vlterius collimant ad vtilitatem propriam, quæ inde videtur posse deriuari. Quod quia tam auidè faciunt, cùm possunt, vt illos etiam tandem exinaniant, quorum amici videri volunt, nec parcant grauissimis aliis illorum detrimentis, rectè similes dicuntur esse pediculis, qui non discedunt à morientibus, nisi sanguis extinctus sit, quo nutriri solent. De detrimentis loquor non corporis solùm, sed animi: attollunt quippè assentatores vitia, & insigniunt virtutum nominibus, quod dum fit, additur calcar eiusmodi vitiis. *Est malum immedicabile*, inquit Plutarchus, *quando vitia laudantur virtutum nominibus, vt iam pecces non modò non dolens, sed gaudens etiam, & detrahitur peccatis pudor. Ea res Siculos perdidit, quod Dionysij, Phalaridisque crudelitatem iustitiam vocarent adulatores. Eadem Ægyptum perdidit, quod Ptolomai muliebritatem Deorum cultum appellarent. Et integros Romanorum mores ad nihilum redegit, quòd Antonij delicias & libidines extenuarent, & humanitatem, hilaritatemque dicerent.* Quàm procul hoc est à ratione veræ amicitiæ amico bona procurantis. Alterum est, nec vulgò

Adulatorũ natura & intentum.

Assentatores.

Plut. lib. de discrim. adul. & amici.

Amortarentum nec Venereus veri amores.

vulgò verum esse amorem parentum in filios, nec vnquam Venereum. Nam quod ad priorem attinet, parentes videre est quampluri-mos, de veris malis, Dei odio, æterna damnatione, seculi vanitate, intemperantia, superbia, impietate & vitiis aliis à filiis suis auertendis, nec tantillum cogitare; sed de eo solùm, ne ægrotent corpore, ne mendicent aliquando, ne infimum inter ciues locum sortiantur, ne aliquem in facie næuum circumferant,&c. Negligunt illis vicissim vera bona quærere,Dei gratiam, gloriam æternam, mores inculpatos, conscientiam bonam, doctrinam sanctam,qua probè intelligant quid prosequendum sit,quid fugiendum: In eo contrà toti sunt,vt prouehant illos ad apicem dignitatum secularium,vt grauent opibus,vt splendidè vestiant & comant, vt in nobile opulentumque matrimonium collocent, vt filiorum genitores videant,&c. Quod amplius est, in talium procuratione rerum se potius quàm illos respiciunt, dum in illis velut membris quibusdam suis excellere gestiunt secundùm idem seculum,esséque post mortem ipsam immortales. Huius rei indicium vnum inter cætera hoc esto. Si contingat liberos mori etiã in innocentiæ statu & gratiæ, atque ita nullis eiusmodi caducis bonis indigere, assumptos ad cælestia illa nunquam peritura; adhuc nihilominus consternantur, & flent irremediabilibus lacrymis, quia vident se non vltrà in illis posse optato modo excellere, & no-

mē ſuum apud poſteros immortalitati conſecrare. Quòd verò ad poſteriorem,ſolam delectationem carniſque titillationē quærit libidinoſus;idque ſibi,non amaſiæ; aliàs quorſum vim infert repugnanti,quorſum cum prægnāte congreditur? Neque enim illa dum geſtat vterū,congreſſum appetit; quorſum abiicit & faſtidit eam,occurrente alia cum qua ſibi pollicetur & fingit voluptatem ampliorem?Et vt ei quoque delectationē eiuſmodi afferre ſtudeat, ideo refert, vt illecta Venereis illecebris magis deinceps conſentiat fœdis illius deſideriis. Tertium eſt,ne clientes quidem verè diligere Mecænates & benefactores ſuos, ſi tantùm eos diligunt,eiſque bene volunt, propter deriuata in ſe ab illis benefacta, cùm potiùs amare illos debeant propter virtutem ipſam beneficentiæ,quæ illis ineſt,& facit amore dignos. Rationem audi, amicitia ſola,cui cauſam virtus præbet vera, prima, perfectaque cenſenda eſt, vt docet Ariſtoteles lib.7. moralium Endemiorum cap.3. cui verò vtilitas aut voluptas,propria eſt tum plebeiorum,nam

Venereus amor, & eius obiectum.

Amicitia vera quæ.

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Ouidius 2. de Ponto Eleg. 3.

Tum etiam pecudum; neque enim canis niſi ob vtilitatem dominum ſuum amat, nec hœdus capellam niſi ob voluptatem. Hæc cùm ita ſint, vt amore ſancto dici poſſis complecti proximos,obſerua in iis quæcumque dona gratiæ & virtutes poteris,ab illorum verò vitiis cogitationē magis auertito; eò quòd per ſe fœda ſunt, & diſplicent aſpicientibus, etſi

non

non fortè suis authoribus, & displicendo odiũ sui ingenerant, quod in personam ipsam citò transfertur & desinit. Muscas imitare, non inertes illas ad vlcera sola conuolantes, prætermissis quæ in corpore sana sunt & integra; sed apiculas ea tantum legentes in floribus, quæ fauis congruunt, & bonum à natura succum acceperunt. Aut si ad vitia vis attendere, ad virtutes quoque respice, quæ adeò nunquã planè absunt ab aliquo, vt nemo sit mortaliũ quantumuis in speciem imperfectus, qui perfectione, seu qualitate aliqua bona non vincat quẽcumque alium. Nam similiter herba quæuis virtute aliqua cuiuis alteri antecellit. Pessimi est Trapezitæ, virtutibus posthabitis librare vitia. Ne id quidem faciendum, cùm aduersariis agitur, monet exemplo suo Quintilianus, cuius ecce tibi verba: *Erat mihi cura in controuersiis forensibus, nosse omnia quæ in causa versarentur.* Et infrà: *Non minus pro aduersa parte, quàm pro mea cogitabam.* Quintil. l. 7. cap. 1.

§. 4. Interno amori erga proximum nisi accedant effectus, & signa exteriora, nec diuinæ legi satisfacies, quæ iubet fratres vt diligamus *opere & veritate*, nec verum mente concepisse videri poteris (quia verus otiosus esse non potest; operatur magna, si est; si operari renuit, amor non est) immò scandalo eris cæteris; ex occulto laudem non consequeris, nullus occulti respectus & infœcundi; sed neque suauitate quam fortè expectas, perfruere. Rationem si quæris, accipe. Non inde *Internus Amor.* 1. Ioan. 3. S. Gregor. homil. 30. in Euang. *Ratio quæ.*

recreabitur quem amas, quia indiciorum defectu, se à te amari nesciet, & dum nesciet, vix redamabit; sic tibi peribit consolatio, quam experitur, qui se nouit redamari. Quemadmodum autem alius est amor communis, quē à quouis erga quemuis exigit Deus; alius specialis, spontaneus, supererogatorius, annexam habens familiaritatem, & magnam arcanorum, vel rerum aliarum communicationem. Ita ex signis & effectibus quos diximus, quidam communes sunt, & respondent amori priori; quidam speciales, posterioris proprij, vt mutuis se muneribus afficere, ad domestica conuiuia inuitare, de rebus agendis interrogare, recreationem mutuam ex ludo quærere. Atque hæc vberiùs, parciúsve sunt exhibenda, prout amor specialis maior est, & pluribus, potioribusque subnixus titulis, vel minor. De prioris signis & officiis præcipuè hic agitur.

Amoris veri officia. Memineris primò, notos resalutare, nisi longè sis potentior: quia id prætermittere, fastui vel odio vbique adscribitur; & similiter volentibus loqui, tibi obiter saltem aures dare, nisi obstet infirmitas, vel occupatio alia grauior, vel lex Superioris; vt cùm filiasfamiliâs interdicit Pater, ne loquatur cùm amasiis; aut Ecclesia fidelibus, ne cum excommunicatis; vel damni periculum, vt si contagio laboret, qui tecum petit sermocinari. Quo modo excusatur Princeps immediatè non conferens cum plerisque subditis postulantibus priuatim cum eo sua tractare negotia.

Moltis

Multis siquidē pateret insidiis, si aditum præberet vniuersis; inuidiæ verò, si vni potiùs quàm alteri eiusdem conditionis.

In graui necessitate constituto, subueni si potes opportunis remediis; nam, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodò charitas Dei manet in eo?* 1. Ioan. 3. Aliquam sempef iniuriam irrogant æmulis suis qui oderunt; cur non vicissim boni beneficiò quos amant, cùm res postulabit, afficient? cur non consolabuntur mœstos consolatore aliò destitutos, vt amici illi tres constantissimi, de quibus Ouid.

Vix duo, tresve mihi de tot superestis amici:
Cætera fortunæ, non mea turba fuit.

Cur non auertent damna ab innocentibus, suggerent consilia bona indigentibus, peccantes amicè commonefacient, vt abstineant, quando hac via se credent profuturos? Non est tunc profectò opportunum tempus silentij; tunc conniuere, non est satisfacere præscripto Ecclesiastici: *Ne reuerearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis*: Eccles. 4. nec facere quod iubet Apostolus: *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu charitatis.* Gal. 6. Parum magnanimi vulgò in hac parte sumus, nimis meticulosi, nimis amicos peccantes reueremur, metuimusque offendere; nimis facilè in animum inducimus fore, vt indignentur auditis amicis commonitionibus. Et vt Plutarchi verbis vtar lib. de Ami-

citia: *His temporibus ad liberè loquendum penè vocem amisit amicitia.* Non obtemperarunt pusillanimitati huic perniciosæ serui Naaman Principis Syriæ, sed fidenter dixerunt ei: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis nunc quia dixit tibi, lauare & mundaberis?* Non repugnauit, non excanduit Princeps, sed modestè admonitus *descendit, & lauit in Iordane septies.* Inter eos, quos grauis premit necessitas, repono absentes, quorum fama à præsentibus te audiente laceratur. Hîc memineris non obmutescere (quando authoritate non multum à detractore vinceris, & incerta adhuc est culpa absentis & obscura) ne dicas aliquando, *væ mihi quia tacui*: & detractionis reatum particeps, iuxta iuris regulam: *Qui tacet, consentire videtur*: & cum reatu pœnam, quandoquidem *morte digni sunt, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Erit autem tutela absentis prudens & modesta, si de eo pronuncies: *Fortè fecit, vel dixit quod narratur; sed quid si per incogitantiam? si correptus ira? si putans se minus mali agere?* Vel: *Hoc quidem laborat vitio* (si fortè vitium sit manifestum) *sed habet vicissim plurima, quibus laus debetur non modica. Permiscentur in hac vita bonis mala, nec quidquam est omni ex parte beatum. Circumferimus & nos copiosam censuræ materiam, & camarinam, quam moueri nollemus ab aliis.* Ad ipsum verò obloquutorem conuersus: *Rectè feceris, & nos omnes, si quæ de tali tibi sunt*

4. Reg. 5.

Isa. 6.

Rom. 1.

Aliorum vitia quomodò audienda, & credenda.

sunt renunciata, non facilè admiserimus. Fieri potest, vt sic impegerit, & fortè grauius: fieri simul potest, vt secus se res habeat. In dubio autem longè tutius est, de eo non credere, quàm credere; & excusare factum dictumve, quàm condemnare. Scriptum est, Cunctis sermonibus qui dicuntur, non accommodes cor tuum; scit enim & conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis. Accusatoris partes suscepit, qui hæc tibi retulit; postulat autem æquitas, ne audito eo præcipitetur iudicium; sed priùs ipse etiam reus audiatur. Hoc si non obseruaret criminalis Iudex, improbus iniustúsque haberetur. Exaggerantur multa supra veritatem, imò supra omnem veri speciem; cúmque ostententur quasi Elephanti, re benè discussa muscarum vix molem retinent. Quid aliud faciunt eiusmodi relatores, quàm alienas sordes in aures tuas inferunt? Hoccine verò tuleris patienter? Non sustinebat S. Ioan. Chrysostomus: indignabatur seuerè talibus, dicens: Si malum velis dicere, obturo aures meas; non enim stercus & cœnum accipere sustineo. Et quasi vnà cum mentibus conuiuarum, inficerentur sibi detractionibus, in Triclinio suo inscribi iussit S. Augustinus:

Eccles. 7.

S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Thessal.

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Possid. in vita S. August.

Et sæpè inculcauit auream illam sententiam: Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te.

Eccles. 19.

Caue amici gratia quidquam facere honesto, rationi, æquitati contrarium. Stomachum imitare probè affectum, cibos admittentem

Amici gratia nihil inhonestum patrandum.

salutares, respuentem noxios. Elude tu pariter indecora postulata prolatis causis, cur iis morem geri non expediat. Scriptum est: *Ne subiicias te omni homini pro peccato.* Et Cicero leges texens amicitiæ, hanc in fronte posuit: *Prima lex est amicitia, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati.* Amico flagitanti, vt pro se iuramento confirmaret quod non erat, respondet Pericles: *Amicus tibi sum, sed vsque ad aras.* Vtinam eiusmodi prudentiam ad posteros omnes transmisisset; gratularemur nobis & infœlicissimo æuo nostro, in quo quàm rarus est, qui rogatus pro affini & consanguineo aduersarium non condemnat etiam innocentem? iniusta non gerit bella? non dicit falsum testimonium? O improbam priuatorum necessitudinem, hostem iustitiæ, Rebuspublicis exitialem. Qui turpe aliquid vel iniustum à te petit, hoc ipso sentit de te malè, & iniuria te afficit, indicans delectari te turpitudine & iniustitia; neque enim aliàs postularet, sicut nec à Catone viro probissimo, ad quem Cicero: *O te fortunatum, Marce Cato, à quo rē improbam petere nemo audeat.* Ad hęc, si verè diligis, proximi tui onera seu defectus ęquanimiter tolera. Postulat id à te lex Charitatis, de qua Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi*, & cuius in brutis ipsis quoddam licet inuenire vestigium. Nam cerui, vt scribit S. Augustinus in Psalm. 129. cùm transeunt freta in proximas insulas pascendi gratiâ, capita super se inuicē ponunt.

Eccles. 4.
Cic. in Lælio.
Plut. in Apoph.
Gal. 6.

Solus

Solus qui antè est, portat caput, & non ponit super alterum; sed cùm & ipse defecerit, tollit se ab anteriori parte, & redit posteriùs, vt & ipse in altero requiescat. Mirabilem se in hac parte Christus præbuit. Nam cùm ante illapsum Spiritus sancti nondū planè vitia exuissent eius discipuli; ipse nihilominus virtutis omnis fons & sapientiæ, nunquam non sustinuit eos patienter, nec se ita offendi passus est impolitis adhuc moribus, vt secessum ab iis faceret, vt excandesceret, aut acerbiùs in eos inueheretur, aut aliquid de pristino in eos amore suo remitteret. Prȩter illum, matres amore ardentes filiorum, quot illorum ineptias dissimulant? quot item molestias, ne dicam iniurias patientissimè ferūt, quodque amplius est, extenuant? Quàm citò oblitæ ad maternum sese affectum recipiunt, à quo aliquantulum subita impellente ira recessisse videbantur? In Aquitania nefarius quidam adolescens à sua sæpè obiurgatus, eò progressus est petulantiæ, vt quodam die, ô prodigium! in eius offam aluum exoneraret. Id vbi resciuit Magistratus, lictores misit qui carceri eum manciparent, nec ita multò pòst extremo affectus est supplicio. Dum autem duceretur, non cessabat infœlix mater excusare natum, & vociferari nihil in eo culpæ residere, iniustè damnari innocentem, eodem scilicet ardore animi, quo apud Virgilium Nisus pro Euryalo suo liberando morti sese obiiciens clamat.

Ceruorum mutuum auxilium.

Matris ingens amor & charitas.

Virg.lib.9. Aeneid. *Meme adsum qui feci, in me conuertite tela,*
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit; cælum hoc & conscia numina testor.

Irrogatas tibi iniurias(præsertim si leues sint) quarum venia indiget valdè proximus, cur non contempseris, quasi leues morsus pulicum? Quorsum statim capis de vindicta, deque forensi altercatione consilium? Audi quid tibi cantet, scribatque Apostolus: *Omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Quod ad grauissimas, quæ vel famam tuam insigniter lædendo magnum bonum impediunt, vel detrimentum tertio afferunt, non ita facilè remittendæ sunt; sed in ius vocandus qui eas intulit (nisi præeligat amicè, & extra fori strepitum tibi læso satisfacere) non vt malè habeat, hoc quippè ad vindictam pertineret; sed vt nomen bonum, & alia iniustè ablata restituat, fiátque ipse pœna cautior. Extra hunc casum collige & cohibe te, ne facilè in lites proruas tranquillitatis hostes, & vix vnquam culpa omni vacuas, vt notat S. Aug. Enchir. c.78. Præbe te magnanimum, parua omnia despicientem, cuiusmodi iniuriæ solent esse verborum maximè. Si explorata est innocentia tua, vel criminatoris nequitia, omnem ipsi ereptura fidem, quid obesse tibi potest eius maledicentia? Impegit lædendo te, sua culpa miser. Neç tu sine crimine viuis, nec auricularum asini parte cares. Ignosci tibi vis, & à nugis tuis oculos auerti

1. Cor.6.

Lites tranquillitatis hostes.

cætero

cæterorum, easque excusari; cur non similiter cautus sis in excusandis alienis & insectandis? cur in qua mensura tibi vis remetiri, non metiris? Quàm grauiter læsi sunt à Saul, Semei & Absalone Dauid, à persecutoribus suis S. Stephanus! pepercerunt tamen, idque ex animo.

§. 5. De ordine Charitatis, non hîc teipsum cum aliis comparo, sed inter se alios à te diligendos. Quis abnuat, debere plus te ibi quàm cæteris? *Qui sibi nequã, cui bonus erit?* Absit vt dum alios vis saluos facere, efficiaris reprobus, & aliquid perpetres mali. Itaq; quoad spiritualia priùs tibi, magisque semper quàm aliis prospice; nec dicas: secus fecit Moyses postulans ne separaretur populus, à Deo separari: *Aut dimitte populo noxam hanc*, inquit, *aut dele me de libro vitæ:* Est quippe loquẽdi modus inter amicos receptissimus, & ad impetrandum efficax, quo dicimus: *Vel hoc facias mea causa, vel ne vltrà reponas me in tuorum numerum*; tametsi certò sciamus fore, vt nos semper amare pergat, & verè nolimus ab eius amore excidere. Temporalium paulò diuersa est ratio. Cum erunt ad vitam necessaria tui potius quàm alterius causam age, (nisi fortè bonum amicitiæ quo te prosequitur, vel alterius virtutis, omni vita temporali melius, secùs dictet faciendum) quia *Si quis extra hunc casum exponat vitam corporalem propriam, pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum sicut seipsũ, sed supra seipsũ, quod doctrina regulã excedit.*

Eccles. 14.

Exod. 32.

S. Aug. lib. de mendac. cap. 6.

Pro

Pro Repub. & Rege bono incumbit vitam ponere.

Pro Republica verò ipsa aut Principe bono non modò licet, verùm etiam incumbit tibi, non dico bona exteriora, sed vitam etiam ponere; quia expedit vt vnum membrum magis quàm totum corpus pereat. His consentit do-

Arist lib. 9. Ethic.c.3.

ctrina Aristotelis: *Verum est quod de viro probo dicitur, eum amicorum causa & patriæ multa agere; etiamsi pro ipsis mors sit oppetenda.* Quod si de spiritualibus & temporalibus simul tuis sermo sit in ordine ad proximum, ad regulam istam respicito: Spiritualibus tibi non necessariis antepone temporalia ei necessaria, dicente

Hos.6.

Deo; *misericordiam volo & non sacrificium:* Præsertim si proximus eiusmodi tuus sit genitor. Ne religiosæ quidem familiæ nomen dederis, quandiu operam tuam sibi verè vendicabit eius sustentatio. Eiusdem proximi spiritualia sic præfer vicissim tuis temporalibus, vt non refugias carnis vitam profundere, quando ei parcendo videbitur anima cuiuspiam sine culpa eius peritura. *Debemus*, inquit S. Ioannes, *pro fratribus animas ponere.* Sanctus verò Augu-

S. Aug. sup.

stinus: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi, non dubitabit Christianus omittere.* Christi scilicet exemplo, qui sui morte corporis mercatus est nobis vitam æternam. Ex proximis denique sint tibi semper cæteris paribus magis commendati coniunctiores secundùm carnem, vel maiori virtute præditi (mouebat id Iacob Patriarcham, vt Ioseph filium suum præ cæteris omnibus diligeret) vel qui plura in te beneficia contulerunt. *Si*

quis

quis laboret in verbo Dei, sententia est Origenis, *atque animas nostras instruat, atque illuminet, viã salutis doceat, viuendíque ordinem tradat, non tibi videtur multò ampliùs alio proximo diligendus, qui horum nihil egerit?* Orig. hom. 3. in Cant.

§. 6. De inimicis tibi reconciliandis dicamus iam in specie aliquid. De passiuis non loquor, quibus ipse velis malè. Iam enim dixi, talibus odium, seu auersionem, & vindictæ cupiditatem ex iniuria ortam vera aut præsumpta, omninò remittendam, si ignosci nobis à Christo volumus, dicente: *Sic faciet vobis Pater vester cœlestis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Sed de actiuis, qui animo à te sunt alieno. Discute rem totam syncerè ac diligenter, sique concepto in te odio causam à te subministratam cognoueris, mox per te vel per interpositum alium, apud illos siue superiores, siue tibi plus minus pares veniam deprecare, Christi sequutus consilium: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Non es tantæ authoritatis, vt modestiæ huius pudere te debeat; magna laus est modestiæ, quam si confusio fortè aliqua sequitur, *confusio est adducens gloriam.* Supplicari tibi velles ab aliis accepta iniuria, ut non vicissim supplicaueris? Ergo præbe te supplicem; quin etiam si potes, offensos dona re aliqua; magna vis est munerum, necessitate maximè. *Si esurierit inimicus tuus,*

De inimicis reconciliandis præcepta quædam.

Matth. 18.

Matth. 5.

Eccles. 4.

Prou. 25. *tuus, ciba illum; si sitierit da ei bibere, prunas enim congeres super caput eius*, id est, appones menti eius ardorem charitatis, facies vt non quomodocumque, sed ardenter te diligat. Hac arte Iacob iram fregit fratris sui Esau, & amicum sibi fecit de infensissimo. Præmisit famulos cum muneribus, qui dicerent occurrenti: *Ista sunt quæ misit tibi seruus tuus Iacob. Ipse quoque iter nostrum insequitur. Dixit enim, placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum: forsitan enim propitiabitur mihi.* Vix aggressus est Pilatus honore Herodem afficere consulendo illius iuribus, quale putabat esse Christum ad eius tribunal remittere, cùm in amicitiam coierunt, qui prius graues inter se inimicitias exercebant. Inferiorum, quos fortè læseris, alia vt plurimùm est ratio, de qua sic beatus August. lib. de vita Cleric. *Quando seueritas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellet, non exigitur à vobis, cùm vos modum excessisse sentietis, vt à subditis veniam postuletis; ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Petenda venia est à Domino, qui nouit eos, quos plus æquo corripitis, quanta beneuolentia diligatis.* Vbi autem non est periculum, ne frangatur illa authoritas, & insolescant subditi læsi; si ab iis veniam petat superior, laudabiliter id fecerit. Cæterùm si inflexibiles experiaris & intractabiles; postquam quod in te est, feceris, nulla te cura discruciet, hilarem gere

Si inimici fuerint inflexibiles quid agendum.

gere animum frontemque serenam, cum minimè per te steterit, quominùs dissidium totum componeretur. Redundabit in eorum capita scandalum, quodcumque resultauerit; & tu animam tuam liberaueris; si tecum redeant in gratiam; sed ita vt posteriùs pauciora dent tibi amoris & familiaritatis indicia, quàm priùs, ne mirere, nec indè offendi te sinito: hac siquidem pœna tuum in illos delictum iustè vindicatur. Sufficiant tibi communia signa beneuolentiæ, qui in rigore iuris non tenentur ad ampliora, nisi per accidens gratia vitandi scandali; & specialia illa fuerunt absolutè spontanea, à quibus proinde si desistant, subsitante præsertim causa aliqua, quid mirum? Vide præterea ne in illius vindictam inflexibilitatis inimicos tuos oderis, aut litigando perturbes, aut obscures detrahendo. Plus sæpenumerò prosunt tibi, (esto præter mentem) amici veri errata tua non celant tibi, sed aperiunt, patientiam exercent tuam, & faciunt vbique cautissimum, vt proindè illorum malitia mihi referat medicamenta illa, quæ à Græcis vocantur θηριακὰ, id est, viperarum virus repellentia, ex quarum carnibus conficiuntur. Et cùm tam sint vtiles, præstat eos amore quàm odio prosequi. Excogitare lites quibus diuexentur, & illis intentare, tam est contra leges Christianæ charitatis, vt iustas potiùs te deceat cum illis amicè per compromissarios si fieri possit, dirimere, nec facilè patronis habere fidẽ promittentibus victoriam. Fallun

Si minus integra reconciliatio.

Falluntur & fallunt sæpè, lucri occasionem quærunt prorogare, ab iis solis non pendet iudicium, temperat Deus sortes in vrnam missas, facítque non rarò, vt immutatus benedicat parti vni Consiliarius, aut Iudex, qui venerat maledicturus, vt Balaam. Iisdem detrahendo perparum incommodabis, tibi plurimum; quia suspecta semper erit in ore tuo detractio, ex affectu te loqui mox ratiocinabuntur qui audient. Sin contra in iis laudaueris, quod verè laudandum data occasione videbitur, te sine dubio præsentes suspicient, te magis amabunt quasi sincerum Iudicem, quem nulla excęcat odij perturbatio: atque ita ipsum ius tuum aduersum hostes tuos magis cõfirmabis, vtpote à bono & syncero viro propugnatum. Vndè cùm Cæsar Pompeij hostis sui disiectas statuas præcepisset reponi, dixit Cicero: *Statuas Pompeij collocasti, tuas constabilisti.* Vide interim, ne hoc prætextu ex iis quemquam nimis laudaueris, cùm ne amicum quidem expediat nimis laudare, præsertim non satis exploratum. Vnde Horat. l. 1. epist. 1.

Plut. lib. de vtil ab inimic. cap.

Qualem commẽdes etiã atque etiã aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Accipe tandem quod sequitur. Inimicis, qui tecum in gratiam redierint (si eos noueris parum excellere fide & probitate) nec te, nec tua posthac facilè commiseris. Habes consilij huius authorem Ecclesiasticum: *Non credas*, inquit, *inimico tuo in æternum.* Et infrà; *Custodi*

Eccli. 12.

Custodi te ab illo, non statuas illum penes te. Nisi Eccles. 12.
fortè de diabolo, mundo, & carne tantùm loquatur, aut de inimico homine, qui odium nondum remiserit; at nihil obstat, quominus de aliis quoque iam placatis, sed versatilibus, tristibus, & malæ fidei putetur loqui. Hoc modo periit Dion vocatus à Chrysippo, & Antipater à Demetrio, vt scribit Plutarchus lib. de vitiosa verecundia, & à Tryphone Ionathas 1.Mach.12.

§. 7. Charitati, seu amori sancto quàm aduersetur assentatio, satis iam suprà insinuauimus, vbi demonstratum est, ab adulatoribus præcipitari in egestatem, in infamiam, in contemptum; addo in damnationem æternam eos, à quibus recipiuntur; maximè verò Principes, quos vt eleganter annotauit S. August. *Delectat ea facere, in quibus non solùm nō timetur reprehensor, sed etiam laudatur operator.* Quid si ipsis quoque assentatoribus ludibrio sunt? Omninò esse testatur his verbis S. Hieronymus: *Nec credas tuis adulatoribus, qui cum te adulationibus fouerint, asini auriculas post te agitant, aut æstuantis canis portendunt linguam.* Expendamus itaque speciem aliam detestabilis amicitiæ, nempè Venereæ, qua viri vulgò prosequi se dicunt fœminas, & viros fœminæ. Falsam esse amicitiam manifestè probo, Primò, quia vera est animi, hoc est partis nobilissimæ, non autem corporis communis cum bestiis. Hinc Xenophon initio lib. 4. de Socr. dic. Laudat Socratem, quod palàm esset,

Assentatio fugienda.

S. Aug. in Psal. 9.

In epist. ad Rusticum.

Amicitia Venerea detestanda.

Falsa est amicitia.

 ipsum

ipsum non eos, qui pulchritudine corporis præstant, sed illos quorum animus aptus ad capessendã erat virtutẽ amare. Eodem spectat doctrina Aristo. lib. 7. moral. Eudem. cap. 3. *veram optimámque amicitiam esse ob virtutem*, vult dicere, id quod inclinat virum bonum erga alium, huius alterius virtutem esse per se dignam, ad quam propendeamus, & cuius gratia erga illum valdè afficiamur, quem exornat. Secundò, quia per veram non quærit amicus bonum sibi, sed personæ quam amat. Amatori autem libidinoso proposita tantum est delectatio propria ex vsuillius, aspectu, complexu, alloquio, & consuetudine percipienda quam deperit: Vel si illi etiam quærit, nequaquam est bonum verum atque honestum, sed turpe, pecuinum, ignominiosum, infinita post se trahens detrimenta, vt meritò dicere possit amasia, *Vir, vel adolescens iste nefarius sub specie amicitiæ pestis mea est exitialis; inescat me suauiter, vt perimat, instrumentũ dulce est Diaboli ad me illaqueandũ; operor ego cum illo damnationem meam, & vicissim mecũ ille suã. Vtinam venissem nunquã in eius consuetdinẽ. Nunc saltẽ abrumpã eam: tã me sentiet in posterũ auersam à se & alienã, quàm hactenus pronã.* Detrimenta sunt Dei odiũ castos quidẽ amatores diligentis & suspicientis, vt cũ ait: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius, & in perpetuũ coronata triumphat;* impuros autẽ abominantis, & contẽnentis. Itẽ exclusio à regno cœlorum,

Vera quæ quærat. Falsa contra.

Amoris impudici fructus qui. Odium Dei. Cap. 4.

cœlorum, Apocal.22. *Foris canes, & venefici, & impudici.* Item fatuitas & deliratio, cuius testes sunt, quos scribit Apostolus datos in reprobũ sensum, vt faciant quæ non expediunt; & Salomon olim sapientissimus, posteà autem deprauatus per mulieres, & duo illi senes, qui *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderentt cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Quocirca non abs re apud Euripidem Hecuba exprobrat Veneri, quòd Dea sit amentiæ, vt notat Arist. lib.2. Rhet.c.24. Et Platonis iudicio in Symposio: *Tangendi cupido non amoris par est, sed petulantiæ species, & seruilis hominis perturbatio.* Item insatiabilitas; nam inter tria quæ insaturabilia vocat Salomon, os vuluæ reponit, concupiscentiã intelligens, quæ igni similis nunquam dicit, sufficit, & certè:

Rom. 1. *Fatuitas.*

Dan. 23.

Insatiabilitas.

Prou.30.

Addere ligna foco non est extinguere flammã.

Itẽ perennis animi inquietudo ob timores, curas, suspiciones, zelotypiam. Sensit illã, qui dicebat apud Terentium in Eunucho: *Tadet, amore ardeo, prudẽs sciénsque, viuus, vidénsque pereo, nec quid agam scio.* Sensit & Dauid quãdo *tota die cõtristatus ingrediebatur,* Psal. 37. Itẽ seruitus, de qua S.Aug. *Dũ seruitur consuetudini, facta, est necessitas.* Itẽ infinitę blasphemię, dũ insanus amator vocat, quã amat, vel Deã, vel Idolũ cordis sui, cui se totũ dedicat, & offerre dicit in sacrificiũ. Additq; nihil ea inueniri dignius ac diuinius in cœlo, nihil in cœlo melius, nihil in terra formosius, in mũdo denique nihil optabilius.

Inquietudo perennis.

S.Aug.8. Conf. 5. *Blasphemia.*

 Cedo

Cedo, quid iustius, quàm vt ora hæc sacrilega malleorum ictibus conterantur, lingua ferri candentis vim sentiat, restim carnifex in guttur iniiciat, & omnes pulmonum loco dilaceret? Item cædes complures: *Zelus & feruor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Si Helenam Menelai vxorem non rapuisset Paris adulter, nunquam Græci aduersus illum mouissent bellum illud immane, quod innumeris Troianis totique vrbi exitium attulit. Itẽ graues corporis ægritudines, totiúsque vitæ contractio, vt te docebit partim Hippocrates Medicorum doctissimus, qui coitum Venereum speciem sensit esse morbi comitialis; partim Aristoteles sect. 4. Probl. 18. Ratio est, quia ventrem nimis siccat luxuria, profusa maximè. Cerebrum nimis refrigerat, vt dicitur lib. 5. de gener. anim. cap. 3. membra eneruat, dissoluit, extenuat, vt scribit idem Philosophus lib. 1. cap. 18. Indè causam petit, lib. 9. cap. 7. cur animalia nulla valdè lasciua diu viuant. *Sunt,* inquit, *qui passerum etiam mares anno diutius durare non posse arbitrentur.* Item ineptia multiplex, & ineptiæ comes ignominia, cuius indicium non obscurum est, quod actus iste sui testem habere velit neminem, sed semper tenebras quærat & solitudinem: *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domus, sicut in die condixerant sibi & ignorauerunt*

Cædes. Prou. 6.

Ægritudines.

Ineptia & ignominia.

Iob. 24.

runt lucem. Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant. De Salomone hoc habent inter cætera diuinæ literæ: *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.* Vide contractam ex libidine ignominiam. Exemplum iam quæris fatuitatis? Dionyſius Syracuſanus Mytam meretricem omnibus regni negotiis præficiebat. Muliebri autem more nebat Heliogabalus, geſtabat colum, ducebat ſtamina cum ſuis. Vna erat Themiſtocli, qua accipiente pharmacum, ipſe quoque alioqui toto ſanus corpore accipiebat. Hac non contentus ſtultitia, limpidæ loco ſanguine eiuſdem vtebatur ad abluendam faciem. Ad Athenaricum venio Gothorum Regem, quem dum pecteret Pynthia, eius ipſe calceos repurgabat. Illæ Herculis victrices manus, quæ tot monſtra ſubegerant, amaſiæ eius, cui nomen Omphala, colum & calathum ad lanificium ridiculè miniſtrabant. Quid multa? Quemadmodum nix ſi colorem ſpectes, gratiſſima occulta illuuie terrã inficit, in quam cadit, quæ tũ dæmũ ſe prodit, cũ illa reſoluitur; ſic tã amor ille Venereus quàm Venus ipſa blanditur ſenſibus, verùm acerba pœnitudine turpique infamia citò reſpergit amatorem. Impuro huic amori affinis eſt alius, minus quidem fœdus & pernicioſus; diuino tamen, animique tranquillitati valdè contrarius, idéóque reſecandus. Illum intelligo quo vnus vnum,

Eccleſ. 47.

Muliebritatis exempla.

vel vna vnam tanto affectu prosequitur, vt in illũ totus transiisse videatur, vix ab eo possit separari, vix aliud cogitare ne dormiens quidem, vix ab occurrente remouere oculos.

Amicitia Iuuenum immodica.

Perturbationi huic obnoxij præcipuè sunt adolescentes, vt sæpè tradit Aristoteles, causam afferens, quòd amoris huius immodici vis ex forti apprehensione iucundi & pulchri oblectantis veniat; iuuenes autem iucundum sequuntur, & illud in coætaneis suis præcipuè elucens intentissimè obseruant, penitúsque phantasiæ quã recentem habent, imaginúmque valdè susceptiuam, quodammodò inscribunt: *Iuuenum amicitia*, inquit, *esse ob voluptatẽ videtur, quippè cum ex affectu vitam traducant; & maximè quòd sibi iucundum, quódque est præsens, sectentur.* Et infrà: *Iuuenes etiam amatorij sunt, quippè cum ex perturbationis affectu & voluptate multa, illa amatoriæ affectionis vis oriatur; ideò fit vt & ament & citò desistant, sæpè eodem die sententiam mutantes, simúlque toto die versari & conuiuere velint.* Iucundi nomine non elegantia solùm pulchritudóque corporis intelligitur; sed etiam gratia exterior, vrbanitas, affabilitas, dexteritas, agilitas, risus, vestitus mollis, &c. Incommodat diuino amor istiusmodi, quia per illum affectus penè totus relicto Deo transfertur ad creaturam, cui dum tenacissimè corde & cogitatione adhæretur, ira Dei zelotis prouocatur, & voluntas humana quæ tanquam aurea nobilissimáque pecunia in preciosas duntaxat merces impendenda,

Arist. lib. 8. Eth. cap. 3.

denda circa summum bonum, cuiusmodi est Deus, affici deberet ac versari; ridiculè, iniustè, imprudenter circa inane & caducum ita se occupat, vt quasi mancipium ab eo captiua teneatur. Animi quoque tranquillitati eandē ob causam vehementer officit, quia amati præsentia continuò frui, & certò scire se verè redamari; & quidem solum, aut præ omnibus quærit qui sic amat; nec tamen potest impetrare. Sic intentam in eum cogitationem ad Deū, ad propriæ salutis negotia, ad bonarum studia literarum relictis nugatoriis epistolis, & amatoriis versibus conuertere, tam est difficile, vt vix possit suaderi cuiquam, tantum abest vt obtineri. Eandem mentis inquietudinem tanta interdum tristitia sequitur vitæque tædium, cùm amori non respondere creditur, vt sæpè curratur ad laqueum, vt tradit Aristoteles Sect. 30. Problem. 1. Quāuis denique fieri possit, vt Venereus non sit; vt plurimùm tamen maxima est ad Venereū dispositio, & veluti quoddam eius exordium, imò sæpissimè cum eo coniungitur; quia citò facilliméque per illum transitur ad contactus molles & oscula, quibus inardescit statim ignis fœdæ concupiscentiæ. Vndè Alexāder Magnus, vt scribit Plut. in lib. de fortuna Alex. acceptis literis Philoxeni maritimæ oræ in Ionia præfecti, interrogantis, vellet ne ad se mitti inusitatæ formæ puerū, interpretatus est offerri illū sibi à Philoxeno ad vsum Venereū, grauissiméque iratus rescripsit:

O perditissime hominum, ecquid vnquam in me nosti huiusmodi, qui mihi hisce lenocineris voluptariis obsequus? De hac re hoc loco ista dixisse sufficiat: recurret enim libro 3. quædam alia dicendi occasio.

De Prudentiæ præscriptionibus circa Religionem.

CAPVT IX.

§. 1. *Religionis virtus quid sit, & qualiter Dei cultorem affectum esse oporteat.*
2. *Documenta ad præcipuos Religionis actus ritè exercendos.*
3. *Quòd interioribus Religionis actibus accedere debeant exteriores, & contrà.*
4. *Superstitiones vt internoscendæ & deuitandæ.*

Religio virtutū moralium princeps.

§. 1. RELIGIONIS virtus est moraliū omnium princeps, atque ita Theologicis quidem posterior; secunda tamen, quia secundum Deum quem illæ respiciunt, nihil proferri potest diuino cultu maius & augustius, circa quem versatur Religio velut circa obiectum proprium. Prudentiam qua vt dirigatur, indiget, adumbrauit in lege veteri sal illud ter iussum non prætermitti in diuinis sacrificiis: *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Ad quæstionem

Leuit. 2.

ſtionem illam, qualiter virum religioſum ſeu Dei cultorem affectum eſſe oporteat; reſponderi obiter & confusè poteſt, requiri, vt ſit in bono ſtatu, hoc eſt in ſtatu gratiæ, & lethalis culpæ omnis expers; quia eiuſmodi culpa labes veriſſima eſt omniúmque grauiſſima. Si ergo principibus terræ non placent eorum miniſteria, qui corporis ſcatent ſordibus, quomodò placere Deo poterunt obſequia grauium peccatorum? Si à talibus immunes ſeruos ſuos Dauid volebat eſſe dicens: *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat,* quantò magis ſuo Deus magnus, & Rex magnus ſuper omnes Deos? *Victima impiorum abominabiles*, ait Salomon, *vota iuſtorum placabilia.* Et Dauid pater eius deſcribens beatum religioſúmque virum, in lege Domini meditantem die ac nocte, ad perfectè colendum eum, primùm omnium de eo ſcribit, quòd non abierit in via peccatorum. Alibi Deum introducit grauiter indignantem præconibus ſuis impiis, & multiplici culpa ſcatentibus, Pſal. 49. *Peccatori autem dixit; quare tu enarras iuſtitias meas?* & mox: *Tu verò odiſti diſciplinam; & proieciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo,* &c. Eccleſiaſticus autem volentem ſeruire Deo monet, inculpatam vt viuat vitam & innocentem. *Fili,* inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia.* Addit autem *& timore*, quia *initium ſapientiæ timor Domini*, id eſt, quia ad concipiendam voluntatem ſeruiendi Deo, & vt accepta ſit

Deū cultor qualiter affectus eſſe debeat.

Pſal. 100.

Prou. 15.

Eccleſ. 2.

Pſal. 110.

ei seruitus abstinendi à peccato, multum planè confert timor & æternorum malorum apprehensio, quæ indubiè manent nos, nisi veri eius cultores fuerimus. Eámque ob rem Poëta ille Ethnicus admonet suos de cõsiderandis impigrè calamitatibus, quas immittere solet iustus Deus, in numinis sui contemptores:

Horat. l. 1. Carm. ode. 31.

Huc omne principium, huc omnem refer exitum:
Dij multa neglecti dederunt
Hesperia mala luctuosa.

D. Th 2. 2. q. 82. à 1.

§. 2. Decerpamus nunc ex documentis pro Religionis actibus præcipua. Offert septimò Deuotio, *seu actio voluntatis vltrò & ardenter sese offerentis ad seruitutem Dei tanquam vltimi finis, & omnia quæ ad seruitutem hanc cultúmque pertinent, promptè exequi cupientis.* Ea vt tibi valdè sit familiaris, hortor etiã atque etiam, eo quod in se reliquos omnes religionis actus quodammodò continet. Vide amabo quanta sit hominum pronitas atque studiũ seruiendi principibus qui sub Deo summo omniũ Regę mundum administrant, inuident sibi mutuò hanc conditionem & vitæ genus; inde se beatos arbitrantur; tu non ignesces totus præ desiderio obsequendi Deo ipsi? non depelles à te torporem omnem, sicut monet Apostolus: *Remissas manus, & soluta genua erigite?* Non te mouebunt immensa, æternáque præmia, quæ seruis eius reconduntur in cœlis, cùm Principes illi nonnisi caduca promittant, bona vel potius vmbras bonorũ, ac interdũ ne promis-

Hebr. 12.

ſa quidẽ exhibeant? Tã inſipiens eris,vt præeligas placere, & obſtringere te peſſimis dominis mundo, carni,& Mammonæ,dicáſque:

O ciues, ciues quærenda pecunia primùm,
Chriſtus poſt nummos?

Nunquam inultum abire ſinet tantum contemptum Deus. Experitur id in dies humanum genus,cuius tot,tantáque flagella,ex qua magis cauſa deſcendunt, quàm ex hac peruerſitate?

——audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas,
Cœlum ipſum petimus ſtultitia, neque Horat.l. 1. Carm. ode. 3.
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Eâ itáque relictа excita te frequentiſſimè ad ſeruiendũ Deo tuo alacriter, ſicut Gallus vocem daturus priùs alis latera verberat, & ad cantandũ vires aduocat,atque in hunc finem has preces funde: *Perfice Domine greſſus meos in ſemitis tuis,dilata cor meum, vt viam currã mandatorum tuorum, vtque tibi ſeruire moleſtum mihi non ſit, ſed iucundiſſimum.* Pſal. 16.

Circa orationẽ, caue flagitioſum aliquid à Deo poſtulare, cum ne ab hominibus quidem liceat, ſicut ait lex: *Nec damnoſa fiſco, nec iuri cõtraria poſtulare oportet.* Ecquid aliud eſt talia petere, quàm Deum profiteri fontem eſſe flagitij? non etiam poſtulaueris inimicorum tuorum animas, vt ſcriptura loquitur, ſed ad ſummum temporalibus quibuſdã pœnis exerceri impios & ſceleratos, vt ſic C.de precib. Imp. offer.

reſipiſcant

resipiscant. Talis oratio fuit, quam S. Anastasia pro impio viro suo fundi optauit à S. Chrysogono, ad quem, vt Suidas narrat, hæc verba dedit: *Deprecor te ô homo Dei, vt instanter depreceris Dominum, vt aut ad fidem suã, venturum si prauidet Publium, faciat venire; aut si prauidet in hac infidelitatis peruersitate mansurum, iubeat eum dare locum suis cultoribus. Melius enim ei fuerit exhalare spiritum, quàm Dei filium denegare, & eum confitentes impedire.* Paulò antè citatus Poëta Ethnicus in suis ad Deũ votis circumspectus, non plus fuit ausus petere, quàm *integra cum mente non turpem senectam degere.* Alius autem,

Horat sup. ode. 31.

Vt sit mens sana in corpore sano.

Iuuenalis.

Primò ac præcipuè flagitandum quod conducit ad Dei gloriam, & ad salutem propriam; temporalia verò tacenda, vel non postulanda, nisi in quantum Spiritualibus subseruiunt. *Munificentissimus est enim Rex noster*, inquit S. Basil. in Constit. c. 1. *& indignatur si quis paruum quid ab ipsô petat, & nihil ad ipsum attinens. Ne igitur in oratione tua indignationem tibi ipsi inducas, sed pete tibi digna Rege Deo.* Vsurpa præ omnibus orationem quam Dominicam vocant, & Salutationem Angelicam, reuerà potissimas, & dignas ex quibus aliquoties iteratis pergrata Deo corona resultare credatur; illam quippè ore proprio dictauit nobis Christus: *Cùm orabitis*, inquit, *dicite: Pater noster*, &c. huius author est Angelus; adiunctæ autem ei preculæ vniuersalis

Orationes quæ præcipuæ.

Luc. 11.

salis Ecclesiæ. Bonum Ecclesiæ statum, & supremum eius rectorem Christi in terris vicarium habeto singulariter in precibus commẽdatum. Commendat illum tibi versus Dauidicus : *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem*; hunc verò primorum mos Christianorum, à quibus sine intermissione oratio fiebat pro Petro. Nempè maiori curæ publica & grauiora debent esse precantibus, quàm reliqua, vt tradit Arist. lib. 1. Eth. c. 2. & 7. Ora diu multúmque si potes, nec metuas, ne sic Deo crees fastidium. Propria hominum est hæc impatientia, vt Cleomenis Spartiatæ, ad quem cũ venissent Samniorum legati, hortaturi, vt cum Polycrate tyranno bellum susciperet, idque fecissent oratione prolixa, respondit affectus tædio: *Quæ primo loco dixistis, non memini, & ob id nec media intelligo, posteriora non probo.* Veruntamen ne in multiloquio sitam arbitrere orationis vim ac precium. Quid enim si diu quidem supplices, sed oscitanter, frigidè, in speciem potius quàm ex animo, inaduertenter? Vereor ne ingrata magis futura sit, quàm grata tota illa farrago verborum & profluuium sententiarum. Sæpè non vacat longas preces fundere, breues saltem adhibe, si nõ horis dici singulis Heluetiorum more laudatissimo, qui ad singulas solent pectus munire signo crucis, & dicere, *sit nobis hora fœlix*, manè saltem, & ante nocturnam quietem, & nonnunquam iter agendo, & exercendo te in operibus siue laberalibus siue mechanicis

Psal. 121.
Act. 2.

nicis. Quid obstat, quominus per lucida quædam interualla, breuiculam ad Deum orationem dirigas, non secus ac bibendo columbæ oculos crebrò in cœlum attollunt, vel etiam simul oblectes te pio quodam cantico multo prudentius quàm impuri vanique homines inter laborandum amatorio, aut fabulis narrandis, aut detractionibus solent. Nonne S. Hieronymi tempore, *In Christi villula quocumque te vertisses, arator stiuam tenens Alleluia decantabat, sudans messor Psalmis se auocabat, & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicũ canebat?* Inter orandum stude attentus esse, tibíque præsens, déque Deo cui loquetis, vel de verbis quæ sursum dirigis, vel de sensu verborum cogita. *Quomodo sustinebis istius contemptus pœnam?* inquit S. Chrys. ad illum, qui sponte vel culpa tunc animo peregrinatur, *quis te liberabit ab hac vindicta?* Tam necessaria est orationi attentio, vt illam huius voce Græci expresserint, & τὴν προσοχὴν appellauerint, quæ vox propriè attentionem significat. Parum mente peregrinantur, qui vel orant seorsum, vel preces suas proprio cõponunt marte, vel oculos cohibent, ne facilè huc & illuc conuertantur videre cupidi, quis ingrediatur templũ vel egrediatur, quomodò talis vestiatur vel incedat. Inconstantis animi est tanta leuitas vacuique cerebri non leuis præsumptio, sed pergamus. Quemadmodum in æstate formica congregat, quod in hyeme comedat, ita dũ sanus es, orationes multipli

S. Hier. in epist. ad Marcellã.

S. Chrys. in illud Isa. vidi Dominum.

Attentio in oratione quanta requiratur.

multiplica. Nã lecto affixus, aut morti proximus, cõmode non poteris. Ne tempus expectaueris, in quo *corpus quod corrũpitur, aggrauat animam*, & peccator animaduersione hac percutitur, vt vix memor sit sui, qui dum sanus esset, memor nõ fuit Dei. Anteuertit sapienter Dauid extremi huius incommoda temporis, sic orans: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Si non sapis precandi exercitium, fac quod prudentes ægri solent cibum fastidientes: inferunt sibi vim aliquam, delibare escas incipiunt, atque ita sensim apetitui resistunt. Vrgeto te similiter, indignare tibi tam remisso, frigido, nauseabundo, quando alloquẽdus est Deus Rex Regũ; tã exerto contra & expedito, quando miscẽdus sermo est, etiã cũ mimis & triobolaribus. Quò certiùs compos fias postulatorum, pete in Christi nomine, id est, tanquã eius seruus ab eo missus ad rogandũ, & iussus petere, & subnixus non propriis, sed eiusdẽ meritis. Caue affectũ retineas alicuius peccati mortalis, quia tales nõ exaudit, Io. 9. Psal. 65. *Iniquitatẽ si aspexi in corde meo, nõ exaudiet Dominus.* Taliũ oratio est execrabilis, Prou. 28. Potiùs te pœniteat, & statue seruare mãdata, de quibus Ioan. 15. *Si feceritis quæ præcipio vobis; quodcũq; volueritis, petetis, & fiet vobis.* Caue præterea, vnicũ in terrã genu ponas, ne sis Salomone mollior, quẽ vtrumq; flexisse cõstat, 3. Reg. 8. indecorũ illũ rusticis relinque morẽ. Sacrorũ tempore lustrans populũ suum S. Chrysostomus, si quem inuenisset in vnicum

Sap. 4.

Psal. 70.

Genu flexio qua.

cum procidisse, baculo percutiebat eminens alterum, vt discerent omnes vnico non subsidere ante Deum, qui mille si tot haberent, coram mundi Regibus in terram ponerent. De perseuerantia oranti necessaria dicam, l. 3. cap. de fortitudine. Nunc de adoratione.

Deum adorare quid. Deum adorare, est suspiciendo summam eius maiestatem se profundè submittere, & subiectum fateri. Hoc sola mente faciunt Angeli, quia expertes sunt corporis; nobis autem contraria de causa incumbit genuflexionem addere, capitis inclinationẽ, humicubationem, aut alias deiectiones corporis; vt quoad vtramque partem colamus eum, & ritu externo coram hominibus interiorem adorationis actum testificemur. Qui sanè cùm sit vnus de religionis præcipuis, frequenter est vsurpandus, ne aliàs confundat nos in iudicio Rex Babylonis, de cuius iugi superstitione Daniel: *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel.*& infrà: *Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum.* Eiusdem actus forma his verbis constare potest: *Æterne & summe Deus, ego N. indignissimus famulus tuus hìc & nunc agnosco ac profiteor diuinæ maiestatis tuæ super res omnes quæ sunt vel esse possunt, eminentiam. Et cùm tibi ius summum sit in singulas, par esse vt humiliemur omnes sub manu tua potentissima, te timeamus, te veneremur. In cuius rei fidem submitto caput, & flecto genua ad te Deum meum.* Cæterùm, ne Deo

Dan.14.

Adorationis Dei formula.

illudas,

illudas, & quod profiteris verbo, opere destruas, mores indues protestationi huic consentientes, & intellectum voluntatémque constanter abnegabis in aliud obsequium. Seruorum quoque tuorum, si aliquibus stipari te contingat, hîc habeto rationem; vtere tua in eos potestate, iube vt communem similiter Dominum adoratione colant, ne stando aut confabulando sacris in locis, reos se faciant, inuidiam tibi conflent, & habeas super illis peccatum. Christum adorando totum quod in ipso est complectere, præ oculis habens quod dicit Scriptura: *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.* 1. Ioan. 1. Quis autem soluit, nisi qui cum credit, vel Deum esse solùm, vel hominem solùm, vel humanitate posthabita solam in eo adorat diuinitatem? Vtique adoratione summa adoranda simul est eius humanitas, ius istud adepta per hypostaticam seu perfectissimam eius vnionem cum Verbi diuinitate, in vna eademque persona quæ Christus dicitur.

Sequitur diuinum Missæ sacrificium, cui verissimam inesse rationem Sacrificij, nec aliud Euãgelicæ legis proprium posse assignari, non est præsentis loci ostendere; sed si Christianus sis idemque Catholicus, supponere mecum debes vt certissimum. Dixi de hoc argumento, quæ visa sunt sufficere, in professione Catholicæ fidei, & lib. 1. de notis certissimis veræ relig. c. 14. §. 2. & 4. Quare ad alia gradum facio. Noueris primùm non licere tibi illud alteri offerre quàm Deo, siue per te, siue

M per

per alium: quia ſicut Reges terræ certa quædam iura cæteris inconceſſa ſibi ſeruant ac retinent, vt leges condendi, reos capitis abſoluendi, legitimandi ſpurios, cudendi monetam, priuilegia concedendi, inferendi bellum & indicendi; ita voluit Deus, vt ſibi ſoli ſacrificaretur. *Qui immolat Diis alienis, occidetur, præterquàm Domino ſoli.* Nec mirum, cùm ſacrificium proteſtatio ſit ſupremi in creaturas iuris ac dominij, etiam ad deſtruendum eas pro arbitrio; cuius tanti iuris capax eſt ſolus Deus. Poſſunt quidem interdum Miſſæ à nonnullis ſanctis denominari, per quorum merita ſingulariter adiuratur Deus tempore ſacrificij, non autem quaſi iis offeratur ſacrificium. Si conſecratus ſis in ſacerdotē, pudeat te nō frequēter ac penè quotidiè Miſſam facere, quæ in ſacris paginis ideò vocatur iuge ſacrificium, quòd offerri frequentiſſimè debeat. Sed maximè in hac crebritate fidęlis eſto, ſi id requirant anniuerſaria defunctorum, tibi commiſſa interiecto ſtipendio. Caue celebres in ſtatu peccati mortalis. *Nullus ſibi conſcius mortalis peccati*, ait Trid. Conc. ſeſſ. 13. c. 7. *quantumuis ſibi contritus videatur, abſque prauia ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta ſynodus perpetuo ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris.* Sint tibi veſtes ſacerdotales mundiſſimæ, aptéque compoſitæ, geſtus item corporis, & verborum

Exod. 22.

Sacrificium quid.

Malach. 1. Dan. 11. &

Miſſa cur dicatur ſacrificium iuge.

rum prolatio congrua, pia, grauis, ab omni vanitate libera. In priuatis Missis semihoram non excesseris, nec ita breuis sis, vt non expleas. A communibus & receptis Ecclesiæ ritibus nec latum vnguem recesseris seu prætermittendo receptos, seu nouos introducendo. *Non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*, via regia progreditor: Sin autem sis conditione laicus, absit vt per te præsumas rem sacram facere. Nam si lepra percussus est Ozias Rex, tale quid ausus, esto incensum quod adolere tentauit, vmbratile tantum signum esset sacrificij, de quo agimus; an non magnæ te pœnæ obiiceres, si Missæ sacris operaturus in medium prosilires? Relinquito munus hoc sacrum veris sacerdotibus. Satis per teipsum obtulisse videberis, si per alios. Nam neque Rex Salomon per se vnquam sacrificasse videtur, sed per sacerdotes; quomodò enim per se immolasset, occidissetque boum viginti duo millia, & ouium centum viginti millia? Non abnuo tamen, quin per se potuerit: Propheta enim erat sicut & Dauid; licuisse autem Prophetis offerre sacrificium, ex historia liquet Heliæ, & Samuelis. Quod ad verborum formam eidem Sacrificio offerendo opportunam ea vtere, quæ sequitur: *Suscipe omnipotens Deus, & clementissime Pater hanc immaculatam hostiam, quam ego N. indignus famulus tuus offero diuinæ maiestati tuæ per manum huius nostri sacerdotis, ad laudem & gloriam nominis tui, ad vtilitatem quoque nostram*

Ritus communes Ecclesiæ seruãdi in Missa.

Deut. 17.

2. Par. 26.

3. Reg. 8.

Sacrificium Missæ offerẽdi formula.

totiusque Ecclesiæ tuæ sanctæ. Sed & præsens aderis si potes,cùm offeretur,quia sic tibi magis proderit, & par est, vt quod nomine tuo geritur, à te præsente ratum habeatur. At fortè, inquies, vocant me ad se negotia temporalia: nihil illius mihi crede, incommodabis assistendo diuinis officiis. Paschalis Viues eques Hispanus præcinctus ad conflictum militarem tantúmque expectans classicum, audit in sacello, à quo non procul distabat, signum dari ad Missam,eò se confert, cui cùm piè interesset, initur certamen, in quo apparet non vtcumque præsens;sed ita vt singulariter emineat, magnamque hostium edat stragem, cum tamen reuera in sacello preces,vt dixi, funderet: Sed enim oranti in loco sacrificij, Deus potentem in prælio Angelum surrogauit.

Osor.tom. 4.côc.de sacro aud.

Sacrificio finitimæ sunt oblationes simplices, eo relatæ, vt per illas indicemus à Deo esse omne bonum, & quasi feudatarij in protestationem summi dominij,acceptorum saltem particulam diuinæ eius maiestati offeramus; quod quidem semper faciendum tibi est propensissimè, *non ex tristitia aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Ad deteriora ne confugeris cum Cain, sed delectum habeto meliorum Abelis exemplo, qui *offerebat de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Quod nihil aliud sit melioribus substituere deteriora, quàm numen contemnere; ab ipso disce, cuius verba sunt: *Ad vos Sacerdotes, qui despicitis nomen meum.* Et infra: *Si offeratis cæ-*

2.Cor.9.

Gen.4.

Malach.1.

cum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam. Sic calice aut veste sacra augere libet Ecclesiæ supellectilem, nec nomen appones tuum, meo quidem consilio nec insignia, nisi ad id causa aliqua grauis, & alieno potiùs quàm tuo probanda iudicio te permoueat. Id quippè (cum nulla subest causa rationabilis, qualis esse posset, vt qui insignia illa vident, crebriùs orent pro iis quorum sunt) vna ex parte olet vanitatem & ostentationem, à qua in religiosis maximè operibus abstinendum; & merito tuo multum detrahit apud Deum, qui ait: *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Ex altera nihil aliud hoc videtur, quàm dominium eius quod offers Deo, retinere tibi, & vendicare. Appositis siquidem insignibus solent Reges, Cantones, Respublicæ dominia sibi acquirere, atque iis vti velut symbolo proprietatis. Hinc tanta laus Cōstantini Imperatoris, quod ex tot Ecclesiis & Basilicis à se ædificatis, nulli prorsus apponi seu insculpi nomen suum sustinuerit; nempè vt Deus qui videbat in abscondito, redderet ei, nec aliquando diceret: *Amen dico tibi, recepisti mercedem tuam.* Scio rationali summi sacerdotis insculpta fuisse nomina duodecim tribuum Israel in duobus lapidibus Onychinis, quos obtulerunt Principes; sed id factum est solo authore Deo, non principibus, & priuatorum nomina non erant,

Matth. 6.

Constantini modestia quanta.

Ibid.

Exod. 8.

sed ipsarum tribuum. Scio rursus in cap. 7. Num. expressa eorum nomina, qui obtulerũt phialas, & acetabula argentea 170. siclorum, nempè Naason filij Nadab de tribu Iuda; Nathanael filij Suaz de tribu Isachar, &c. sed neque hi honorem hunc ambiuerunt; solus Moyses afflante Deo deferre illis voluit nihil tale cogitantibus. Si quod obtuleris, vsu sit consumptibile, idque comedi videris à sacerdotibus, non ideò suspicere actum non esse religionis, cùm vna ex parte offeratur Deo; ex altera faciat ad commodiorem sustentationem eorum, qui cultui eius mancipantur. Ne calumnieris & dicas commentum esse Sacerdotalis auaritiæ. Scriptum est: *Primitias quas vouerunt, & obtulerunt filij Israel, tibi dedi & filiis tuis, & filiabus tuis iure perpetuo: Qui mundus est in domo tua, vescetur ex eis:* nec tamen repertus aliquando est de filiis Israel, qui expostularet aduersus legem hanc & consuetudinem, quasi profectam ex auaritia. Offers cœnam seruo amici tui, an non actus iste est amicitiæ, amicum ipsum tuum respiciens?

Vsu consumptibilia.

Num. 18.

Quod ad Votum, nihil leuiter voueris, quia sicut opis non est tuæ voti semel emissi obligationem excutere; ita quid agas, in quæ vincula libertatem tuam coniicias, maturè sanè est meditandum. Caue Voto subiicias aliquid per se malum. *Displicet Deo infidelis & stulta promissio.* Vndè Isidorus: *In malis promissis rescinde fidem, in turpi Voto muta decretum, Quod incautè vouisti ne facias: impia enim est promissio*

Votum nõ remittendum.

Eccles. 5.
Isid. in Syn. lib. 2.

missio, quæ scelere adimpletur. Huius generis fuit votum eorum, qui Act. 23. deuouerunt se neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Quos sanè adumbrant, quicumque aliquid vouent in alterius detrimentum. Vt si præsumat vir vxore repugnante voto se obstringere perpetuæ castitatis, ita vt ne quidem reddat petenti debitū. Reprehendit hoc in coætaneo quodam suo S. August. *Quod vouisti non solum non turbaremur, sed etiam probiberemus implere, si fortè tua coniux hoc tecum suscipere animi seu corporis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi, & si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm implenda promissio.* S.Aug.epist. 45. Huc referuntur vota, quæ licet visa sint rationi consentanea, cùm emissa sunt, postea tamen deprehenduntur à ratione dissidere; non, inquam, impleri debent, sicut nec eiusdem generis iuramenta. Si anxius sis, an voueris, nec vlla occurrat coniectura grauis, quæ te voluisse dictet, existimare te potes à voto liberum. Idem iudicium si occurrant aliquæ, sed vicissim pro parte opposita nec pauciores nec leuiores. In dubio namque melior est conditio possidentis suam libertatem, Sot. l. 7. de Iust. q. 3. a. 2. Suar. l. 4. de voto, c. 5. n. 7. & seq. Quid si constet de voto, sed non de solutione voti? Tunc soluendum est votum, non secus ac debitum ciuile certum, pro quo vtrum adhuc creditori satisfeceris

non tibi constat, aliàs iure suo frustrares illum. Si præsentias indoli tuæ futurum perdifficile, hoc vel illud votum exequi, sufficiat tibi prætermisso eo, nondum concepto, propositum boni operis; mereberis siquidem si feceris; non peccabis, si prætermiseris. Sin autem difficultas sit tantùm extrinseca, quam pariunt socij mali inuidentes tibi bona & insultantes, persæpè iuuerit voto te obligare, ad hoc vel illud minimè faciendum: exempli causa ad non ludendum alea, nec in ludo aureos vno plures profundendos, nec cyphos in cœna exhauriendos plures tribus aut quatuor. Ita quippe vicinus grandi præcipitio reprimes te facilius; & efficacem in promptu exceptionem habebis contra importunas illorum preces. Quotiescumque aliquid sub conditione voueris, ne sis anxius, nec te obstrictum puta, quandiu ea non implebitur: vbi impleta fuerit, caue sis in promisso perfidus, exequere quod tenueris. *Melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Clodoneus Franciæ Rex nondum Christianus cùm aduersus Alemannos confligeret in ducatu Cliuiensi, iamque vinci inciperet, memor adhortationum Clotildis vxoris suæ piissimæ, vt relictis idolis Christo vero Deo nomen daret, ita vouit: *Promitto tibi Christe, quem adorat Clotildis vxor mea, si me ex præsenti periculo liberaueris, & desperatam iam victoriam mihi dederis, ero numinis tui cultor & seruus.* Mirum dictu, mox in fugā conuersus est hostilis exercitus,

Ecclef. 5. *Clodouei votum.*

Bellef. in Clodoueo.

citus, ex quo plerique occisi, alij perpetuum se suosque Clodoueo submiserunt; cui nihil fuit antiquius, quàm vbi ad vxorem rediit, quid accidisset, commemorare, & initiari Christi baptismate. Si votum tuum sit personale, vt peregrinandi, orandi, ieiunandi, vitam viuendi regularem, &c. per te solùm teneris ei satisfacere, ídque citrà graue incommodum: Sin autem reale vt sacellum extruẽdi, offerendi cereum, erogandi eleemosynam, &c. per alios facere debes si potes, quod per te nequis. Si quid voueris, quó cum incompatibile sit emissum iuramentum, sequere potius voti legem: Siquidem non præstando quod iurasti, peccas duntaxat in debitam Deo reuerentiam; votum autem infrigendo fidem prætereà violas, cúmque ob id minor sit iuramenti obligatio, cessat in eo casu. Nuncupati voti nunquam te pœniteat, quatenus conducit ad Dei gloriam: hoc enim scelus est; duci verò eius pœnitentia propter grauem adimplendi difficultatem, peccatum ad summum est veniale, modò tanta non sit, quæ te exponat illius negligendi periculo. Vbi aliquid sanctum, iustúmque voueris, interdictum tibi scito etiam appetitum efficacem rei cuiusque contrariæ. Exempli causa: *Vouentibus virginitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est.* Magna & excellentia vota, quò crebriùs apud te renouaueris, eo eris Deo acceptior, noua quasi anchora constabilies versatilẽ voluntatem, ad memoriam

Voti & iurameti violatio quid differat.

S. Aug. l. de bono Virg. c. 9.

Vota excellentia sæpius renouanda.

Lacedæmoniorum votum annuu Gallorum Parlamentorum consuetudo.

reuocabis quæ illa ſequitur, obligationem,& auxilium accipies de cælo nouum ad præſtandum quod ſpoponderis. Ephori & cum iis Lacedæmoniorum Reges inſtaurabant quotannis iuramenta de conſeruandis Lycurgi legibus, & in Galliæ Capitoliis ſeu Parlamentis leguntur publicè ineunte quouis anno, quæ à Iuſtitiæ miniſtris ſunt obſeruanda. Videtur mihi geminatum votum perſimile purpuræ Romanorum, quæ à Græcis δίβαφα ſeu bis tincta dicebatur; ea porrò longè erat precioſior alia, quæ ſemel duntaxat colorem imbiberat.

Iuramentũ non ſit frequens. Eccleſ.23.

Quod ad iuramentum, attende tibi ne frequens ſit in ore tuo. *Iurationi non aſſueſcat os tuum*, ait Scriptura, *multi enim caſus in illa.* Et infrà: *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & nõ diſcedet à domo illius plaga.* Nempè iuramento non aliter vtendum quàm pharmacis, ſola ſcilicet vrgente neceſſitate, extra quam ſit ſermo tuus *eſt, eſt: non, non*, vel his æquipollentia vt, Verum dico, Non mentior, Ita planè eſt vt à me dicitur, Non te illudo mendaciis, Crede mihi, &c. *Quod enim abundantius eſt, à malo eſt:* Hac formula inter affirmandum modeſtiaque vſum legimus Apoſtolum Rom.9. δίβαφα Ἀλήθειαν λέγω ἐν χριστῷ, οὐ ψεύδομαι:, id eſt, *veritatẽ dico in Chriſto, nõ mentior.* Simplicius dici quid potuit? Et vtendum eſſe, monet illa Quintilliani ſententia: *In totum iurare, niſi vbi neceſſe eſt, viro graui parum conuenit, & eſt à Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc eſſe, ſed teſtium*

Matth 6. *Affirmandi formula.*

Quintil.l.9. c.2.

testium. Si videris parua in re non haberi tibi fidem, indignare: si impunè, licet; ac dicito, Ergo ne suspicaris tibi à me verba dari? Vade & vide tu, num ita sit. Non abutar iuramento, vt nimiam incredulitatem tuam sanem, dignamque vituperio. Indignum me fide censes, & ego te ampliori dictorum meorum confirmatione, quibus si iusiurandum adderem, iniuriam mihi ipsi facerem non vulgarem. Insistam itaque S. Basilij regulæ salutari: *Ipsam per seipsam veritatem proferre conare, nudis affirmationibus vtens. Qui non credit detrimentorum incredulitatis habeat. Turpe est enim ac stolidum, seipsum velut indignum fide accusare, & iuramentum securitatem inferre.* Exemplum iuramenti necessarij est, si imperet illud Iudex, vel si in re graui non potes aliter tibi fidem facere, interest autem vt facias: *Quantum ad me pertinet, iuro,* ait S. August. *sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus, cùm videro non mihi credi, ne faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit. Hac perpensa ratione cum magno timore dico, coram Deo, aut testis est mihi Deus.* De contracta iurandi consuetudine dolorem concipe, eamque sensim exuere stude, & tunc non imputabuntur ad culpam iuramenta superflua, quę excident non aduertēti. Vt vota, sic iuramēta rationi cōsentanea, bona fide, & prima occasione si cōmodè potes & certū iis tēpus nō præstituisti in effectū deducito. Quasi à facie viperæ fuge periurium, quod tūc esse dicitur, quādo vel affirmas iurādo

In fidem procaciter non habentem qua dicenda.

S. Basil. in Psal. 14.

Iuramentū necessarium quod.

S. Aug. serm. 28. de verb. Apost.

Periurium quid.

quod

quod falſum eſſe cenſes, vel negas quod verum. Magna ſic Deo irrogatur iniuria, quia diuinum eius ſigillum ſiue teſtimonium furtim, vt ſic loquar, accipitur, & applicatur confirmando mendacio, quo multum offenditur, cùm ſit ipſe prima ſummaque veritas. At peiero tantum ioci gratia, vel pro re leui, vel in alterius commodum. Nihil horum te poteſt à culpa vindicare. Non eſt iocus dicendus, vbi Dei maieſtas læditur. Iuramenti materia leuis auget potius delicti grauitatem quàm minuat, ob irreuerentiam quæ committitur, quando pro modico iuratur, cumque veritas conſiſtat in indiuiſibili tota per quodcumque mendacium deſtruitur, ac proindè in periurio quouis grauiſſima Deo iniuria irrogatur, quia dum adducitur in teſtem mendacij, mendax eſſe ſignificatur, atque ita veritate ſumma deſtitutus, vt notat Suar. l. 3. de Iuram. c. 4. n. 4. Impiè denique vt alicui conſulatur iniuria Deus afficitur. Dicitur etiam peierare, qui ſe aliquid facturum iurat, nec tamen intendit facere; vel intendit quidem, ſed poſteà facere prætermittit, nulla ſubſtante prætermittendi cauſa legitima; qualis eſſet, ſi, verbi gratia, poſterius intelligeres dignum nõ fuiſſe, vel iam non eſſe filium tanta pœna, quã tam te iuraſti inflicturum; aut per ſe iniquum fuiſſe quod iuraſti. (Tunc nequaquam licet ad executionem procedere. Vndè Herodes, vt notat S. Ambroſius, ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſoluit.

Deus prima veritas.

Herodes crudeliter ſoluit, quod turpiter iurauerat.

Turpe

Turpe quod regnum pro saltatione promittitur, crudele quod mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Quantò tolerabilius tali fuisset periurium sacramento?) aut denique bonum fuisse quod iurasti; sed minus quàm aliud, cui ponit obicem. Neque enim Deo, cui magis semper placent meliora, acceptum esse potest hoc iusiurandum; Cuius exemplum fuerit, si per Deum iures vxorem ducere; eò quòd amplexato coniugali statu, ac prætereà consummato, non licebit tibi ad meliorem transire, hoc est, ad Regularem. Aliud est, si reipsa tractes cum sponsa de futuro matrimonio; tunc iurare licebit te illud cum ipsa contracturum, cum hoc sit eius assecurationi necessarium, & ipsi iuretur, non Deo.

S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 11.

De festorum crebritate nunquam quiriteris, quia vt non debent nimis multiplicari, ne incommodent personis miseris victum sibi quærentibus labore manuum; ita multa oportet esse, quia magnus est Deus, quem per ea colendum suscipimus. Quo argumento vtens Salomon, magnum ei Templum ædificauit, dicens: *Domus quam ædificare cupio, magna est; magnus est enim Deus noster super omnes Deos.* Ita fit vt eius gloriæ se inuidere demonstrent, quicumque aduersus frequentiam illam facilè expostulant. Sintne iusto plura an non, nec tuum est, nec meum iudicare; sed Ecclesiæ sanctæ, seu Prælatorum à quibus regitur. Et quoniam instituta sunt, vt in iis colamus Deum solenniter, serio, sine impedimento;

Festa non nimis multa, sed tamen debent esse.

1. Paral. 2.

Festa ad quid instituta.

to, à seruilibus, seu mechanicis operibus toto eo tépore abstinebis, eo quod hęc sũt, quę cultui huic magnũ obicẽ ponũt. *Duas res magnas præsertim*, inquit Cicero, *vno eodemque tẽpore non dico agere, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest*. Nec tu solùm, sed quicumque tibi subsunt ac seruiunt. Sic enim loquitur Dominus: *Non facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, & iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas*. Ne itaque tibi blandiaris quasi culpæ expers, & dicas; non ego, sed seruus meus ligna cædit, terram colit; quia *quod quis per alium facit, per seipsũ facere videtur*. Flagellauit Pilatus Christum, non vtique propriis, sed ministrorum suorum manibus. Cùm Deus æquè serui tui Dominus sit ac tuus, cur non ab eo quoque in festo colatur? Crudelitatem prætereo, cuius notam incurris, non sinens seruum tuum modico illo tempore interquiescere, ac respirare, & aliquid de magna illa corporis contentione remittere, fractasque graui ac diuturno labore vires reficere. Obseruaui sanè frequenter, & comperi, auaros & impios, qui ne lucelli alicuius iacturam sustineant, opera illa in festo faciunt, non euadere cæteris ditiores; sed interdum graues Deo pœnas ob id luere. Luit meo tempore Mussiponti in Lotharingia quidam molitor; qui cùm sæpè admoneretur, ne faceret diebus festis mechanicum aliquid circa pistrinum suum; nec abstineret tamen: ingens pars aggeris, circa quem in

Cicero in Philipp.

Exod. 20.

L. ita autem ff. de admisc tuit.

in festo S. Matthiæ sese occupabat, in tibias eius decidit, easque confregit: ita vt per vitæ reliquum coactus sit ad templi fores stipem colligere, eóque venire sacro tempore, quò sponte noluerat. In vita autem S. Ioannis Eleemosynarij narrat Leontius Cypri Episcopus c. 47. fuisse sutores duos, vnum semper indigentem, alterum rebus omnibus abundantem: ad quem ille: Vndè tibi tanta rerum vbertas? Quia, inquit, iugiter templum adeo, diuinis officiis præsentem me exhibeo, antè omnia Deum colo, & sic prouidente eo cuncta mihi suppetunt, & adiiciuntur. Idipsum & tu facito, nec dubita fore, vt similiter benedictionem eius experiare. Quid contigit? Morem gessit ille pio consilio, & sine intermissione benedixit ei Dominus. Seruilium operum nomine corporalia intellige, quæ nimirum exercentur corpore, & pro fine habent extrinsecum aliquid relatum in vtilitatem corporis. Huiusmodi sunt Agricolarum, Veredariorum, Latomorum, Sartorum, & aliorum id genus artificum opificia; sicut etiam iuxta probabiliorem sententiam Typographorum, Pictorum, Venatorum, & Militum; non autem saltatorum & Musicorum: quia & saltus & cantus ex sua institutione respicit animi bonum, vel recreandi vel instruendi. Idem de scriptione, locutioneque dicium, quibus esto affines videantur typographia & pictura, procul tamen differunt, cum iis propositum non sit menti seruire;

Deus benedicit seruienti sibi.

Typographicorũ opus an prohibitum in festo.

sed

sed exemplaria effingere, siue iis erudiatur mens siue non. Nec tamen ita dico in festo prohiberi opera seruilia, quin ad vitandum graue incommodum ea fieri permittat Deus, cuius *iugum suaue est, & onus leue.* Enimuerò ne subrepat illusio, & mentiatur iniquitas sibi, memineris semper in dubio consulere sapientes, & neque ad dexteram declinare, neque ad sinistram. Noueris præterea non sufficere ad festi rationem, si teipsum abstrahas ab eiusmodi operibus, nisi in religiosis aliquibus te exerceas, quorum gratia illa tunc prohibentur. Inter alia lustrare solebat S. Hieronymus memorias Martyrum. *Cùm essem Romæ puer,* inquit, *& liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris eiusdem pietatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebróque cryptas ingredi.* Quocirca simili tempore dabis te similibus studiis, Deum instanter deprecabere, pro Regibus maximè & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agant, cum omni pietate & castitate. Agas eidem gratias pro tot acceptis beneficiis, & adorationis cultum exhibebis, & laudibus extolles summam eius maiestatem; dicens, exempli causa: *Gloria patri, & filio, & Spiritui sancto,* &c. Ab iis certè ducendum exordium potius, quàm à petitione, docuit S. Basilius: *Orans nō statim ad petitionem deuenias; quia si deueneris, detegeris propositum tuum, quòd necessitate compulsus Deum adoras. Ubi itaque incipis orationem, incipe à glorifica*

Matth. 11

Religiosis operibus vacandum in festo.

S. Hier. l. 18. in Ezech. cap. 40.

1. Tim. 2.

S. Basil. in Const. c. 1.

glorificatione conditoris omnium. Gratias ago tibi Domine, quod patiens fuisti ob peccata mea, & usque ad hoc tempus me impunitum dimisisti. Et infrà: *Tunc deinceps pete, quod debes petere, non diuitias, terrenam gloriam, corporis sanitatem; sed regnum cælorum.* Potissimum autem diebus festis intereris diuino Missæ sacrificio iuxta præceptum Ecclesiæ. Audito campanarum signo, quod existimare debes signum esse vocantis te Christi, moras omnes rumpe, qui vocatus à mortali Principe confestim lætusque accederes. Si solennitas vna sit de præcipuis, expia mentem per exomologesim, posteáque sacra Synaxi refice, in qua est panis vitæ, qui de cælo descendit, panis ille ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis, qui vnicuique nostrum quotidianus deberet esse, multò magis quàm manna Iudæis. Ante finita mysteria ne discesseris, eò quòd discedentium impatientia intolerabilis est plenaque scandali. Non discedebant à suis Ethnici nisi absolutis, & publica præconis voce dimitterentur; adeò autem illis cedendum non est, vt ignominiosum valdè sit, si nihil boni præ illis faciamus. O lugendam ætatis nostræ impietatem! Vix pedem extulit qui discedit, cum finis est sacri; nec tamen eousque expectare sustinet, adeò nauseat anima illius super cultu sanctissimo. Sed neque videt, quanto se priuet emolumento, sacerdotis, inquam, benedictione sub finé dari solita longè sanè efficaciore, quàm esset Patriarchatum, à quibus quantoperè optarent

In Oratione quomodo procedendum.

E Missa quando discedendum.

rent filij sibi benedici, intelliges ex cap.27. Gen. & cap.9. Leuit.& 1. Reg. 1. Cùm suam impertiuisset Comiti de Monfort Cominæus Episcopus, classicum cecinit Comes, & cum 800. militibus inuasit, fregit, fugauit exercitum Aragonum, in qno numerabantur non pauciora 20000. Et nostro seculo Ioannes Austriacus accepta benedictione à Pio V. Pontifice Maximo, non dubitauit in nauale prælium cum potentissimo Turcarum Imperatore Solymanno descẽdere, & ad Echinades insulas, vulgò *Lepanto* (non quod sint ipsum Lepantum, sed quòd ei vicinæ versus occidentem) nobilissimam ex eo victoriam reportauit. Esto toto sacri tempore pietatis forma cæteris, odorque vitæ in vitam; Principum maximè hoc munus est, optimatum & diuitum, qualium exempla potenter in omnes vulgò transeunt, existimantes licere sibi, quidquid in iis fuerit obseruatum. Quo in loco versere cogita, cui quantóque Domino sistaris, quidque acturus veneris. Apud te dicito, *spectaculum factus sum mundo, & Angelis, & hominibus*. Etiam in vespertinis horis videat te fidelis populus, quando laudatur idem Deus tuus in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. An non benefactor tuus est, ac conseruator horis pomeridianis, æquè ac antemeridianis, & cœnam ab eodem expectas, qui dedit prandium? Cur non ergo etiam post meridiem, te sui cultorem sentiet?

Vis benedictionis sacerdotalis quanta.

Ioannis Austriaci Victoria de Turcis post benedictionem.

1.Cor.4.

Sacrificio affinia sunt Sacramenta, ad quæ admini

administranda si sis consecratus, sobrius estó; vt quid agas semper intelligas, irritumque non reddas sacramentum defectu debitæ intentionis atque iudicij, aut temulentiam subita luas morte, vt olim Nadab, & Abiu Leuit. 10. Cúmque ferendum minimè sit, contaminatos labe peccati mortalis tractare sacra, & scandalo esse infirmis ignorantia fidei laborantibus, quibus vix videri magnum potest & sanctum, quod à talibus contrectatur, constitue te priùs in bono statu per pœnitentiam. Scio non pendere sacramentorum vim à probitate Ministrorum, vt definit Trid. Syn. sess. 7. can. 12. & tales infirmos corrigendos, interim id ferè habent persuasum, quorum percuti conscientiam seuerè cauet Apostolus 1. Cor. 8. Quem publicè indignum noueris & indispositum, vide ne contuleris ei sacramentum. *Non dabis sanctum canibus.* Sacramenti cuiusque materiam & formam in Ecclesia Cathol. obseruari solitam ad amussim vsurpabis, & recordabere quid hæretico acciderit adulteranti baptismalem. Ita rem gestam narrat Nicephorus: *Cùm quidam Episcopus Arianus, cui nomen Deuterius, baptizasset Constantinopoli quẽdam nomine Barbam extra formulam Ecclesiæ, veluti traditionem abolens & dicens: Baptizetur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; ecce vnda quæ in sacro lauacro erat, repẽte disparuit.* Vicissim si Laicus sis, ad Sacramenta, quæ viuorum dicuntur esse, hoc est, ad Confirmationem, Eucharistiam, Extremam vnctionem,

Matth. 7.

Nicep. lib. 16. cap. 15.

Vnda disparet in baptismate.

Sacramenta viuorum quæ.

Ordinem, & Matrimonium, sic affectus accede, vt prudenter te arbitreris in statu esse gratiæ. Nam similiter omninò dedecet ab indignis sacra suscipi, dicente Apostolo: *Qui mãducat & bibit indignè, indicium sibi manducat & bibit.* Ad duo autem reliqua Baptismum & Pœnitentiam, quia Sacramenta sunt mortuorum, seu eorum qui solent esse diuina gratia d... uti, dispositio eiusmodi non requiritur, ne ... habere cogantur fideles antè illorum susceptionem, quod in ea quærunt, assequuntur, & recipiunt. Exigitur tamen præparatio, quam habere possunt peccatores. Vnde Iudæis qui Christum crucifixerant, & de via vitæ interrogabant, respondit S. Petrus intendens vt baptizarentur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Vides præmitti Pœnitentiæ virtutem Baptismi sacramento. Quod ad vsum ipsiusmet Sacramenti Pœnitentiæ, inuocato diuino lumine discute conscientiam tuam, vt vbi lapsus sis ab vltima confessione, intelligas. Hinc concipe animo dolorem serium de peccatis tuis omnibus, obiiciendo tibi diuinam illam summamque Maiestatem, quam peccando lædere ausus es & contemnere. Huic vni per peccatum displicuisse sit tibi dolendi causa omnium prima ac potissima, non pœna temporalis, sed neque æterna, cui te fecere delicta tua obnoxium. Non iactura cœlestis gloriæ, & id genus alia, vtpote secunda, & longè inferiora. Eadem rursus peccata

1. Cor. 11.

Mortuorum quæ.

Act. 2.

Ad pœnitẽtiam præparatio.

cata quantum venire in memoriam poterunt, iuxta Christi legem, fideliter confitere proprio eius in terris vicario primitiuorum more Christianorum, qui Act. 19. *Veniebant confitentes, & annunciantes actus suos*. Non vtique actus bonos, quod proprium est iactātiæ Pharisaicæ; sed malos, quod pœnitentiæ; idque vulgò non publicè ad occurrendum scandalo infirmorum, sed occultè ad aurem. Nullum de grauioribus seu lethalibus memoriæ occurrentibus à te vult Deus retineri, qui ait: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto*. Isa. 61. Faciendum quod dicebat Moyses: *Cuncti greges pergent nobiscum, ne vngula quidem remanebit*. Nempe cur vnius potius à te contracti reum te constitues, in sacro illo tribunali, quàm cæterorum? Vulnera sua omnia prodere Medico debet, qui curari vult ab omnibus. Nulla te verecundia, nullum Dæmonium mutum loqui prohibeat. *Ne confundaris pro anima tua dicere verum: Est enim confusio adducens gratiam*. Eccles. 4. Si graue tibi videtur vni aperire homini quod perpetrasti, quantò erit grauius pro eo cunctis manifestato in magni die iudicij æternum subire supplicium? Sapientis est de duobus malis minus eligere. Quid? quod te non puduit coram multis cōmittere, iam pudebit ad aurem deferre talis silentiarij? aut legem diuinam, quæ hoc iubet, calumniaberis quasi intolerabilem? Quid minus exigere à te diuina iustitia potuit, quàm vt te reum cognosceres, & sicut Dauid

confitereris aduersum te iniustitiam tuam? vtque inde orta verecundia frænum tibi esset in futurum, & maioris cautelæ occasio, & pars bene magna expectatæ à te satisfactionis? Esse bene magnam tradit S. August. lib. de pœnit. *Repræsenta*, inquit, *vitam tuam Deo per Sacerdotem, prauenito iudicium Dei per satisfactionem. Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans nihil eorum, quæ commiserat, nuntio Dei denegauit.* Et quia vt integrè rectéque confitearis, opus sæpe est quæri à te varia; Sacerdos autem viros morosos, aut primarios interdum non audet interrogare; adde illi hac in parte animum, si huius ordinis sis, & pete vt suo iure tecum agat, eadémque confidentia & libertate admoneat, vel etiam reprehendat, qua cæteros. Quære tibi pium & prudentem, quia si talis sit, adeò non te minoris faciet, quàm prius etiam narrantem grauia, vt ex aduerso tantò pluris facturus sit, & ad malum tuū ingemiturus sit, quātò te seueriorē sētiet tui accusatorem. Præter dolorem de quo suprà, concipe (antequam consequare absolutionis beneficium) melioris vitæ firmū propositum. Veniant in mentem tibi verba Domini, Ioan. 5. *Iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Relapsum semper pœna sequitur solita grauior. Vndè ait quidam:

Post mihi non simili pœna commissa luetis.

Ergóne suis more & canis reuertere ad volutabrum luti & vomitū? Aut blandieris tibi de aqua

aqua pœnitentiæ, qua liceat animi sordes, siue culpas quantumuis iteratas eluere? Enimuerò certum pœnitendi spatium quis sibi promisit? Ergóne quia longanimis est Deus, obstringes te nouo scelere? aut facilè præsumes postquam sic ex malitia peccaueris, adfuturum tibi dolorem verum? Quid prodest animum iamiam repurgatum smigmate & sapone pœnitentiæ, repetitis iisdem vitiis mox conspurcare? *Expoliaui me tunica mea*, dicebat illa, *quomodò induar illa? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Addit S. Paulus: *Si qua destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo.* Et rursus: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Hinc tanta laus Dauid Regis, B. Petri, & B. Magdalenæ, quòd nunqnam ad vomitum redierint. Hoc resipiscendi propositum fuisse tibi serium, vix persuaseris, si statim ad pristinos te mores transferas. Vt taceam, quòd resorberes illos, conscientiam percussurus sis infirmorũ pluriũ, quibus facile in mentem veniet: *Hic si non esset hypocrita, si nõ contentus externa specie pietatis, de necessaria ad hoc sacramentum dispositione esset sollicitus, aliam profectò vitam sensim viueret.* Vel, *quorsum Sacramenta frequentauero, ex quibus vt in tali videre est, tam parum vtilitatis percipitur?* Vide itaque à te vt fias alius, & quidem quamprimùm poteris, ne illudas Deo, cui hoc in eodem Sacramento quodammodò spopondisti per sanctum illud propositum vitæ melioris. Non

Cant. 5.

Gal. 2. & 6.

Firmũ propositum in pœnitentia.

dicas, in futurum ſapiam, & omninò recedam à prauis meis conſuetudinibus:

Martial. ad Iulium.

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere, viuam.
Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.

Admitte vltrò impoſitam tibi pœnitentiam, niſi ad manum tibi ſit detrectandi cauſa euidens. Iudicium in re propria ne tibi facilè arrogaueris. Quidnam è re tua ſit, exploratius multò eſt Medico ſpirituali, quo ad te ſanandum Deus vtitur. Eandem exiguam potiùs interpretare quàm nimiam. In Mutio Sceuola culpa non fuit, quòd aberrauerit occidens Porſennæ Regis loco alterum; & tamen errorem hunc vindicare ſtatuit, & conatus eſt pœna grauiſſima, dexteræ, inquam, lenta aduſtione. O quàm vtile eſt in hac vita ſatisfacere, vbi multum redimitur modico pretio, nec expectare futuram, in qua cum peccatoribus ſummo iure agitur. Quantò efficaciora ſunt opera, quæ in Sacramento imponuntur, quàm quæ vltrò aſſumuntur? Pertinet quidem ad ſacerdotem vbique perpendiculum adhibere prudentiæ, & in pœnitentiis imponendis deficere potiùs, quàm excedere; ſed ad te viciſſim non facilè quiritari. Quod non ſoluis in præſenti ſeculo, ſolues vtique in altero, idque non ſine vſuris maximis. Si quid iuberis reſtituere, actutum, ſi potes reſtitue; nihil non tuum rebus tuis adhæreat: fieri non poteſt vt diteſcas alienis, quia ſi aliorum ſunt, tuæ non ſunt. Vnde *Bona noſtra*, ait lex, *intelliguntur, deducto ære alieno*. Si mãdatum accipis,

L. non poſſunt. ff. de iur. fiſc.

concubi

concubinam vt domesticam eiicias, noli refragari, edicto tam iusto quantocyus morem gere. Sit tibi tandem hoc Sacramentum perquàm familiare, in quo repullulantes culpas tuas eluas. Sit veluti claua Herculis, qua renascentia hydræ capita citò conteras ac prosternas.

Familiarem quoque tibi facito sacrę vsum Synaxeos; sed proba te prius per pœnitentiæ Sacramentum: communicaturus fidem exere, & quàm certò credis non potuisse mentiri Christum; tam constet tibi quem suis in cœna exhibuit discipulis, & deinceps in Ecclesia sua voluit exhiberi, verum esse corpus eius, cùm disertè de eo dixerit, *hoc est corpus meum*; non autem *hoc est figura corporis mei*. Et mox, *quod pro vobis tradetur*; scis autem verum fuisse pro nobis traditum. Nec vllibi Scripturam dicere, per corpus intelligi debere figuram corporis. Exere te pariter in actu Charitatis, cuius formam protuli cap. 7. Non desit Humilitas, quæ suggerat stare te procul à sanctimonia, quam suo iure postulat cœlestis hæc ambrosia, tametsi Christus pro sua pietate contentus sit ea, ad quam extendit sese facultas nostra. Arma depone, si accinctus es aliquibus, nec imitare Caluinistas, qui gladiati ad liba sua procedunt. Rectè, cùm sint profanissima; conuenire autem debet patellæ operculum. Ad eandem diuinam Eucharistiam genu flecte, nisi corporis obstet infirmitas, & accede in honesto habitu, ieiunóque stomacho.

Sacra Synaxis debet esse frequens.

Caluinistæ gladiati ad liba sua accedunt.

S.Aug.epist. 118.

Communio sub vna specie laicis.

Nam, vt scribit S. August. *Ad honorem huius Sacramenti spectat, vt in os hominis intret nullo adhuc cibo aut potu infectum.* Ne mali consulas, quòd tibi Laico porrigatur sub sola panis specie; tum quia totum nihilominus Christum accipis, (quia totus sub vtraque continetur, vnde ait de eo quod manducetur Ioan. 6. *Qui manducat me.* &, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane*, &c. nec iam ab eius carne sub specie panis exhibita separari sanguis potest propter immortalitatã, de qua Rom. 6. *Christus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*,) & consequenter tantum ad te gratiæ deriuatur, quantum si communicares sub vtraque specie: tum quia in cõmunione sub vini specie data rusticis, infirmis, senibus & laicis aliis multæ contingunt irreuerentiæ, vomitiones præsertim, liquoris sacri effusiones, quæ nisi ea suppressa vitari nequeũt; decet autem, vt omnia *honestè & secundùm ordinem fiant*, iuxta præscriptum Apostoli 1. Cor. 14. Sicut etiam ad vitanda incommoda quę quondam resultabant, cùm paruuli ad sacram hanc mensam admitterentur (admissos enim fuisse testantur S. Clemens Papa, lib. 8. Const. c. 20. S. Cypr. serm. de lapsis. S. August. lib. de Eccles. dogmat. cap. 52.) hodie non admittuntur, ne apud sectarios quidem. Concludam, si monuero, vt magna semper reuerentia prosequare augustissimum hoc Sacramentum, siue cum in templo requiescit, siue cum defertur ad ægrotos, vel publicè circumfertur.

Reuerentia in Eucharistiã quanta.

Qui

Qui magnâ illi exhibuit Rudolphus Austriacus Comes Haspurgensis, euehi cum familia sua à Deo meruit ad Imperatoriam dignitatem.

De reuerentia dum loquor, vide vt debita prosequare etiam alias quascumque res sacras. Caput aperito templum præteriens. Pudeat peccatis inquinatum lethalibus, hoc est sordibus omnium grauissimis eò pedem inferre, qui luto scatens Regiam non auderet intrare, nec Principis sui mortalis oculos obiecto tali offendere: displiceant tibi saltem: peccata eiusmodi, quæ nondum eluisti. S. Maria Ægyptiaca dum adhuc scateret vitiis, nec vllam de pœnitentia cogitationem suscepisset, inferre se volens Ierosolymæ cum cæteris in ædem sacram, ter occulta vi repulsa est, nec antè potuit, quàm ad se rediens, & B. Virginem orans, cuius imago ante templi fores prostabat, id impetrauit. Caue ibi nugeris, spacieris, rixeris, aut turpe quid agas: Nec canes vnquã eò introduxeris, nec catulos; quia animalia sunt inquietiora multò & spurciora, quàm indè abactæ à Christo oues & boues. Ioan. 2. Quiescunt rarissimè; & cum non quiescunt, cursitant; si non cursitant, colludunt; si non colludunt, latrant; si non latrant, lasciuiunt; si non lasciuiunt, stercore pauimentum inficiunt, vel fœdissimo lotio altarium antipendia preciosa contaminant. Tale aliquod pecus inducere in Meschitas Turcicas capitale est. Sacras reliquias venerari disce, partim à leone illo

S. Maria Ægyptiaca ter repulsa ab ingressu adis sacra.

qui

qui 3. Reg. 13. non dico cadauer viri sancti, sed ne quidem eius asellum ausus est lædere vel contingere; partim ab infortuniis Leonis Imperatoris nacti patrem Copronymum, & Clodouei II. Franciæ Regis: Quorum ille in deprædatione templi cuiusdam nobilissimam sancti vnius coronam capiti suo ausus imponere, subitò febri correptus est, sensitque incendi sibi caput scatens vndique pustulis, & breui inter viuos esse desiit. Hic verò, quòd apud S. Dionysium præsumpsisset contrectare propriis manibus sancti huius ossa, in amentiam incidit. Seruetur item honor debitus vasis, personis, cæremoniis, & scripturis sacris. Nam quod ad vasa, ne Leuitis quidem licebat ea proximè tangere, quæ erant tabernaculi.

Leonis & Clodouei punitio diuina. Sigebert. in Chron. Bellef. in Clodou. 2.

Num. 4. *Intrabunt filij Cath, vt portent inuoluta & non tãgent vasa sanctuarij.* Balthasar Rex Babylonis ad profanam mensam suam adhibens ea, quæ pater eius abstulerat de templo Salomonis mox in pœnam regno vitaque priuatus est. *Eadẽ nocte interfectus est Balthasar Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum.* Athalia similiter, quia eiusmodi vasis eousque abusa est, vt ex iis ornauerit templum Baal, 2. Paral. 24. nihilò feliciùs ex hac vita migrauit:

4. Reg. 11. *Imposuerunt ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum iuxta palatium, & interfecta est ibi.* Quod ad personas, vngebantur in lege veteri tria hominum genera, Sacerdotes, Prophetæ, & Reges; sed ita vt vnctio Sacerdotum sicut partibus constabat longè pluribus, ita multò esset

Vnctio triplex in veteri lege.

esset cæteris augustior: Postrema regalis erat, quam tamen sic reueritus est Dauid, vt nunquam præsumpserit mittere in Saul manus hostem alioquin capitalem: *Non extendam,* inquit, *manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.* Quid fecisset, si Saul de numero fuisset Sacerdotum eiusdem legis? quid si Euangelicæ longè præstantioris? Cum iussisset idem Saul impiis seruis suis irruere in Abiathar & alios Sacerdotes, negarunt fortiter id se facturos. *Noluerunt serui Regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini*; adeò intelligebant, qui etiam erant fortunæ mediocris, quantùm honoris talibus deberetur. Superbi illi quinquagenarij quod arrogantius Heliam Prophetam fuissent allocuti, igne de cœlo cõsumpti sunt: ab vrsis verò discerpti pueri duo supra quadraginta, quod Elisæum eius discipulum caluum appellassent. Volens Saul Samuelem Prophetam retinere à se recedentem, apprehendit pallium eius, & lacerauit, mox autem audiuit: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Quod ad cæremonias seu ritus Ecclesiæ, similes dici possunt tam caprinis illis pellibus, quæ licet in speciem contemptibiles tegebant arcam fœderis, & conseruabant; quàm ipsimet arcæ, quæ extrinsecus vilis, aurea tota erat intrinsecus. Descenderunt magna ex parte ab Apostolis, & in suæ recessu significationis mira continent. Vtinam solùm enuclearentur diligenter à Concionatoribus, & religiosè à

1.Reg.24.

1.Reg.22.

4.Reg. 1. & 2.

1.Reg.15.

Sacerdo

Sacerdotibus vſurparentur; mirificam in dè conſolationem plebs fidelis acciperet, ſicut & Valens Imperator, de quo S. Gregor. Nazianz. *In die luminarium, quando populus omnis in Eccleſiam conuenit, ingreſſus, vbi ordinem, pſalmodiam, caremonias ritè celebratas, aras omni decore & reuerentia cultas, populum denique omni deuotione aſtantem vidit, admiratus eſt.* Sed quamuis quid ſibi velint, aut quò ſpectent nemo doceat, perge nihilominus probare illas & ſuſpicere. Nullum dabis mihi rerum genus, in quo non ſint obſcura plurima in naturæ operibus, in diuinis literis, in iure ciuili, vbi legimus: *Non omnium quæ à maioribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.* Imò addit, *Rationes eorum quæ conſtituuntur, inquiri non oportet, alioqui multa ex iis quæ certa ſunt, ſubuertentur.* Quod denique ad diuinas literas, non reueretur illas, ſed habet ludibrio, qui hæreticorum more ſenſum affingit illis ei contrarium, quem Catholica probat Eccleſia; vel transfert in res magicas, in nugas & iocos ſeculares. Si nihil Deo dicatum ad humanos eſt vſus transferendum, quantò minus Dei verbum? Si nec principibus laicis vti licebat vnguento Sacerdotum, dicente Deo: *Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius non facietis aliud. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo:* quantò minùs diuinis literis ad nugamenta? Scribunt Ioſephus 12. Antiq. 2. & Euſeb. lib. 8. præpar. cap. 1. interroganti Ptolomæo

S.Gregor. Naz. in vita S.Baſil.

L. non omnium ff. de legib.

Diuinarum literarum abuſus.

Exod. 30.

lomęo Philadelpho, cur diuinarũ literarũ nulli profani authores meminissent, nihil sumpsissent ex ea, nec fuissent interpretati; respondisse Demetrium Phalereum, quosdam tentasse, sed à Deo percussos fuisse velut indignos, inter alios Theodorum quedam tragœdiarum scriptorem lumine orbatum, vbi primum tentauit ex iis quædam in sua transferre poemata. *Theodorus tragœdus lumine priuatus & cur.*

§. 3. Sicut ad constitutionem hominis necesse est corpus & animam concurrere, ita vt nequaquam sufficiat pars vna sine altera: ita actus religiosus vt sit numeris suis absolutus constare debet extrinseco & intrinseco. Illud sanè Deo sine isto non satisfaciet, qui vt spiritalis est substantia, spiritu præcipuè adorari cupit & coli, Io.4. Atque hinc est, cur apud Isaiam expostulet aduersus eos, qui exterioribus solùm insistebant religionis partibus. *Appropinquat populus iste ore suo & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Istud vicissim sine illo quàm erit imperfectum? Nam vt concedam cultum intrinsecum esse extrinseco potiorem; illo tamen indiget vt complemento, sicut & foliis floribusque fructus arborum. Indubiè vtraque nostri parte, corpore, inquã, & anima colendus est author vtriusque. Hoc profitetur Dauid his verbis: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius*, & B. Paulus istis aliis: *orabo spiritu* (id est voce) *orabo & mẽte.* Vt non dicam interiores actus nostros nõ Isa.29. Psal.102. 1.Cor.14.

erum

erumpere solùm in exteriores sponte quadam & naturæ lege (sicut latentes affectus corporis prodere se consueuerunt per signa exteriora) quæ causa est, cur difficile sit simulare vel dissimulare diu, & seruare secretum, sed etiam intendi accessione exteriorum, eò quòd animus excitans sese ad istos adiiciendos, attendit sibi magis, & conatur, operatúrque intensiùs. Vt prætereà taceam proprium esse Nouantium exteriorem illum religionis cultum oppugnare, & negligere, proindeque Catholici muneris etiam huius habere rationem, ac meminisse verbi Domini: *Hæc oportuit facere & illa non omittere.* Quanquam ne ipsi quidem Nouantes ab exterioribus omnibus abstinent: nisi fortè nunquam genu ponunt, nec voce verba enuntiant; qui ritus sine dubio de numero exteriorum sunt, quos sugillant. Nisi item respondeant, non assumi exteriores tanquam partes diuini cultus. Sed si ita est, superflui ergo sunt, olentque superstitionem; cur ergo non resecantur? Cur eos non prætermittunt hi cathari, orbísque vt iactant reformatores, qui nihil peregrinum, nihil à Deo non præceptum diuino cultui putant admiscendũ? Qua veritate dicere Deus potuit loco ante citato de externo cultu loquens: *Populus iste labiis suis glorificat me?* An potest Deus glorificari actu aliquo, & non coli?

Luc. 11.

Isa. 29.

§. 4. Quemadmodùm ad Agricolæ spectat prudentiam, agrum suum à spinis repurgare, aliisque eiusmodi quisquiliis, quibus vel suffocatur

catur ſemen bonum, vel prohibetur accipere incrementum: ita virum probum de religioſis actibus cogitantem abſtinere oportet à veris quibúſque ſuperſtitionibus, tantò nocentioribus, quantò ægriùs ab actibus illis diſcernuntur, & incautos fallunt ſui ſpecie. Superſtitio falſi cultus dicitur, qua honor ſoli vero Deo debitus, in falſum Deũ ſeu creaturam transfertur, ſiue explicatè, vt in Idololatria & aperto Dæmonis cultu vſuuenit; ſiue implicitè, quod fit, quando per diuinationem à creatura aliqua ſcire certò volumus, quod docere ſolus verus Deus poteſt: Aut per Magiam moliri aliquid interiecta creatura, quod ab eiuſdem Dei virtute pendet, puta reſuſcitare mortuum. Aut opera vti Dæmonis ad aliquid, cum quo interdicitur nobis omne commercium; nõ modò quia fallaciſſimus eſt, & inſidiatur nobis; ſed etiã quia nunquam ſine præiudicio diuini cultus quippiam facit alicuius gratia. Certè cùm ſit capitalis Dei hoſtis, & nemo ſeruire poſſit duobus ſibi aduerſantibus, hoc ipſo quis à Deo recedit, quo ei adhæret. *Inimicus meus is etiã eſt*, ait lex, liberi, Cod. de in offic. teſtam. *qui verſatur cum inimicis meis.* Item ſuperſtitio eſt per vanam obſeruantiam expectare ab eadem creatura certos vitæ noſtræ euentus & directiones, qui haberi non poſſunt; cum Deus ſolus ſit in cuius manu verſatur vitæ totius noſtræ curſus atque diſpoſitio. Quibus proindè modis omnibus in religionem peccatur,

A ſuperſtitionibus abſtinendum.

Superſtitio quid.

& habetur creatura Dei loco. Labefaciunt ſeſe hoc delicti genere Venefici, Oracularij, Necromantici, Aruſpices, Augures, Sortiarij, Iudiciarij, Temporarij, qui ſcilicet dies, menſes, annnos obſeruant, non ad Dei cultum, ſed ad directionem rerum ſuarum; nec habita ratione cœleſtis influxus, ſed præcise anni, menſis, diei, vel horæ, quia talis eſt; exempli cauſa, qui ſingulariter obſeruant pluatne in die conuerſionis S. Pauli, & S. Vrbani: vel herbas colligunt ipſo die S. Ioannis Baptiſtæ ſacro: aut credunt quoſdam dies eſſe ad iter vel negotiationem aptiores; vel equis venam aperiunt in die S. Stephani. Item qui certo vtentes ritu circa elementa aſpirant ad arcanam aliquam notitiam. Inter quos nullo modo reponendi ſunt Veneti, licet elementum aquæ ſeu mare iniecto annulo quotannis ſibi deſpondeant, quia id non faciunt occultæ ſcientię adipiſcendæ cauſa; ſed in dominij ſui argumentum, & memoriam nauals pugnæ, ex qua Sebaſtiano Ziano duce reportarunt victoriam & triumpharunt de Othone filio Friderici Ahenobarbi, captúmque obtulerunt Alexandro III. Pontifici, qui Venetias profugerat. Tum enim Ziano Pontifex annulum de manu ſua detractum obtulit dicens: *Authoritate mea hoc annulo fretus Oceanũ tibi ſubiicies, & quotannis tibi poſteriſque eo die, quo hanc victoriã pro Eccleſia defenſione obtinuiſti, deſpondebis mare, vti ſciant omnes maris dominiũ tibi conceſſum; quia ſedis Apoſtolicæ tuē-de*

Veneti mare deſpondent ſibi quotannis iniecto annulo, & cur.
Delriol. l. 4. vſq. cap. 2. q. 6. ſect. 3.

Villamont. l. 4. peregr. c. 34.

da curam & studium fideliter suscepisti. Sit hoc tibi quasi pignus benedictionis; & secundæ sortis in futurũ. Exempla curationũ Magicarum sunt, in quibus interrogatur de colore ægri animalis, vel animal sanari iubetur *tã verè quàm Ioseph*, &c. vel in quibus dicitur *antè par antè*, vel alligatur idem pecus plantæ, quæ nondũ fructũ tulit, vel brachium funiculo laneo, vel incutitur fortiter pes animalis, dicẽdo, *consummatũ est*: vel in ampullã vitream iniiciũtur aliquot grana hordei: vel Missæ tempore tanguntur dentes, pronunciato certo versiculo, vel febrientis manus, cum hac forma verborum: *Æquè facilis tibi sit hæc febris ac*, &c. vel ægro cibus in catino porrigitur hæc alia inscripta præferente, *gustate & videte quòd suauis est Dominus*, (nam hunc quoque ritum vt plurimũ esse magicum, & superstitiosa intentione adhiberi, docet inter alios Delrius l. 9. disquis. q. 4. sect. 8.) vel stante ægro versus ortũ feria sexta, & expandẽte manus instar crucifixi dicitur: *Hodie dies est, quã Dominus Deus ad crucem accessit*. aut petitur eiusdem ægri zona, indusium, vel capillorum particula mittenda in profluentẽ, aut etiã adiuratur infirmitas, vt vltrà mare se recipiat; aut sanguis neamplius fluat, sed fixus hæreat; aut tenetur in vulnere digitus addita sentẽtia, *Christus natus est in Bethleem*; aut signo crucis piisque precibus addũtur nomina barbara, nihilue significãtia; aut insusurrãtur certa verba equi claudi auribus, aut in nodũ eiusdẽ cauda cõponitur. *Curationes magicæ.*

Hæ, inquã, & similes curationes omnes magicæ,& à Diabolo sunt.Nã cum in illis verba vel ritus assumantur, qui neque ex diuina institutione & promisso; neque vi sua naturali, neque ex institutione & precibus Ecclesiæ facere id possunt quæ referuntur, restat vt efficaciam habeant ab arcana operatione Dæmonis, qui suggessit & commendauit illos suis mancipiis, pactúsque est se iis interpositis operaturum. Aquæ lustralis, Agnorum cereorum, & aliorum Sacramẽtalium,quibus Catholica vtitur Ecclesia, dissimillima est ratio. Quia sicut illa vim à Christo accepit excommunicandi & maledicendi, quæ maledictione digna esse iudicauerit, multò vtique magis benedicendi.Et sicut maledicendo potest à Deo impetrare creaturis quibus vtitur, virtutem insolitam; vel si mauis, vt Deus ad illarum applicationem hos & illos effectus edat,vt perspicuè liquet ex cap. 5. Num. vbi aquæ super quas orauit Sacerdos & maledicta congessit, computrescere faciunt femur fœminæ pollutæ adulterio, quæ se negat adulterasse: innocenti autem & mundæ nihil damnui afferunt: ita authoritatem habet impetrandi, vt vtentes piè & reuerenter rebus quas benedicit; id est, super quas ad certos effectus vtiles & necessarios deuotissimè Deo supplicat, tales effectus si expedire videbitur, subsequantur. Age, cui magis quàm eidem Ecclesiæ, hoc est, sponsæ suæ dilectissimæ virtutem hanc Christus contulerit? Si ea donatos

natos legimus sanctos quosdam, vt S. Macharium & S. Hilarionem; qui eius tantùm mēbra erant & partes; quantò æquius est ipsi, quæ totum est, collatam credere? Cum rursus videat Ecclesia Christum sponsum suum in institutione Sacramentorum, qui fontes sunt gratiæ sanctificantis, assumpsisse res aliquas sensibiles, vt aquam in baptismate, panem & vinum in Eucharistia, &c. quid melius facere potuit, quàm illius sequendo vestigia, ad impetrandos ab eo minores quosdam effectus & gratias, vti similiter rebus quibusdam sensilibus, eásque benedicere & rogare, vt ad eiusmodi effectus prosint piè vtentibus?

Sacramenta fontes gratiæ sanctificantis.

Facient superiora, vt quiuis non ægrè intelligat, quisnam censendus sit cultus indebitus siue superfluus; ille videlicet, cui admiscetur circumstantia aliqua, quæ nec authoritate diuina vel Ecclesiæ, nec ratione aliqua nititur. Exempli loco sit, orationem aliquam præcisè nouies recitare, ita vt sit vi caritura, si pluries dicatur, vel octies tantùm. Item precem aliquam diebus totidem offerre Deo, ea tamen proportione, vt primo die semel recitetur, secundo bis, tertio ter, &c. vel non nisi lota facie, aut quando in diuinis officiis Euangelium legitur. Item polliceri certam remissionē peccatorum, tot annorum vitam, partum fœlicem, victoriam, placidum mortis genus orationem certam recitantibus. Illusionis plena est hæc confidentia, multùmque cauenda.

De directione Pietatis per Prudentiam.

CAPVT X.

§. 1. *Pietas quid sit.*
2. *Quem honorem exhibere parentibus debeat filius.*
3. *Quibus maximè rationibus permoueri filium ad colendos parentes oporteat.*
4. *Quid quilibet præstare pro patria, ciuitate, Republica teneatur.*

Pietas quid. §. 1. PIETAS virtus est inclinans hominé ad parentes honore prosequendos, velut generationis, educationísque suæ principia; & propter illos ad colendum insuper consanguineos, & patriam. Sic enim S. August. *Pietas est, per quam sanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.* Post religionis virtutem proximè graditur, vt constare ex situ potest, quem in Decalogo tenet præceptum de colendis parétibus: Nec mirum sanè, cùm hi secundùm Deum satores & causæ sint filiorum. Vtrísque generatio hæc adscribitur, Deo quidem veluti causæ primariæ, Deut. 32. *Deũ qui te genuit dereliquisti.* Parentibus verò veluti secũdariæ, 2. Paral. 11. *Roboam genuit viginti octo filios, & sexaginta filias.* Vndè ex eo quòd Deus sit honore afficiendus, rectè infertur, deberi parentibus

S. Aug. lib. 83. qq. in 3.

Graditur proximè post religionis virtutem.

tibus aliquē, nec posse absque scelere prætermitti. Perspicuum Dei verbum & mandatum est: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Exod. 20.

§. 2. Debitum eis deferre censeberis, si salutes etiam nō resalutantes; si inferiùs sedeas, si pone incedass (nisi vel mollis ætas, vel mos patrius, vel illorum iussio aliud postulet.) Si alloquens, accedens, aut ab illis recedens caput aperias; si incultos illorum mores, vel iniquas censuras æquanimiter feras, iuxta illud Epicteti: *Pater appellatur, curandus est, cedendum ei in omnibus; ferendus cùm aut obiurgat, aut verberat. Sed malus pater est: At natura non te bono patri, sed patri conciliauit.* Sen. lib. 3. de Benef. cap. 35. Si neutri facilè repugnes, si manifestè etiam errantes, non insultando, sed modestè admoneas, exemplo Ionathæ, cuius mollis ad genitorem suum sermo fuit: *Ne pecces Rex in seruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde.* 1. Reg. 19. Si in grauioribus quibusque negotiis illos, patrem præsertim consulas; exempli causa, cùm ducenda est vxor, quam sibi eligere de illis malè meritam praui est filij, vt Esau, de quo Gen. 26. *Duxit vxores Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemat filiam Elon eiusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebecam.* Gen. 26. Vndè posteà, quando Iacob fratri eius quærenda fuit vxor, dixit Rebeca: *Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.* Raro fœlicia sunt coniugia quæ coiernnt clanculùm, & sine parentum arbitrio; quia tunc

Clandestina matrimonia rarò bene procedunt.

tunc iuuenes ad ſolam reſpiciunt voluptatẽ, aut pulchritudinem; quo nomine Deo diſplicent, ſicut illi qui paulò ante diluuium acceperunt ſibi vxores, quæ magis excellebant pulchritudine. Parentes autem ad mores, & conditiones alias obtutum dirigunt, atque ita longè certius diſcernunt, quænam filiis magis conueniant. Si rurſus in dubio ſententiæ illorum ſubiicias tuam: Si non perſequaris eos, vt Abſalon, non laceſſas, non contemnas, non rideas, non lædas conuicio, quia ſcriptum eſt: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Et certè prouidere ſolet Deus mirabilibus etiam modis, vt hæc impietas tãdem innoteſcat, nec inulta relinquatur. Beſſus, vt narrat Plut. l. de ſera numinis vindicta, cùm propriũ interfeciſſet patrem, multò delituit tempore. At cùm aliquãdo ad hoſpites cœnatum pergeret, hirundinum nidum haſta impellens deturbauit, & contriuit pedibus, cauſam proferens, *quia cantillando dicere videntur me occidiſſe patrem.* His verbis attoniti præſentes ad Regem ea detulerunt, qui re ſeriò diſcuſſa ſcelus detexit, & ad meritas pœnas vocauit patricidam. Adhæc perſolues debitum, ſi genitores tuos eſſe non abnuas, nec recludas alicubi, veritus ne comparendo tuam apud alios exiſtimationem imminuant. Hoc cùm feciſſet propè Luteriam ingratiſſimus Ruſtici filius, eo die quo ſolenniter inibat coniugium, vocatis Sponſæ cognatis, apud quos vilem generis ſui conditionem diſſimula

Exod 21.

Beſſi quantum nefas.

Miſſa Valgoli apud Lutetiam occaſio.

simulauerat; eductus post triduum è cubiculo velut è carcere pater, approbante mox senatu illum exhæredauit, & de portione substantiæ, quæ manebat ipsum, Missam fundauit quæ quotidiè celebrari dicitur Parisiis in téplo S. Genouefæ. Si denique eis morem geras, & necessaria subministres.

Hæc tamen ferè omnia exceptiones quasdam ptiuntur; neque enim cum magno periculo tuo aut detrimento, teneris erga parentem indicia dare filij, apud eos præsertim qui neutrum norunt: nec interrogare de seriis eum, qui mente captus sit, vel parum sapit: Nec multum colere subsequendo, salutando, inferiùs considendo; si ambo sitis conditione viles, vt non dubitem inter tales inueniri complures, qui rideri se crederent, si ita à filiis colerentur. Præterea si publicam geris personam, ille priuatam, flagitat recta ratio, vt te magistratu fungentem colat ille potiùs, quàm tu ipsum, eò quòd vice cũ sis Reipublicæ ei antecellis. Habes nobile rei huius exéplum apud Plut. his verbis: *Q. Fabius à senatu iam senior legatus ad filium Consulem Suessam missus, vt animaduertit neminem ex lictoribus, vt equo descenderet fuisse missum, indignatus sedere perseuerauit. Sed cùm iuuenis lictorem misisset, ac ex equo descendere iussisset, alij quidem se auerterunt; ipse verò cum equo desiluisset præter ætatem accurrit, & filium complexus: Euge, inquit, fili sapis, intelligens & quibus imperes, & quanti imperij magnitudinem sustineas.* Rursus si te si-

Filij in quibus possint parentibus non deferre.

Plut. in Apoph. Rom.

ſiue innocentem, ſiue graui pœna dignum vellet pater authoritate propria mutilare, vel occidere, fines excederet patriæ poteſtatis; nec dubium, quin etſi non tenereris, poſſes nihilominus iure defenſionis non modò percutere inſurgentem, ſed occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Similiter ſi in Chriſti Eccleſiam, ſi in religionem Catholicam, ſi in Rempublicam mouerit arma, eſſetque ad coercendos eius impetus opera tua neceſſaria, inferre ei vim deberes, iubente Republica, cùm præceptum colendi eum non extendat ſeſe ad eiuſmodi caſus. Sitque cognatio & obligatio patriæ alia quacumque maior. *An poteſt cognatio vlla propior eſſe*, ait Cicero Phil. 5. *quàm patriæ, in qua parentes etiam continentur?* Et l. 3. offic. *Si ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet filius ſaluti patris.* Idem, ſi interdicat magni cuiuſdam emolumenti tui obicem futurum, vt quando ad vitæ ſuſtentationem tua non egens opera, vetat ne approbato Ordini regulari, in quo viget diſciplina, des nomen; liberat te Chriſtus ab iniquo hoc interdicto, edicens per ſuum quendam Apoſtolum, *obediendum Deo magis quàm hominibus.* At ſe contemni cauſabitur. Excipe cum modeſtia, id minimè contemptui adſcribendum, ſed charitati in Deum & religioni, quæ niſi eſſet in hac etiam re ipſi gratiſſima, non legeremus Deut. 33. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ; neſcio vos: fratribus ſuis, ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierunt eloquium*

Si pater interdicat Religionis ingreſſu, quid.

eloquiuũ tuũ, & pactum tuũ seruauerunt. Et Isa. 56. *Dabo eis in domo mea & in muris meis locũ, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et Matth. 19. *Omnis qui reliquerit patrẽ aut matrẽ propter nomen meũ, centuplũ accipiet*,&c. Reperies huius argumenti plurima apud S. Hier. in epist. ad Heliodorum,& apud S.August.epist.33.Quãdiu contrà cũ ratione cohærebunt, quæ præcipiet aut vetabit Pater, auscultabis propter Deũ, qui te per illum creare decreuit & dirigere.Si peculium tibi sit,licebit indè tibi potius, priusque,cæteris paribus,remediũ petere; sed postquã id feceris,caue illũ prætereas indigentem. *Honorantes patrem supercelestẽ*,ita loquitur S.Cyrillus Hierosoly. *etiam corporis nostri parentes honoremus. Nã Christianorum est prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio quæcũque ad eorũ quietem pertinent, curare.* Nõ laborabat extrema,sed graui tantùm necessitate Tobias senior; & ecce accurrit iunior, & *sumens de felle piscis, liniuit oculos patris sui.* Sed neque Scipionis iunioris parens captus quoque oculis, aliàs firma valetudine; eum nihilominus dirigebat filius incedentem,& sustentabat vlnis propriis, qui per cõplures alios poterat. Atque hinc illi nomen:Scipio enim fulcrum est. S.Cyr.Hier. Catech.7.

§. 3. Inter aculeos, quibus exstimulari te decet ad honorem, de quo suprà genitoribus tuis impertiendum(patri præsertim,velut nobiliori generationis principio) & affinibus

reliquis

reliquis, prout propinquiores illis sunt vel remotiores; primus sit lex diuina, de quâ Exod. 20. *honora patrem tuum , & matrem tuam.* Et quia singulare periculum suberat , ne matris reuerentia negligeretur , velut ad infirmum pertinentis sexum , peculiariter occurrit malo huic diuinus codex, & filium quemuis sic alloquitur Iob 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Secundus, lex gratitudinis, cui nequaquam ille satisfacit, qui nec colit insignes benefactores suos , nec medetur eorum necessitatibus. Nulli autem insigniores sunt parentibus. An aliquid par eorum beneficiis videri potes rependisse ? Morte fortè tua, aut manifesto mortis periculo vitam illorum redemisti; aut tum priùs versantes in regione vmbræ mortis æternæ, traducti sunt opera tua ad lucem vitæ. Si ita est , non facilè abnuerim eos tantum , vel etiam plus debere tibi, quàm contrà ; quia iuxta Senecam : *Qui beneficium accipit , maius accipit , quò magis eo indiget ; magis autem vita indiget qui viuit, quàm qui nondum natus est, vt qui nec indigere omninò possit. Maius ergo accepit beneficium pater, si vitam à filio accepit , quàm filius à patre, quòd natus est.* Paulò antè scripserat : *Siquis sapientiam consecutus hanc patri tradiderit , etiam nunc disputabimus , an maius aliquid dedit , quàm accepit , cùm vitam beatam patri tradiderit, acceperit tantùm vitam.* Eandem vim habet apoph

Matri quātus honor debitus.

Seneca l. 3. de Benef. c. 34. & 35.

apophthegma Alexandri Magni, dicere soliti, se nihil minus Aristoteli debere, quàm patri, quòd cùm ab isto viuere tantum, ab illo benè viuere accepisset. Verum cum hi casus rarissimi sint, est cur te simpliciter imparem sentias paternis beneficiis. Substantiam tibi tribuit, tu illi accidentia, seu quædam duntaxat officia. Vincit te præterea antiquitate beneficij, nullò tuo prouocatus te genuit; tu nihil eius causa præstitisti, nisi præuentus plurimis eius benefactis. Quocirca redde naturæ quod debes. Facito parentis gratia, quidquid honestè poteris, quamuis fortè spurius. Námque vt eiusmodi sis, multum nihilominus in te contulit, nisi fortè tam iniquus sis rerum æstimator, vt pluris facias non esse omninò, quàm talem esse. Scio Lycurgũ ad illegitimas nuptias à Republica sua excludendas promulgasse, Spurios filios obedientia, reuerentia, amoréque filiali non debere esse obstrictos. Sed in hoc Christi, naturæque legibus repugnauit, non secus ac quando furtũ rei alienæ non tolerauit solùm, sed etiam commendauit. Tertius aculeus est, certa persuasio fore, vt eadem à futura sobole tua recipias, quæ genitoribus tuis feceris, ac per ea puniaris, per quæ in eos peccaueris. Familiare est Deo prouidere, aut permittere, idem vt sentiant impij, quod perpetrarunt. *In qua mensura mensi fueritis*, inquit, *remetietur vobis*; vt taceam calamitates alias grauissimas, quas in impiorum capita filiorum

Alexander viuere à patre, benè viuere ab Aristotele accepit.

Lycurgi lex de Spuriis.

Luc. 6.

filiorum deuoluere solet diuina iustitia; quarum vna olim fuit: *lapidibus eũ obruet omnis populus ciuitatis.* Anno 874. Carolus Ludouici Germaniæ Regis filius, adiuncto sibi fratre suo Ludouico, tentauit contra parentem rebellionem facere: & certè maximas ei creaturus erat molestias, nisi molitiones eius disturbassent authoritate sua regni proceres. Interim non neglexit Deus tantam punire audaciam. In medio consessu Diatæ Francofurtensis inuasit illũ Diabolus, ita vt vociferando horrendum in modum, perstrependo, faciem, vestésque lacerando, se totum exagitando, vt retineri à viris sex fortissimis minimè posset, rapuerit astantes omnes in admirationem; sed præcipuè parentem tristissimum, qui conuersus ad Ludouicum, *Ecce,* inquit, *vt Deus in fratre tuo vestras punit rebelliones, & in me coniurationes. Sapite in posterũ miseri, & Dei clementiam implorate. Quod ad me ignosco vobis lubens.* Posteà autem ductus est Carolus in summum templum, vbi à Luithberto Moguntino Archiepiscopo abactus est Dæmon exorcismis Ecclesiasticis, & virtute præsentiæ Christi in sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Liberatus autem factus est à se totus alius, dicere & fateri solitus, se nec per horæ quadrantem potitum fuisse pace cordis à rebellionis exordio. Quartum sit paterni furoris metus, qui furor ex multis filiorũ petulantiis collectus, adeò quandóque inardescit, vt genus omne maledictionis in illorum

Deut. 21.

Diuina vindicta exemplum.

Auentinus l. 4. Annal. Boiorum.

rum accersat capita, nec restingui possit vlla eorũ pœnitentia. En tibi exemplũ. Cramnus filius Clotharij Francorũ Regis in patrem similiter rebellis, eo quod nolebat illum pater ante tempus Regem creare Aquitaniæ, varia aduersus ipsum bella gessit toto octennio. Tandem verò in Britanniam profectus pater cũ suis copiis, implorauit supplex diuinam opem contra incorrigibilem natum; inito autem certamine, non illum fudit fugauítque solùm, sed etiã comprehendit, totúsque ira percitus inclusit cũ vxore & filiabus in rusticano tuguriolo, scamnoque alligatũ igne vndique circũposito incendit & consumpsit.

Belef. in Clothario.

Cramnus in quantum punitus.

§. 4. De Patria, dicamus iam aliquid. Ac primùm patriæ nomine non intelligi terram ipsam habitabilem, in qua nati sumus; quam enim habere vim potest ad obligandũ nos sibi? quid ab illa nobis est boni, quod non multò magis à cælo deriuetur, & commune sit nobis cum belluis? quàm multi in sua nati traduxerunt alibi vitæ reliquum? Sed intelliguntur eius habitatores, à quibus velut à vitali principio prodiimus, non ab omnibus quidem; sed à genitoribus nostris, qui membra & partes fuere totius multitudinis; quod sufficit, vt originem traxisse dicamur à tota ipsa multitudine. Vndè cùm dixisset Porphyrius in Introductione cap. 2. *Etenim patria principium quoddam est vniuscuiusque generationis, quemadmodum & pater*, scitè adiecit: *Romani enim dicũtur, qui ex gẽte descendũt Romana, &*

Amor patriæ.

& Cecropidæ qui à Cecrope,& horum proximi. Sciendum prætereà, nos vt toti quàm parti, ita planè plus debere patriæ quàm parentibus. *Patria*, ait Plutarchus, *quam vt nos à patre, ita Cretenses à matre vocant, & senior multò,& plus iuris in nos ac parentes habet.* Ex quo argumentor, si parentibus consulendum est benè; quantò magis patriæ? Cùm pars sit propter totum, æquum est, vt toti seruiat, etiam cum damno proprio, & magis ad publicum, quàm ad priuatum bonum respiciatur. *Turpis est omnis pars*, inquit S. Aug. lib. 3. Confess. c. 8. *toti suo non conueniens & congruens.* Ob hanc causam Romani, vt scribit Valer. Max. l. 4. c. 4; malebant esse pauperes in diuite Imperio, quàm in paupere diuites: & Carthaginéses mulieres neglecto cultu proprio raserunt capita sua, & capillos contulerunt in vsũ funium militariũ, quorũ penuria laborabat ciuitas, vt testatur Plut. in l. de vsura. Patriæ bono consulueris, si pro eius salute frequentes Deo preces, votáque offeras. Aristides tametsi ab ingrata sua relegatus in exilium *precatus est Deos, vt Atheniensibus quacúmque cuperent, sic bene prosperè euenirent.* Item si authoritate pollens ac viribus, nihil non facias, quo verus Dei cultus in ea conseruetur; quo placatur Deus, & permouetur ad opem vbique impertiendam. Síque eius vtilitatem tuæ vbique anteponas, & non sis iniquo tutori similis, qui pupilli res curæ suæ creditas ad propria trahit commoda. Item si quantum

In lib. num. Sen. ger. sit Resp.

Idem in Arist.

tum in te est, iustitiam colas, désque operam, vt non alij quàm viri boni & digni ad eius tribunalia prouehantur: siquidem, vt eleganter scripsit S. Augustinus: *Quid aliud sunt patria seu regna, si iustitiam auferas, quàm magna latrocinia: quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna?* Item si priuatim nullum cum eius hoste fœdus ineas (Hippocratem sequutus, qui nihil sibi esse voluit cum Artaxerce Rege hoste patriæ, à quo interim prolectabatur immensis muneribus) imò ne cum conciuibus quidem in boni Principis detrimentum. Item si deponas priuata odia exigente id vtilitate publica; sic Aristides, quod iam semel à me scriptum memini, æmulum hostémque suum Themistoclem adiit, videns non nisi coniunctis animis & copiis saluari posse Rempublicam, non discessit priusquam cum eo coiret in gratiam. Et L. Murena, sciens quàm necessarius vtilisque esset Romanæ Cato, obiecit se ictui, quo Metellus tribunus plebis tentabat illum perimere, tametsi ab eodem Catone in ius vocatus fuisset, omninò periturus, nisi patronum nactus fuisset Ciceronem. Item si iniuriam qua te fortè affecit, remittas ipsimet Reipublicæ. Fecit hoc Rutilius, nam iniustè deportatus noluit vi redire in patriam cum facilè posset, ne quietem eius perturbaret. *Ciuium meorum quietem pluris quàm reditum meum facio*, aiebat, *maloque vt exilij mihi eos pudeat, quàm vt propter reditum meum patria defleat.* Item si cum opus fuerit, fortunas tuas omnes

S. Aug. l. 4. de Ciu. c. 4.

Fulgos. l. 5. cap. 6.

eius causa, addo vitam ipsam ac famam profuderis, obsurdescens ad lamenta cognatorum auertere te volentium. Nam quod ad fortunas, peribunt tibi velis nolis, cadente Republica; sin autem illa conseruetur, munificentiam tuam memoria colet sempiterna, & cumulatissimè remunerabit exemplo Contareni Venetorum Ducis, à quo constat ad Senatoriam dignitatem omnes ferè prouectos, qui suas vltrò obtulerunt indigenti Reipub. in obsidione Clodiæ, & bello grauissimo contra Genuenses. Quod ad vitam, non pepercit suæ Codrus Atheniensium Rex, sed cùm ab oraculo didicisset illorum hostes debellatum iri, si in conflictu ipse occumberet, armis indutus vulgaribus in eos irruit, nec antè destitit, obuios quosque lacessendo, excitandòque iurgia illa, quorum meminit Virgilius, quàm pro chara patria viuere desineret. Et apud Dionem Cassium l. 36. Aulus Gabinius Pompeium recusantem pro patria contra Pyratas bellum gerere, sic alloquitur: *O Pompei, mihi & patriæ concede, cui natus & educatus es, eius causa nullos labores, nulla pericula subterfugere; sed etiamsi ita res ferat, pro ea mori quouis mortis genere.* Quod ad famam, memoria dignum est, quod de Luctatio Catulo Marij socio legimus. Is milites suos videns in fugam conuersos non sine magna suæ seu Romanæ gentis ignominia, fugit cum illis, quàm ocyssimè potuit, vt tandem præcurreret, essetque dux caputque fugientium; vt sic

in se

in se vnum omnem deriuaret notam infamiæ, & Romani milites non tam fugere, quàm ducem sequi suum viderentur. Quod denique ad lamenta, pone tibi ante oculos B.Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, infracto animo stantem pro tutela patriæ pendente non parum à conseruatione iurium Eccles. contra Henrici II. Angliæ Regis inexplicabilem cupiditatem, & caput suum obiicientem infinitis mortis discriminibus, nec vllis absterritum suorum precibus, ac gemitibus. *Non respexit carnem aut sanguinem*, ait Historicus, *neque in eo vllus humanitatis sensus pastoralis officij constantiam labefactauit.* Habebis postremò rationem patriæ, si eius paci, libertatique studeas. Est enim vtraque inæstimabilis precij. Vnde Brutus videns filios suos aduersus Romanam moliri aliqua, & collimare ad tyrannidem, occidit omnes.

B. Thomæ Cantuar. constantia.

natósque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocauit
Infœlix; vtcumque ferent ea fata nepotes,
Vicit amor patriæ.

Virg. lib.6. Æneid.

Sed hîc notandum, non omnem libertatem laude dignam esse, vel appetendam. *Seruitus, & libertas*, inquit Seneca, *si modum obseruent, vtraque bona sunt; sin modum excedant, vtraque mala.* Pessima est, qua quis vult aut credit licere sibi quidlibet, nec alicuius se lege teneri, aut pœnis legi appositis. Hac conditione scribit Aristoteles, neminẽ à natura in lucem editum. Et certè quisquis se editũ crediderit, mox

Sen. epist.9.

tanquam pullus indomitus in omnem sese audaciam, scelusque præcipitabit. Reprobaturus hunc viuendi ritum Apostolus Gal. 5. cùm dixisset: *In libertatem vocati estis, fratres*; mox adiecit: *Tantum ne libertatem in occasionem carnis detis*, id est, ne libertatis prætextu in carnis desideria brutorum more prosiliatis. Censuit idem Aristoteles veram libertatem astringi legibus, eosque loqui perperam, qui astrictam vocare audent seruitutem: *Vita, quæ ex ciuitatis præscripto degitur, seruituti deputanda non est, sed saluti.* Cur ita censuerit, ista haud dubiè est causa, quòd vera hominis libertas censenda sit, qua status eius naturalis vim non patitur, sed eo modo se habet quem postulat: Naturalis autem est, vt ratio appetitum sensumque regat, & consequenter vt pareatur legibus, quæ nihil aliud sunt, & esse debent, quàm practica quædam rationis dictamina: Quæ quoniam virtutes præscribit ac commendat; peccata autem, vitia, & concupiscentias prauas abominatur & damnat; fit vt verè liber sit, qui viuit secundùm virtutẽ, seruus contrà, & miserandæ seruitutis vinculis irretitus, qui suis indulgendo cupiditatibus cõtrahit vitiorum habitus. Ecquis durissimam non interpretetur seruitutem sub imperio esse dominorum, qui neque noctu interquiescere sinunt, nec interdiu? qui continuos grauésque labores commodo vix momentaneo remunerant; qui illudunt sæpissimè, expectationem fallentes eorum, quos sibi subiecerunt? qui

Arist. lib. 5. Ethic. c. 9.

Libertas hominis quæ.

Liber quis.

qui denique ſub exacti finem obſequij in æternas eos pœnas præcipitant? Huius generis ſunt, quæ iam recenſuimus: *Iniquitates ſua capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Prou. 5. Scribit in eandem ſententiam Hieremias, cap. 16. *Seruietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Ex aduerſo itaque vera libertas erit, non obſtringi tyrannis iſtis grauiſſimis. Scitè S. Hieronymus cùm dixiſſet: *Nulli vnquam de nobilitate generis te præponas,* mox ſubtexuit: *Seruum & nobilem religio noſtra moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccato; ſumma nobilitas, clarum eſſe virtutibus.* S. Hieron. in epiſt. ad Celantiam. Stet ergo enitendum; vt ij quoque ſubſint legibus, qui libertate gloriantur; & quoties in eas peccabunt, à legiſlatore pœnis coerceantur, quaſi à Medico. Immoderata libertas, eò quòd ſit immoderata, ad numerum morborum pertinet; nimium ſiquidem omne vitium eſt: In medio autem natura rei, vt in corpore ſua craſi temperato; diſſolutio illius morbus eſt, ſiue exceſſu conſtet, ſiue defectu. Animus itaque dum ſua libertate abutitur, videtur iam obligatus & ſeruus præter naturam: Siquidem *ſeruitus eſt obedientia fracti animi, & abiecti arbitrio ſuo carentis,* *Seruitus quid.* & quia ſeruus eſt, liberandus omninò eſt ope ſeueritatis legis. Libertatis nomen aliter à populo quandoque vſurpatur, videlicet pro exemptione à tributis aut humanis legibus, quas ipſemet non condiderit vel approbauerit. Prima locum habet in Democratiis, & cùm

ex se mala non sit, conseruari potest, vbi iam est introducta; vbi autem non est, minimè debet introduci ob iniuriam quæ Principibus fieret, vel legitimis aliis Magistratibus; quibus bona fide tributa pendi iubet Apostolus,
Rom. 13. & antè illum Christus Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* Idem de secunda iudicium, si exemptio tantum sit à legibus secularibus: Sin Ecclesiasticas quoque excludat, detestabilis est, Diabolica, & hæreticorum propria; qui vt planè soluti viuant quasi filij onagri, cōscientias suas astringi posse negant Ecclesiæ vinculis; cùm tamen reipsa astringantur, non minus quàm fugitiua mancipia lege seruiendi suis dominis, & debitores perfidi lege satisfaciendi suis creditoribus; reique teneantur, quoties indicta ab ea ieiunia violant, aut festa profanant, aut aliquod aliud eius mandatum infringunt. *Conditionis melioris non debet esse malè agens quàm benè*, l. non solùm ff. de noxalibus action. essent autem hæretici & præuaricatores, si post factum ab Ecclesia diuortium à legibus eius eximerentur. Moderamen vnum occurrit, quod supradictis adijciam. Sunt qui nimio tenentur amore patriæ; qui, verbi gratia, extra illam mori vel degere, tam miserum putant, vt consolationem nullam admittant. Huius generis fuit Antiochus, qui dicebat 1. Mach. 6. *Ecce pereo tristitia magna in terra aliena:* & fortè qui lamentabantur Psal. 136. *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

aliena? Generosior Ioseph, nec in Ægypto sepeliri voluit ossa sua, nec portari curauit in terram Chanaan, vnde oriundus erat; sed in Palæstinam suis promissam patribus, Gen. 50. *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Sancta item Monica, quæ cum adhuc laboraret humanis affectibus, peroptauerat in Africa sepeliri iuxta virum suum, & magna æstuans cura sepulchrum sibi præparauerat iuxta corpus eius: facta postea mente excelsior, & in Italia ad Ostia Tyberina decumbens febribus, dixit filiis suis, *ponetis hic matrem vestram.* Cùm ex illis vnus verbo indicasset, præoptare se vt non peregrè, sed in patria potius defungeretur tanquam fœliciùs; illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quòd talia saperet, atque inde Augustinum intuens: *vide, ait, quid dicit.* Et mox ambobus: *Ponite hoc corpus vbicumque, nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbicumque fueritis.* Non quòd omninò reprobem ardens desiderium sepulturæ patriæ; sed temperandum est, ne consternetur animus, si beneficio huic obicem poni contingat à vi externa, aut necessitate, aut locorum distantia. Nam reuerà communis omnium patria est mundus, quemadmodum censebat Socrates, nec dubium quin totus Adami fuerit, ex eo autem omnes descendimus. Sicut ergo amplissima domus, quam inhabitat paterfamiliàs cum filiis, tota est filiorum; esto in vna parte vnus habitet cũ vxore sua, alter in altera;

S. Aug. l. 9. Conf. c. 11.

S. Monica cura de sepultura.

Mundus communis omnium patria.

velut in parte sibi assignata distinctionis cuiusdam gratia; ita de mundo sentiendum respectu omnium nostrũ. Nimis similiter amant patriam, qui præ illa cæteras omnes aspernantur & despiciunt, quasi nullius precij, se & conterraneos suos censent soles esse lucidissimos inter stellas nebulosas, finem non faciunt maledicendi exteris, & carpendi ridendíque quidquid dicunt aut faciunt. Est sanè id iniquum nimis & vitiosum, fitque iusto Dei permissu, vt vicissim importuni isti, & immodici sui, suorúmque iactatores effusè rideantur à peregrinis, & quasi cariosæ nuces contemnantur. Dicam quod est: ingenij, naturæ, & dotibus aliis vincimus nos mutuò, & vincimur. Nemo omni ex parte infœlix aut beatus, inferior alio aut superior. Vter præcellat, neutrius est iudicare; vtpote in causa propria Prudentior multò qui defectus quidem suos; virtutes verò alienas considerat, quàm qui secus facit.

De Prudentiæ legibus circa Obseruantiam.

CAPVT XI.

§. 1. *Obseruantiæ nomine quid intelligendum.*
2. *Sancti qui in cœlis sunt, vt honorandi.*
3. *Sacerdotes Clericique alij quo honore digni.*
4. *Et seculares in dignitate constituti vt honore prosequendi.*

§. 1.

§. 1. OBSERVANTIA virtus est, qua eos colimus, qui præter parentes præsunt nobis, & Rempublicam, vel aliquam eius partem administrant, vel administrare valent ob senilem prudentiam, eruditionem, & dotes alias seu infusas, seu naturales. Breuiùs S. August. *Obseruantia*, inquit, *est, qua homines aliqua dignitate antecellentes cultu aliquo & honore dignamur.* Colendos parentes credimus, quia educationis nostræ sunt principia, cur non etiam istos à quibus regendi sumus, & sine quorum gubernatione parum est procreari? Est autem illorum excellentia siue dignitas supernaturalis, aut naturalis. Illa dicitur Dei donum; quòd obtineri non potest solis naturæ viribus, vt gratia & sanctitas tam defunctorum, qui iam in Cælo cum Christo regnant, quàm superstitum, vt donum miraculorum, & potestas omnis sacra, cuiusmodi est Ecclesiastica: ita fit, vt si qualemcumque Sanctum colueris, quia Sanctus est, & Prophetam, Apostolum, Episcopum, Sacerdotem, &c. quia talis est, futurus sit actus Obseruantiæ religiosæ & supernaturalis; sin quia præditus est potestate, vel dote aliqua humana, ciuili, aut naturali, actus sit Obseruantiæ humanæ & naturalis.

Obseruantia quid.

S. Aug. lib. 83. qq. in 31.

§. 2. Circa cultum Sanctorum, qui iam cælum incolunt, obserua quæ sequuntur. Eorum neminem reputa redemptorem tuum, vel si mauis redemptionis tuæ mediatorem apud Deum. Christi est hæc prærogatiua, de quo

Circa Sanctorum cultum quæ obseruanda.

 1. Tim. 2,

1. Tim. 2. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. De perfecto mediatore loquitur Apostolus, qualis solus intelligitur absolutè prolato nomine Mediatoris: perfectus verò dicitur, qui redemptionis nostræ cumulatum pretium Deo patri offerre potuit, reipsaque obtulit, & nos sanguine suo reconciliauit, & aliis quibusque inferioris notæ mediatoribus virtutem contulit interueniendi pro nobis. Hæc autem mediãdi perfectio in solum Christum cadit, vt de ipso verè pronunciauerit B.

Act. 4. Petrus. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Nempè hoc pretium vt debet esse infinitum, ita suppositi infinitè digni, quòd proinde non sit homo tãtùm, sed etiam Deus. Sancti autem, de quibus verba facimus, Dij non sunt, nec esse possunt; ergo nec eiusmodi mediatores, sed inferioris ordinis; hoc est, pij duntaxat ad Deum pro nobis oratores, seu intercessores. Quæ quidem mediandi ratio adeò non derogat mediationi Christi, nec repugnat illorum statui, vt illius capaces sint etiam mortales, quorum proindè patrocinia & preces apud Deum in necessitatibus nostris non dubitamus interponere. Aduocatum quoque agit pro nobis in cœlo & intercedit Christus, fateor; sed authoritate propria, illi verò accepta. Nam & propria docebat, & patrabat miracula; voluit nihilominus potestatis huius suæ participes facere

Ex sanctis qui præcipue colendi. Apostolos, & alios. Ex quibus intercessione potissimùm vtere beatissimæ Mariæ Virginis, Angeli

Angeli tui custodis, & Sancti, cuius nomine insigniris, aut cuius profiteris regulam, si sis regularis. Dictat quippe ratio, vt singulariter illius implores patrocinium, quæ authoritate, pietatéque præit omnibus; & boni illius Spiritus, qui custodiæ tuæ inuigilat; & Sancti cognominis, ne moribus ab illo turpiter dissentias, cuius nomen imitaris; & denique Patriarchæ, quo duce vti te Christus voluit ad perfectionem acquirendam. Rursus, si Sancto intendis vouere aliquid vel offerre, respiciat propriè votum & oblatio tua Deum ipsum, habetóque intentionem promittendi ei facturum te hoc, vel illud; si per talis Sancti preces & merita assequaris quod flagitas: Et similiter offerendi Deo donum tuum, in gratiarum actionem pro collatis in eundem Sanctum gratiis & beneficiis. Perutilis species alia cultus Sanctorum, est illorum reliquias, si fortè habentur, gestare piè & conseruare. Harum rerum ad permouendos affectus magna plerumque vis est in vtramque partē; vt potè animos nostros in rem quasi præsentem ducentium. Ecquem fugit, quantoperè permouerit populum Romanum cruenta prætexta Cæsaris in foro prolata? Interfectum sciebant omnes, corpus ipsum impositum lecto erat; vestis tamen illa sanguine madens, ita repræsentauit imaginem sceleris, vt nō occisus esse Cæsar, sed tunc maximè occidi videretur: Etiā profanorum hominū, qui doctrina, aut virtute claruerūt, reliquiæ vt Menādri Bactrorū Regis, cuius vestes, arma, &

Reliquiæ gestandæ.

Cæsaris prætexta.

& similia diuiserunt inter se subiecti duces, vt tenti viri pignus & monumentum apud omnes pari cum veneratione existeret. Plutarchus in Polit. Iam si par est Sanctos colere, quantò magis prospiciendum, ne contemnantur à nobis, aut ludibrio afficiantur? Quem de illis tam malè meritum non sequatur vltor à tergo

Ps.104. Luc.18. Deus, cuius verba sunt: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari?* & rursus: *Dico vobis; quia citò faciet vindictam illorum?* Fortè legis caluum fuisse eorum aliquem, vel arte & professione mechanicum, vel claudicasse, &c. nihil hoc te ab illius cultu absterreat, aut illū idcircò deriseris. Memento dilaniatos ab vrsis duobus pueros illos quadraginta duos, qui per derisū exprobabāt Elisæo caluitiem. Illustres omninò sancti fuerunt Dauid,

4.Reg.21. S. Ioseph Sponsus beatissimæ Virginis; S. Petrus, S. Paulus, & Iacob Patriarcha; ex quibus tamen primus pastor erat ouium, secundus professione faber lignarius, tertius piscator, quartus artem colebat scenofactoriam; Postremus claudicabat. Gen.32.

Prælati & Sacerdotes colendi.

§. 3. Colendos quoque esse Ecclesiæ Prælatos, & Sacerdotes propter Deum, cui placuit rebus illos sacris, cultuique suo præficere, & cooperatores habere in animarum regimine, sanctificatione, pronectione ad vitam æternā, omnes puto fatebuntur. Nihilò esse minus remittere peccata, quàm operari miracula, li-

Matth.9. quet ex illa Christi sententia: *Quid est facilius dicere, remittuntur tibi peccata tua; an dicere*

surge

surge & ambula? Sicut ergo miraculorum patratoribus debetur honor, propter diuinam potentiam insigniter in iis elucētem; ad quod insinuandum S. Lucas Act. 12. cùm dixisset: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe*, mox subiunxerit: *Erant omnes in porticu Salomonis: cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat illos populus*; ita Sacerdotibus, quibus ab eodem Christo dictum est in persona Discipulorum: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Magno honore Ioseph Patriarcham affecit Pharao, & Danielem Nabuchodonosor, vbi experimentum habuere collatæ eis diuinitùs sapientiæ; at diuinum, eximiúmque donum est, potestas functioque sacerdotalis. Vide itaque vt Sacerdotes aliosque Ecclesiæ ministros debitè colas, atque etiam diligas, iuxta monitum Apostolicum: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis eos abundantius in charitate propter opus illorum.* Addit S. Chrysostomus: *Qui Christum diligit, qualis qualis tandem Sacerdos sit, ipsum quoque diliget; quoniam per eum tremenda mysteria consecutus est.* Ac si diceret, esto viuant aliqui vitiis cooperti; non idcircò sunt contemnendi, cùm Dei vicem gerant in sacro suo ministerio, & instrumenta viua sint eiusdem, quibus interpositis confert nobis diuina charismata. Nosti quibus honoribus Laicos paulò insigniores prosequare, vide vt illis multò magis hos ministros sacros

Ioan. 20.

2. Thess. 5.

Hom. 20. in 1. ad Thes.

afficias

afficias. Assurge reuerenter, caput aperi munus præsertim suum obeuntibus. Si incedendum simul sit, ne præcesseris, sed magis sequere. Iisdem stantibus non facilè sederis, nisi te excuset dignitas aut corporis imbecillitas. Eorum neminem in numero singulari lingua vernacula compellaueris; quia eiusmodi pronomina contemptum olent. Et cùm ministrent tibi spiritualia, si fortè non habent vnde viuant, esto illis nutricius. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: non alligabis os boui trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Si edicta Laici Magistratus videris ab Ecclesiasticis dissidere; istis potius optempera; quia sicut motus cœli superioris motui præualet inferioris; sic superioris lex Magistratus legem vincere debet inferioris: Quis est tam vecors, vt Ecclesiastica tribunalia non intelligat laicis anteire? In his tractantur temporalia duntaxat, propriaque corporum; in illis verò quæ spectant animam, & conferunt ad vitam æternam. Ita fit, vt sicut mentes corporibus, æterna temporalibus præponderant; ita præferendus sit status Ecclesiasticus laico, & Ecclesiasticæ leges laicis. Si tamen nequires absque graui damno tuo illas obseruare, istis posthabitis, licebit tibi ad illud euitandum, has potius obseruare, citra illatum contemptum & scandalum; quia non intendit Ecclesia cum magno onere, atque inuidia ad suas te astringere, adeò pia est

1. Tim. 5.

Ecclesiastici edictis potiùs obtemperandum, quàm laicis.

mater,

mater, & vbique agit cum filiis in spiritu lenitatis. Ad hæc vt reuerentia tua erga eosdem Sacerdotes, omnibus sit numeris absoluta, iura ne infringito immunitatis sacerdotalis. Habent illi Iudicem proprium in spiritualibus, cùm Laicorum minùs sit causas tractare spirituales, quàm Iurisconsultorum medicos, & contrà. Quin etiam in temporalibus; tum quia verba Apostoli ad Timotheum Ephesiorum Episcopum. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*, manifestè insinuant iudiciariam eius potestatem (neque enim alterius quàm veri Iudicis est, testes audire, & accusationes recipere) in spiritualibus & temporalibus, cùm indefinitè loquatur, & constet accusari posse presbyteros in materia, & causa temporali: tum quia accessorium naturam sequitur sui principalis; temporalia autem accedunt spiritualibus, cùm debeant Sacerdotes ali temporalibus, vt his vacare possint. Et certè, si non accederent, si non ad Sacerdotem, sed ad laicum pertinerent, is si impius esset, parumque Catholicus, citò conquisitis iurgandi occasionibus, partim ad se, partim ad fiscum deriuaret bona eiusmodi Sacerdotum; atque ita Dei culus interiret: Deinde Ecclesiæ Præpositi non habẽtes in ea potestatem, de iis disponere non possent ad totius bonum Ecclesiæ, nec per mulctas pecuniarias, delicta puniri Clericorum, tantò magis necessarias, quantò minus licet eis

1.Tim.5.

cis in corpora ipsorum animaduertere. Ludouico Crasso Francorum Regi passim infringenti primam hanc Clericorum immunitatem seuerè prænuntiauit S. Bernardus: *Scito Rex fore, vt in vindictam huius delicti tui moriatur non ita multò pòst Philippus tuus, quem tibi in Successorem delegisti.* Reipsa exacto breui temporis spatio, equitante Philippo Lutetiæ per vicum S. Antonij, in equi pedes porcus irruit, qui equus territus in pauimentum excussit sessoré suum & resupinus in eundem corruit, adeóq; illisit palpitantem, vt nocte proxima ex hac vita Philippus discesserit.

S. Bernardi prædictio. Belef. in Philippo.

Immunitas alia Clericorum, in cuius obseruatione consistit par, honoris, quo afficiendi sunt, est; ne à quoquam percutiantur. Capitale est violentas manus iniicere in ministros Laici magistratus; multò ergo magis, si quis in sacrorum ministros summi Dei geréntes vicem, sacrilegas suas iniecerit; meritóque talem anathemate ferit Ecclesia, in causa 17. q. 4. can. *Siquis suadente.* Non percusserat Ozias Rex Azariam Sacerdotem, nec Ieroboamus Prophetam Dei nomine comminantem grauia, quia nihilominus ille tentauit, iste ad minas confugit; incurrit primus in lepram teterrimam, posterioris manus exaruit. Neque hîc mihi dixeris; non percutio; sed consentio tantum, aut vi detineo. Neutram exceptionem admittit Canon Ecclesiasticus, sed ait: *Ne autem solos eiusmodi violentiæ authores aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes & consentientes pari*

Clerici non percutiẽdi.

2. Par. 26.
3. Reg. 15.

De sent. Excom. c. Quantæ.

pari pœna plectendos Catholica condemnat authoritas, eos delinquentibus fauere interpretans, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare. Ac rursus: *Non credimus Laïcos pœnam excommunicationis euadere, quamuis per eorum factum corporalis læsio non sit subsecuta, circa quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur.* Et quoniam procliue est dominis seruos tundere, cauebit qui sapit, Clericis vti vt seruis, oeconomis, amanuensibus, quæstoribus. Non illos à proprijs munijs auocabit, nec Deo dicatos ad humanos vsus transferet. Vetant hoc iura fieri. Vtrum Regis sui equos, quibus quotidie vti Rex statuit, auderet ad colendos agros suos transferre & vsurpare? Non credo. Ecce autem plus quàm Rex temporalis hîc, & ministerium sacrum domesticis excellentius multò & grauius, quàm sint regalia agrarijs. Sed neque ista se inani exceptione communiet: Bonos Clericos nefas est percutere, malos autem quid vetat? Respondeo, vetat dignitas ordinis, cui meritò debetur, annexáque est hæc immunitas, æquè cadens in bonos & malos, sicut consecratio ac etiam iurisdictio, quamdiu ab Ecclesia mali tolerantur. An putas in bonorum duntaxat gratiam dictum à Christo: *Qui vos spernit, me spernit?* Non putabat S. Cyprianus, cùm scriberet: *Dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria subordinatione succedunt: Qui vos audit, me audit; & qui vos reycit, me reycit.* Nota hæc verba, *ac per hos ad omnes præpositos.* Ita dico; non bo-

Ibidem cap. nuper.

Luc 10.

Etiã malis

norum duntaxat intuitu censuram illam aduersus Clericorum percussores tulit Ecclesia, sed Ordinis totius clericalis mancipati sacris ministerijs. Et certè nisi illam extendisset ad malorum etiam pulsatores; in promptu esset eiusmodi sacrilegis pulsatoribus quemlibet pro arbitrio malum esse prætendere. Quis abnuat ob deprauatos quosdam Magistratus habendum honorem sublimioribus potestatibus? Nec ergo inficiandum est, quia Clerici quidam muneri suo satis non faciunt, honorem Clero deberi ac reuerentiam. Ad hæc, vndè quis habet tot extare prauos Sacerdotes & monachos, quot sibi fingit? Faciamus adhuc esse plures; vndè tamen sciat, interrogo, ne temerè in eos posthac dicat sententiam. Ex paucis talibus, quos nouit fortè, & explorauit, de omnibus ferre iudicium quanta est iniquitas? *Ne conuiciemini religiosis*, dicebat S. Hieronymus, *quorum monasteria non frequentatis. Si sunt infamia digni, notum ijs, qui eos propius intuentur. Nam & Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderunt; & tertium Virgilij librum, qui à Troade per Leucatem & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tyberis nauigarunt.* Iustum est fateor, vt in officio sint Clerici, & virtute præluceant, si volunt honorari, vtque in terra viuentes conuersationem in cœlis habeant, gemmasque imitentur, quæ cum generentur in mari & sint, colorem nihilominus cœli præ se ferunt. Vt nihilominus ista desiderentur, adhuc nihilominus ob causas

S. Hieron. epist. 11.

ſas, de quibus ſuprà, honore proſequendi ſunt maiore aut minore pro ratione gradus.

§. 4. Ad adminiſtratores venio ciuilis Reipublicæ cultu ſimiliter afficiendos, quamuis fortè inter eos quidam malè audiant. Scriptum eſt: *Subditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Quis Saul Rege iniuſtior? quis in Dauidem iniquior? Nihil idcircò remiſit Dauid de priſtina & conſueta ſua in illum reuerentia; ſed ſemper coluit vt Principem, amauit vt patrem. Sicut diligendus eſt propter Deum proximus etiam prauus, quia prauitas nec tollit, nec extinguit in eo proximi rationem, nec Dei mandatum euacuat; ita in honore habendus ciuilis Magiſtratus propter Deum eius vtentem opera in temporali adminiſtratione Reipublicæ. Habendus, inquam, non ab ijs modò, quibus pars nulla obtigit publici regiminis; ſed ab ijs etiam qui nacti ſunt aliquam, ſed minorem multò & obſcuriorem: hi ſiquidem reſpectu illorum non præeſſe dicendi ſunt, ſed ſubeſſe; non regere, ſed regi; non ius dicere, ſed accipere. Nec obſtat, quod quicquid volunt, id fortè non impetrant à ſuperiore magiſtratu: tum quia non tenetur id omne quod collibuerit, vel ſperatur, concedere; tum quia non auro, non beneficio, ſed dignitati fides debetur ac reuerentia; quæ niſi habeatur præ oculis, animus colendi eum conſtans eſſe non poterit.

Magiſtratus Ciuiles honore afficiendi.

1 Pet. 2.

Perdurat non empta fides, nec pectora merces
Alligat.

Claud. de 4. Hon. Cô.

Magistratus superior repræsentat Remp.

Plin. lib. 2. de viris illust.

Aul. Gellius lib. 4.

Repræsentat inferior cum altiore comparatus non Rempublicam, sed genus suum; altior verò Rempublicam ipsam longè augustiorem. Natus patre carbonario Paulus Æmilius Scaurus, à Decio Prætore multùm vincebatur splandore natalium; vocatus nihilominus ad Cõsulatum magnam habuit suæ rationem dignitatis; præque illa contempsit, & contemnendam docuit huius nobilitatem. Itaque cùm die quadam obseruasset sibi publicè incedenti non assurrexisse Decium, mox in frusta concidit vestem, sellamque eius; & ne quis ad eum in ius iret, edixit, ac vetuit. Sed neque præsente Magistratu dicas contra decorum aliquid aut facias, ne contemni se credat, nec ante quiescat, quàm ei pœnas lueris minimè vulgares. Reum quendam viderunt Censores inurbanè coram se oscitantem, móxque addixerunt pœnæ grauissimæ, quam indubiè persoluturus erat, nisi excepisset natiuum sibi esse hoc vitium, & inuoluntarium. Interrogatus ab ijs alius, cur obæso cùm esset corpore, equum haberet strigosum & macilentum; lepidè respondit, sed sibi perniciosè; nihil id mirum, cùm se ipse aleret, serui autem equum. Huic similiter actutùm pœna constituta, quod eo responso videretur cum tantis viris, quasi cum socijs iocari & ludere. Attende prætereà, ne prætextu colendi eundem magistratum, aliquod ei ius deferas in res sacras & Ecclesiasticas more assentatorum. Non illi, sed B. Petro, & alijs, qui secundùm Petrum sacris

funguntur

funguntur muneribus, à Christo dictum est, *Pasce oues meas:* &, *tibi dabo claues regni cælorum.* Ioan. 21. Matth. 16.
Sed neque B. Paulus in Ecclesiasticæ descriptione Hierarchię expressit, aut complexus est aliquando seculares; ex quibus quis esse potuit Valentiniano Imperatore maior imperium administrante Orientis & Occidentis?
Tali interim tantoque Monarchæ fidenter negat S. Ambrosius conuenire potestatem aliquam in res, personasque sacras. *Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Esto Dei subditus. Scriptum est, quæ Dei Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia. Publicorum tibi mœnium ius concessum est, non sacrorum.* Quid ad hæc Valentinianus iurium vtique suorum benè peritus? Nihil opposuit, sed assensus est definitioni Antistitis; cohibuit se ne falcem mitteret in messem alienam, & Christianos omnes se minores potenter docuit, quàm debeant in hac parte modesti esse, & religiosi.

Ambrosij quanta libertas in Imperatorem.
S. Ambrosij Epist. ad Marcellinã.

Dicamus ad extremum de Senibus aliquid honore haud dubiè complectendis præ reliquis (quamdiu labe nulla grauioris sceleris canos aspergunt suos) propter longum rerum vsum, atque prudentiam, qua antecellunt, & habentur Reipublicæ membra præcipua, atque ad consulendum communi bono longè aptiora. Non hoc silent diuinæ literæ, sed palam admonent. *Coram cano capite consurge, &* Leuit. 19.

Senes honore complectendi.

honora personam senis. Plutarchus autem scribit in Apophthegmatis, quòd cùm Panathenea in Græcia celebrarentur, senex quidam quærens locum, in quo sederet, nec inueniens inter Athenienses, venit tandem ad Lacedæmonios, ex quibus adolescentes omnes ipsi assurrexerunt, quin etiam multi ætatis prouectioris ei loco cesserunt magno omnium applausu: tum exclamauit quidam: *Per gemellos, Athenienses quidem honesta sciunt, sed minimè faciunt.* Argumentum sanè mihi videtur ruentis Reipublicæ, grauissiméque laborantis, quando obrepit tantum malum, hoc est, aut ridentur senes, aut contemnuntur. Ecquid superest, nisi vt pariter illorum sententias aspernentur Iuuenes, & suas vrgeant quasi saniores? Indè porrò quid aliud, quàm ruinam expectaueris? Atque vtinam secularibus tantùm in negotiis ita præposterè agerent. Enimuerò non se continet intra hos fines illorum proteruia semel lasciuientium, sed iudicia sua præualere volunt in sacris etiam ad fidem, religionem, Ecclesiam partinentibus. Censores & castigatores se constituunt venerabilissimorum senum; hoc est, sanctorum Patrum, per quos diuina sapientia verbum suum, vna cum germana interpretatione transmisit ad posteros, quique ob id meritò dici possunt ἐκφάντορες, id est, interpretes mysteriorum sublimium, quo nomine superiores Angelos comparatione inferiorum vocat S. Dionysius lib. de Ecclesf. hier. Deniqúe plus se illis omnibus

sapere

sapere & intelligere gloriantur. Hinc noua dogmata & hæreses, & religionis penè totius extinctio. Horum cuilibet typho tantę inflato superbiæ diceret non dubito Martialis, si interueniret.

Dispeream si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.

Lib. 10. Epigr. 11.

Ergo vt concludam, reuereantur subditi seculares, magis adhuc Ecclesiasticas potestates, atque in primis sedem Apostolicam, exemplo potentissimæ Reip. Venetæ, sic eam per literas alloquentis tempore Trid. Synodi. *Cum Pio IV. digna Dei prouidentia sacrosanctæ Rom. atque vniuersalis Ecclesiæ Pontifici Max. vt Christiani gregis incolumitati, salutique consuleret, placuerit in ista vrbe Tridento haberi Concilium, quod sanctum ac venerabile omnibus semper habitum est, ac propterea eò mandauerit conuenire tot singulari sapientia ac religione præditos viros, qui Christianam disciplinam diuina in primis fauente aura in suam restituant integritatem: Ad nos etiam pertinere visum est, pro summa nostra in Christum Seruatorem ac Dominum pietate, ac iuuandæ religionis desiderio pro ea qua eundem Pontificem, Maximum Christi Vicarium in terris gerentem prosequimur obseruantia, quæ omnia à maioribus nostris edocti perpetuò retinere & volumus & debemus, præter Ecclesiæ nostræ ditionis viros, quos isthuc quamprimùm se conferre curauimus, nostros certos ac graues homines eòdem legare, qui nostro nomine sancto Concilio intersint & faueant.* Exemplo item 7. Cantonum Heluetiorum,

Sedis Apostolicæ reuerentia quāta esse debeat.

Sander. lib. 7. de visib. mon.

quorum Orator Adimantus ita loquutus est: *Lucernenses, Vranenses, Shuitsenses, Syluanienses, Tugienses, Friburgenses & Solodurenses, qui erga Sedem Apostolicam & vestrum hunc sanctissimum ordinem benè semper fuerunt affecti, noluerunt in re tam necessaria & publica totius orbis causa suos Oratores desiderari.* Et infrà præter commemoratam eorum in fide constantiam, & gloriosam de occiso Zuinglio iactantiam: *Cupiunt maximè hoc vobis testatum relinquere, se quod ad fidem, religionem, & obedientiam attinet, itemque studium iuuandi Romanam Sedem, nullis populis qui Christiani censentur, cedere.*

DE

DE VERA PERFECTAQVE PRVDENTIA;

LIBER SECVNDVS.

Quid de seipsis sentire debeant qui præsunt cæteris.

CAPVT I.

§. 1. *Sui ipsius cognitio Præposito cuiuis admodum necessaria.*

2. *Potestas omnis à Deo.*

3. *Quæ mediatè tantum à Deo est potestas, contractu quodam nititur inter Rectorem & subditos.*

4. *Nulla in destructionem potestas datur, sed in ædificationem, exigetque de illa Deus seuerissimam rationem.*

5. *Nihil est, cur extollatur qui præest, multum contra vndè sibi timeat.*

6. *Qui præest, Prudentia indiget ad gubernandum sublimi, propria, speciali.*

§. 1. QVICQVID libro 1.c.3.§.2.de necessaria suiipsius cognitione diximus, credendum est ad Præpositos in primis

pertinere. Priuati sibi ipsis incogniti, & ob id aliquam negligentes sui partem muneris vel à scopo suo aberrantes sibi solis nocent. Rectores verò populorum vix vnquam soli pereunt; sed multos secum in ruinam pertrahũt, perindè ac nautæ declinantes in breuia, & aurigæ malè aurigantes. Debent proindè seipsos nosse, sibique valdè attendere. *Et nunc Reges intelligite*, ait Ps. 2. *erudimini qui iudicatis terram.* Et Salomon principio non parum sibi metuebat salutari hac notitia destitutus; vndè gemens dicebat: *Ego autem sum puer paruulus, ignorans ingressum, & introitum meum.* Non potest sartor conuenientes vestes conficere, cuius dimensiones nunquam studuit obseruare: ita virtutes non induet sibi necessarias qui præest, si seipsum nesciat, susceptique partes muneris. Nequaquã peruia, sed abstrusa est hæc sui cognitio, vt non abs re S. Fœlix Nolanus Episcopus interrogatus ab hostibus, vbi nam esset Nolanorum Antistes; responderit, & mentitus non sit, *Fœlicem non noui.* Et quia abstrusa, impensè à Deo est postulanda. Quasi alius à seipso est qui regit, & non idem, qui erat, priusquam ad dignitatis gradum euéheretur. Tunc non sustinebat onus grauissimum, quo iam premitur, & miserè opprimetur, nisi ad illud sustinendum multis se credat auxiliis indigere. Olim sui iuris erat, nũc minister publicus est Christi, gladium portans spiritualem aut materialem ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Sui tantùm gerebat curam,

Rectorum & populi casus quàm perniciosi.

1.Reg.3.

Cura quæ & quanta subeunda iis qui regunt alios.

curam, suscepto autem regimine gerit totius sibi subiectæ multitudinis. Dormiebat antè securus; nunc verò necesse habet insomnes sæpè noctes pro salute suorum traducere, vix vnam dormire solidam. Quasi vnus de turba delitescebat, non obseruabatur, nec moribus suis si mali erant, valdè offendebat intuentes: exaltatus autem spectaculum factus est mundo, Angelis & hominibus; obseruatur ab vniuersis, sicut & Dauid, cui dictum est administranti regnum Israël: *Veruntamen in te oculi respiciunt totius Israel:* ad quælibet eius verba ariguntur aures, ad facta intenduntur obtutus subditorum, nihil eos præterit, notantur etiam minima, sicut quondam in Cimone vini potus paulò liberalior, in Scipione nimia quędam somnolentia, in Pompeio quòd vnico digito scalperet caput, vt scribit Plutarchus in Polit. Et quasi parum sit narrari ea promiscuè, in Annales referuntur, ne ignorentur à posteris. Si malis sit moribus, vix creditur quàm confundat & offendat omnes. Quemadmodum intolerabiliores sunt verrucæ in facie aut capite, quàm cicatrices, plagæ, vlcera & notæ etiam graues in reliquo corpore: ita propter eam quę plerosque omnes de personis publicis tenet opinionem, vt pote re magna atque dignissima, quæ omni facinore ac temeritate vacare debeat, minima quæque notantur errata, pro magnis habentur, & singulariter à se auertunt aspicientes.

3. Reg. 1.

Vitia vel minima notantur in sublimibus.

Stude

Studebat idem cómodis suis & cognatorum, nunc procurator creatus est publicorum. Opé implorare solebat alienam; nunc asylum debet esse singulorum, opem ferre miseris, non se amplius sibi, sed aliis natum credere. Priuatas colebat amicitias, & simultates odiaque exercebat: assumptus verò ad præfecturam subditos quosque etiam quos antè oderat, vel hostes sentiebat; habere debet commendatos, neminem negligere, neminem auersari, qui caput dici vult vniuersorum, iniuriarum omnium abstergere memoriam clementiæ spongia & humanitatis. Ius suum prosequebatur apud magistratum; modò verò in solium conscendit administraturus iustitiam. Priùs denique nec multos numerabat amicos, nec inimicos; posteriùs autem singulorum censuris exponitur; amori item & odio, famæ bonæ aut malæ prout se in munere suo gesserit, nec ipse solum, sed ipsius quoque posteri propter ipsum. Manifestum est quod dico, in infelicibus Dionysij Siciliæ tyranni filiis; qui omnes in parentis odium stuprati, & omnifaria priùs contumelia fœdè affecti, sunt demum interempti, & cinis de naui in mare dispersus crematis corporibus. Faciet accurata horum meditatio, vt ita secum ratiocinetur qui gubernat: *Aliud est plectrũ, aliud sceptrum.* Tam parua intercedit inter pristinam meam seu priuatam conditionem, & publicam hanc proportio, quàm inter rusticanæ puellæ, & Reginæ statum. Quare sicut puella eiusmodi facta Regis vxor

Vltionis acerrimæ exemplum notandum. Plutar. in Polit.

vxor longè aliter sapit, incedit, loquitur, & afficitur, quàm prius; abstinet ab inurbanis suis moribus, quos cum lacte imbiberat; vrbanos autem & aulicos in posterum consectatur; quia hi non illi regiæ dignitati conueniunt. Ita me iam oportet aliam vitam viuere, nec quicquam de veteribus vitiis retinere.

§. 2. Postulat insuper ab eo Prudentia, ne vnquam se existimet à seipso habere potestatem, sed à Deo, dicente: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Hoc ipsum ingenuè profitebatur Dauid, cùm diceret ad Michol filiam Saul: *Elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius: & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini.* Et Salomon his verbis: *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo.* Ad idem collimauit Poëta, sic loquentem numini cuidam faciens Æolum ventorum Regem.

Potestas magistratus à Deo. Prou. 8.

2. Reg. 6.

3. Reg. 3.

Tu mihi quodcumque hoc regni est, tu sceptra Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

1. Aeneid.

Nabuchodonozor autem quia profiteri & agnoscere noluit, à Dei præcone audiuit: *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis erit habitatio tua; & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis. Septem quoque tempora mutabuntur super te; donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum; & cuicumque voluerit, det illud.* Ad hoc

Dan. 4.

hoc idem insinuandum quandóque ad regnũ vocat Deus nihil tale cogitantes, vt Saul, Dauid, Ieroboam; Quandoque mandat & prouidet, vt non maiori natu, sed minori deferatur. Hinc illud Adoniæ, qui ætate vincebat
3.Reg.2. Salomonem, ad Bersabee huius matrem: *Tu nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israel sibi in Regem; sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: A Domino enim constitutum est ei.* Ne improborum quidem principatus excipio, cùm à Deo omnes esse affirmo. Notum quid ad Pilatum Iudicem, ad virum, inquam, parum probum dixerit Chri-
Ioan.19. stus: *Non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi datum esse desuper.* Neque tamen idcirco vel insipiens est Deus, vel iniustus, vel de regnicolis malè meritus: Aut enim euehit malos in præmium & remunerationem virtutum quarundam moralium, quibus excellunt, quo sensu passim tradit S. August. in libris de Ciuit. nobilissimum Imperium fuisse Romanis datum iustitia, fide, humanitate clarissimis: aut in parẽtum gratiam, à quibus prodierunt, vt testantur verba illa ad eundem Salomoné:
3.Reg.11. *Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamẽ in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam; sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum.* Aut denique in pœnam regnicolarum, vt con-
Iob.34. stat ex his aliis; *Regnare facit hypocritam propter delicta populi.*

§.3.

§. 3. Sicut Deus Prælatos quoſdam Eccleſiæ ſuæ immediatè præfecit, vt in lege veteri Moyſem, in Euangelica Petrum, cui dixit ore proprio: *Paſce oues meas, paſce agnos meos:* Ioan. 21. quoſdam autem mediatè, hoc eſt, aliorum opera Clericorum, vel eos deſignãtium, ſi anteceſſores erant; vel ad Eccleſiaſticam dignitatem aſſumentium, ſi ſuperiores; vel eligentium, ſi æquales eiuſdem membra Eccleſiæ. Ita rectores alios potuit & poteſt Deus, cùm vult, propria authoritate inſtituere nullo expectato ſubditorum conſenſu, vel ſuffragio. Viciſſim autem velle poteſt vt in eorum creatione debeat ſubiectorum voluntas interuenire: Imò hoc tantùm poſteriore modò ſolet eos ad apices attollere publicorum munerum. Si quidem vel eliguntur à ſubditis, vel hæredes ſunt eorum quos elegerunt ſubditi, volentes vt hæreditario iure ad legitimos ipſorum liberos tranſiret principatus. Hinc illud Deut. 17. *Cùm dixeris, Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues,* &c. Faciamus excipi Saul, Dauid, Salomonem: non eſt profectò conſequens: Deus per ſe ſolus, & independenter à populo duos treſue vocauit ad clauum Reipublicę; ergo & reliquos. Deindè longè probabilius videtur; nec Saul, nec Dauid promotionem fuiſſe à ſolo Deo. Solus, fateor, vtrumque vngi fecit, & deſignauit ad regnum; ſed priuatim, atque ita vt neuter ſtatim pro Rege ſe geſſerit, & neque Samuel Saul Regis anteceſſor, nec

Deus pro libito poteſt rectores inſtituere, aut mutare.

nec Saul ipsius Dauid legitimus populi Rector esse desierit. Certè 1. Reg. 9. cùm electus à Deo esset Saul, adhuc Samuel iure suo conuocauit populum in Masphat, ad constituendum Regem; & perindè ac si electio nulla esset; missa sorte cùm ea super Saulem cecidisset, à populo publicè Rex est nominatus. Dauid similiter multò antè Rex à Deo electus non priùs regnare cœpit, quàm septimo pòst anno in Hebron est consecratus, & à populo constitutus, 2. Reg. 2. & 5. Tunc tantùm propriè, & quoad exercitium regni clauum acceperunt, quando in eos sibi oblatos consensit populus, & vociferatus est: *Viuat rex.* Non quod eguerit Deus consensione hac populari; sed nihilominus sponte voluit vt interueniret, ac per illam, vtrique regia potestas solenniter cóferretur, sicut voluit inferiora producere accedente concursu rerum secundarum. De Salomone res adhuc est exploratior. Designatus ad regnum à Deo erat ante obitum Dauid patris sui; & tamen non nisi pòst, regnum administrauit, & Rex est habitus, priusque vnctus iussu Dauid, & à Populo susceptus, acclamante: *Tollite vobiscum seruos Domini vestri*, verba sunt Dauid, *& imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon, & vnget eum ibi Sadoc Sacerdos, & Natham Propheta in Regem super Israel.* Et infra: *Sumpsitque Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt buccina & dixit omnis populus, Viuat Rex Salomon.*

Saul & Dauid quomodò electi.

Salomon quando electus & regnare cœperit.

3. Reg. 1.

Ita fit, vt qui præficiuntur populo, contractum quendam cum ipso ineant, hoc ipso quo subscribunt eius voluntati, & in appositas conditiones consentiunt. Dicit populus; Conferamus ei ius regendi nos, condendi leges, iudicandi, iubendi, prohibendi, puniendi, tuendi ab hostibus: & consequenter tributum exigendi ad hoc necessarium. Electus vicissim rata habet omnia expressè vel tacitè, hoc est, non repugnando. *Qui enim tacet*, quando nullo graui metu tacere cogitur, *consentire videtur.* In se, inquam, recipit subditos benè regere, labores & pericula nulla eius causa subterfugere. Cæterùm vbi semel ei se subiecit populus, nec licitè potest, nec permittitur subiectionis iugum excutere, nec ipsi adimere conditiones obseruanti collatam potestatem, quas vtrum violauerit nec ne, non est priuatorum iudicare ac discernere. *Contractus inter Rectores & subditos.*

§. 4. Cùm à Deo sit potestas omnis, vt diximus, cauere solet bonus prudénsque Magistratus, euanescere in cogitationibus suis; nō existimat liberũ sibi esse potestate, quã habet, vti ad omnia, cùm data sit *in ædificationẽ, nō in destructionẽ*, id est, vt in meliùs, nō vt in deterius procedant vniuersa. Nō se credit omni lege solutũ, nulli censuræ obnoxiũ, cũ diuinæ sit quàm maximè. Ad memoriam frequenter reuocat, quod ait Sapiens cap. 6. *Audite Reges & intelligite; discite Iudices finium terræ; præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à* 1. Cor. 13.

Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non iudicastis, neç custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsunt, fiet. Exiguò enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. In qua tota sententia, dignissima sunt verba illa *cum essetis ministri regni illius*, quæ valdè ponderentur, quia clarissimè ostendunt etiam Magistratum, qui supremus dici consueuit, non tam rectorem esse, quàm Dei veri ac summi omnium moderatoris ministrum siue vicarium suo tempore vocandum ab eo ad exactissimos calculos. Quod sanè quò pensiculatiùs secũ meditatur, eò conatur studiosiùs, talẽ ei sese exhibere, quales experiri optat subdditos proprios, hoc est, non ingratos, insolentes, perfidos, rebelles, suprema iura affectantes; non excedentes præstitutos terminos, non detrectantes imperium, nec conseruos suos percutientes. Nimis quippè iniquum videri, si quispiam se minus Deo, quàm sibi alios velit subiicere.

§. 5. Hinc transitum facit ad metum salutarem

rem, & in tanta constitutus obligatione sistendi se Deo, ait cum Rege illo sanctissimo: *A iudiciis tuis timui.* Videt ipse & obseruat adolescentes, quãdo in theatrũ prodeunt personas Regum acturi & Imperatorum: notat, inquam, vt se componant ad grauitatem, vt incedant, loquantur, imperent, respondeant interrogati: Síque in eorum moribus nihil agreste animaduertat, nihil præter decorum, in sinu gaudet, nec exiguo remunerat præmio illorum industriam. Sin ab iisdem precetur multipliciter: *Principiũ cogitationes, qua.* Psal. 118.

Si dicentis erunt fortunis absona verba,
Ridet eos, nec vltrà dignatur sua præsentia. Horat. in Arte.

Eodem planè modo secum agi credit in ordine ad Deum summum Agonothetam omnes contemplantem, eos præcipuè sub quibus viuunt reliqui, quo pacto partes obeant suas in theatro isto orbis terrarum, & leges obseruent à se Rege Regum latas atque propositas. Si diadema suum considerat gemmis adornatum, non indè in superbiam erigitur; sed magis ita loquitur: *O principum tegumentum, nemo est qui te curaret, atque in manus tollere dignaretur, si quot curas, pericula, obligationes imponis eorum capitibus, probè intelligeret:* Et viuit paruus in oculis suis; quia talibus delectatur Deus, & libẽter cõmittit præfecturas, sicut dictũ est ad Saul: *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Dominus in Regem super Israel?* Ad Dei censuram perhorrescit cum Propheta 1. Reg. 15

Iob Rex fuit. Iob. 13. Iob (nam & ipse Rex fuisse legitur) dicente: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Timet denique, ne non satis in officio sit; ne sicut Dan. 5. Balthasar filius Nabuchodonozoris Regis appēsus in statera inueniatur minus habens, & Dominus appelletur ab hominibus potiùs *Iure Dominus quis quando.* quàm sit. *Tunc námque solùm Dominus iure vocatur*, vt ad Iustinianum Imperatorem scripsit Agapetus, *cùm ipse sibi dominatur, & absurdis voluptatibus non subiicitur; sed cum auxilio piæ rationis, quæ inuictum in irrationales affectus imperium exercet, omnia domantes cupidines panoplia temperantiæ deuincit.*

§. 6. Aliquid de Prudentia subiiciamus eidem necessaria, ne si illam prætermiserimus, opus lectori offeramus truncum & mutilum. Differt autem specie secundum Aristotelem, Arist. in l. 3. Polit. c. 2. nobiliórque est quacumque alia. *Prudentia verò*, inquit, *propria virtus est præsidentis*, non *Prudentia quorũ propria.* quod abnuat in subditis esse posse Prudentiã, cùm lib. 6. Ethic. c. 8. scribat, duas esse partes politicæ, vnam quæ est legum positiua, pertinétque ad Principes; alteram quæ retinet cōmune nomẽ politicæ; & versatur circa singularia: huiusmodi autem singularia peragere *Prudentis offic.* spectat etiã ad subditos. Sed vult dicere, Prudentiam non eis competere, quâ præcisè & formaliter subditi sunt; quandoquidem prudentis est dirigere, imperare, præscribere quidnam fieri debeat; illis autem vt præcisè subditis incumbit oppositum, dirigi nempè, &

& imperata facere. Cæterùm priuatis in rebus ad illos attinentibus, vel etiam in iis quæ sic eis imperantur, vt ipsorum discretioni relinquatur executio, cõsulere possunt dictamina rectæ rationis, eique se inter operandum conformare: quod nihil aliud constat esse, quàm vti prudentia, & sibi ipsis quadantenus præsidere. Et quia bona illa tria, quæ per Prudentiam obtinere studet sapiens, ciuile, œconomicum, & priuatum, specie inter se differunt, nec in eodem sunt excellentiæ gradu, cùm primum sit secundo, & hoc tertiò multò nobilius; sicut longè aliud est præsidere Reipublicæ, aut ciuitati, quàm familiæ; & familiæ quàm priuatis negotiis, fit vt Prudentia ciuilis, quæ aliter politica per excellentiam dicitur, diuersa sit à duplici alia spectante partim bonũ solius familię, partim priuatum; longéque præstantior, vt docet S. Thom, 2.2.q.47.a.11.

Circa Religionem quid ab eodem postulet Prudentia obseruari.

CAPVT II.

§. 1. *Quas ob causas Religionem plurimùm colere debet qui præest.*

2. *Quinam religionis actus præcipuè deceant gubernantem.*

3. *De reuerẽtia exhibẽda Prælatis Ecclesiasticis.*

 4. *De*

4. *De hypocrisis abominatione, & fuga in Religionis materia.*

5. *Circa Religionis materiam, à quibus instrui nihil debeat, vel immutari.*

§. 1. SICVT ab agris, qui plus seminis acceperunt, non abs re expectatur messis copiosior; & serui ad plura tenentur, quibus decreta sunt ampliora stipendia: ita Prudentes sunt quicumque regunt, quando secum ratiocinantur, tantò magis suum esse Deum colere, quantò illum munificentiorē in se experti sunt. Dicit enim Scriptura: *Cui multum datum est, multum requiretur ab eo* Quod autem maiora quædam de manu ipsius acceperint, negare non possunt conuicti verbis illis ad Dauid Regem: *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra*: & abundè liquet ex honoribus, diuitiis, deliciis, iurisdictione, gloria, & omnigenis vitæ præsentis commoditatibus, animique & corporis relaxationibus, quas magni æstimare vulgus hominum solet: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, quæque tam cumulatè suppetunt iis, qui publica gerunt munera, vt vix quicquam aliis relictum fuisse videatur. Bonarum sanè mentium est beneficiis ad summum benefactorem colendum prouocari, nec vllo modo pati, vt ab expostulāte audiat: *Incrassatus est dilectus meus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deū factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Perdifficilè

Prudentiū rectorū cogitationes quæ de Deo.

Luc. 12.

2. Reg. 7.

Psal. 143.

Deut. 32.

difficilè est tot inter delicias, & libidinandi occasiones, insolescendi, abutendi accepta potestate (inter quas subuersus est Salomon) virum bonum agere, rectum tenere cursum, & immaculatum se custodire, quod interim facere præpositus debet, nisi perire malit. Quomodò autem faciat, nisi eius fretus auxilio, qui ait, *sine me nihil potestis facere*? Hoc verò auxilium qua arte impetrabit, nisi summo eum cultu prosequatur? Neque enim dignus est alius. Fecerunt hoc Dauid, Constantinus Magnus, Carolus Magnus, & Theodosius Imperatores, & imperarunt fœlicissimè. De primo ait Deus Psal. 88. *Inueni Dauid seruum meum.* Et mox ad declarandum huius fructum seruitutis: *Manus mea auxiliabitur ei; veritas mea & misericordia mea cum ipso; & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam.* Secundi prosperitatem fusè describit S. Augustinus l. 5. Ciuit. c. 25. De tertio constat, quàm ipsi ad nutum fluxerint omnia. Quarti temporalem fœlicitatẽ & prodigiosas victorias suspicit, & gratulatur Claudianus.

Ioan. 15.

Principes pij æquè ac magni.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas acies, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

6. Panegy. 20.

Pergamus porrò. Interest præsidentis, vt ametur à suis & timeatur, ad quod impetrandum inierunt varij rationes varias. Alij ad congiaria & largitiones profusas confugerunt,

Principes qua arte sibi conciliare possint subditorum amorem, & metum.

vt hodie Turcarum Imperatores in Ianizarios suos admodum liberales. Alij ad affabilitatem, vt Alexander Magnus. Alij ad indulgentiã,non puniẽdo delicta,conuiuendo,dandandóque audiendi licentiam.Alij gratificando votis etiã iniquis ciuium, vt Herodes, qui
Actor. 12. *occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, videns autem quia placeret Iudæis, posuit vt apprehenderet & Petrum.* Verùm modus omnium præsentissimus est, vt quis percharus Deo esse credatur, & in singulari eius tutela constitutus.Talis citò experitur morigeros vniuersos. Nemo ei facile obloquitur,aut aduersus eum leuat calcaneum suum, ne fortè vindicem Deum sentiat. Deus porrò nullis æquè fauere videri potest & coniungi, ac iis à quibus impensè colitur, nullos magis ope sua destituere,quàm eos apud quos iacet religionis cura. Quid putas causæ fuit, cur ab Achab recesserit,eiusque regno pluuiam per aliquot annos negauerit, nisi propter eius impietatẽ? Nihil itaque consultius, quàm vt religiosissimus sit magistratus, & quod Deo debet compluribus titulis conetur persoluere, simúlque efficere, vt suauis ac iucunda subiectis sit seruitus.Ad hoc conducit plurimũ,si intelligant seruire se pio Principi. Nam vt scribit idem Claudianus:

Claud. li. 3. In Stilic.

Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Seruitium, nunquam libertas gratior extat
Quàm sub Rege pio.

Eiusdem æquè interest, subditis vicissim piis impe

imperare; iis autem nemo alius fuerit tàm efficax stimulus ad pietatem:

——— Totus componitur orbis,
Regis ad exemplum.———

Huc spectat quod scriptum reliquit S. Hieronymus simile argumentum tractans epist. 30. *In te oculi omniũ diriguntur, domus tua conuersatio quasi in speculo constituto magistra est publicæ disciplinæ. Quicquid enim feceris, illud faciendum omnes putant.* Et Hieremias cap. 10. irreligioni præpositorum velut causæ certissimæ adscribit populi totius corruptelam & impietatem. *Quia pastores stultè egerunt, & Dominum non exquisierunt, propterea non intellexit vniuersus grex, & dissipati sunt.* At fortè per otium minimè licet viris in dignitate constitutis vacare Deo. Quasi verò occupatior quis esse possit, quàm Alexander Magnus, aut Iulius Cæsar; quibus tamen inter assidua grauissimáque bella spatiũ semper fuit non paruũ, quod darent rebus aliis, vt cõmentariis, literísque cõscribendis.

§. 2. Ex complúribus religionis actibus, videntur mihi quatuor decere illum præ cæteris. Primum locũ vendicat sibi Oratio, à qua regnum suum auspicatus est Salomon, ex totis præcordiis suis ita Deum alloquens: *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, mitte illam de cælis, vt mecum sit, & mecum laboret.* *Actus quatuor maximè decent Principes, & qui.* Sap. 8. & 9.

Crediderim non posse vulgò præpositũ Reipublicæ prolixis orationibus operam dare; tametsi S. Ludouico Francorum Regi in more positum fuisse non ignorem, recitare quotidiè *S. Ludouici pietas.*

R 5 tidiè

si exaudiet, nō despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus: Ita pro benefactoribus suis postulando sunt efficaces. Proderit etiã non parũ religiosorũ hominũ implorare suffragia, quia *multũ valet deprecatio iusti assidua*: faciebat id Constantinus Magnus fructu maximo, & S. Antonij precibus adhuc viuẽtis se suáque omnia studiosissimè commendabat. Iac. 5.

Secundus actus est, si non quotidiè, sæpissimè saltem interesse diuino Missæ Sacrificio. Nam cùm præter illud nullum sit, nec assignari possit Christianæ religionis proprium, & potissimus religionis actus sit Sacrificium, postulat iure suo, vt minimè omnium negligatur. Mos iste est nunquam satis laudatus Regum Christianissimorum. Solent quotidiè Parisiis extra Luparam suam hora plus minus septima antemeridiana prodire solemniter ad sacellum, quod Borboniorum dicitur, ibíque Sacro interesse. *Missa quotidie audiẽda.*

Tertius in celebrioribus festis expurgare animum per sacram exomologesim, seu peccata propria confiteri, & abolenda offerre pio, doctóque Sacerdoti, cui & aliis in persona Apostolorum dixisse Christus noscitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Peracta autem exomologesi eundem animum suum dispositum iam, & repurgatum sacra Synaxi reficere, seu pane illo cœlesti, de quo idem Christus ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi; qui manducauerit* *Peccata sæpe confitenda.* Ioan. 20. Ioan. 6.

ex

ex hoc pane, viuet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est. Si nemo in hac vita paulò insigniorem gerens præfecturam, neminem sustinet ministrare sibi pollutis manibus; perpendat secum ipse, num tantò sollicitiùs debeat coram Deo, cuius minister est, purus apparere, expersque grauioris cuiusque culpæ; quantò maior diuina maiestas est, quàm terrena. Si rursus ad Vasallorũ fidem, gratitudinem, prudentiam, vrbanitatem credit pertinere, vt se aliquoties veniant salutatum, & prætereuntem intra domos suas recipiant; cõsideret, num multò magis debeat ipse cœli terræque Dominum, cuius totum est quod possidet, in sacra hostia sese offerentem, & quasi inter homines peregrinum non adorare solùm; sed interdum suscipere proprio animi corporísque hospitio, ne aliquando ab indignante audiat, *hospes eram, & non collegistis me.* Si ad Sacramentorum dignitatem respiciat, summè necessaria secundùm Baptismum est Pœnitentia; si ad dignitatem, Eucharistiæ cedunt omnia. Quocirca rectissimè fecerit, si vtrumque non rarò vsurpet; ac recordetur quid dixerit cuidã fœminæ sanctus Macarius à se curatæ, quam fascinati vniuersi, à quibus aspiciebatur, equam rebantur esse, non fœminam: *Ad sacram Synaxim accede posthac crebriùs; quia non aliam ob causam permisit te Deus venire in hanc confusionem, nisi quia quinque iam hebdomades præteriere, ex quo ad illam non accessisti.*

Matth. 25.

Eucharistia quanta dignitatis.

Rufin. l. 2. cap. 28.

Quartus

Quartus : sit ille omnis, qui pro tempore vocatur in controuersiam, & oppugnatur ab hæreticis, aduersum quos si nequit illũ verbo propugnare, ob Theologicæ facultatis ignorantiam, tueatur saltem exemplo, plus sæpè habituro virium ad permouendos animos, & in orthodoxa religione fidéque retinendos, quàm argumenta plurima. Fecit hoc Franciscus Primus Galliarũ Rex ; audiuit irrepsisse Sacramentarios in regnum suum, cultúmque dissuadere Eucharistiæ ; mox interesse voluit publicæ, longissimæque circumgestationi per vicos aliquot Perisienses, reipsáque pedestris interfuit aperto semper capite, quamuis æstus, qui tunc sub clarissimo feruebat sole, intolerabilis videretur. Ne hîc quidem subsistendum; sed prætereà optimi Rectoris erit, eiusmodi oppugnatorum curã gerere, & iuxta gratiam, facultatémque sibi à Deo collatam, reuocare illos ab errore suo, ne pereant; sed in vera Christi causa hunc & alios Catholicæ religionis actus profitendo salutem suam operentur. Magis adhuc contra illorum impetus Ecclesiam matrem suam, Christíque sponsam studiosè defendere, vt zeli huius sui laudatorem aliquando Deum ipsum habere possit, & audire:

Columen patriæ, meta laborum,
Tu præsidium fratribus fessis,
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Seneca in Troad.

Defensionis huius pars vna, est, maturè obuiã

Obuiandũ maturè malis.

ire

-Ire nascentibus erroribus: quia recentes suffocare non est difficile. Sin autẽ sinantur radices agere, extirpari postea vix poterunt.

Ouid.l. 2. de remed.

Flumina parua vides paruis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Vidi ego quod fuerat primò sanabile vulnus,
Dilatum longa damna tulisse mora.

Lib. 2. Aphor. 29. & l. 7. aph. 50.

Arius vna scintilla fuit, ait S. Hieronymus, & refertur 24. q. vlt. crescendæ; *sed quia citò extinctus non est, orbem totum flamma eius populata est.* Quid autem Hippocrates? *Incipientibus morbis, si quid mouendum videtur, moue.* Negat alibi cancrum & apoplexiã principio sanabilem; vbi perfecta fuerit, curari posse. Id si fuisset obseruatum circa ætatis nostræ noua dogmata, si maturè prospectum, ne ser-perent; procul à nobis essent innumera mala,

Matth. 13.

quæ cernimus. Sed heu! *cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici.* Hinc illæ lachrymæ. Cautior in re longè minoris notæ senatus Romanus, cùm inaudisset prædones initium grassandi facere, mox propriis sumptibus contra illos misit ipsosmet Consules P. Scipionem & Decium Brutum, qui quòd insignes essent viri, expeditionem hanc exercentes reuerentia & terrore maximo Italiam totam concutiebant, criminis magnitudinem tacitè loquebantur, & audaciam omnem aliquid simile deinceps moliendi omnibus amputabant, vt scribit Cicero in Bruto.

§. 3. A Deo ipso in honore haberi Sacer-

dotes

dotes, constat non ex ea tantùm lege, quam in illorum fauorem tulit: *In tota anima tua time Dominum, & sanctifica Sacerdotes.* ac rursus: *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes:* Sed inde etiam quòd nunc illos vocet Deos, vt Exod. 22. nunc Angelos Domini, Malach. 2. nunc sal terræ mundíque lumen, Matth. 5. Ad eos remittat, quos sanat Luc. 5. inconcessam Angelis potestatem remittendi peccata iis largiatur, Io. 20. & Eucharistiam conficiendi, Matth. 26. dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Pluribus vix opus est, vt intelligant qui præsunt, quonam eos loco habere debeant, tum vt diuino præcepto quod audiuimus, satisfaciant, omnibus indiscriminatim proposito, tum ne exemplum à tanta maiestate sibi datũ videantur, non imitando contemnere. Accedit, turpe censeri, si in hac parte ab Ethnicis vinci se sustineant, ex quibus Druydæ sacrificos suos idolorũ cultores mira obseruantia prosequebantur, vt narrat Cæsar lib. 6. de bello Gallico. Turcæ Cadilesqueros, & alios superstitionis suæ præpositos potissimos eximiè colũt. Alexander Magnus veniens Hierosolymã ad pedes procidit Iaddo sũmi Sacerdotis Iudæorũ in Põtificali habitu sibi occurrentis; & interroganti Parmenioni, cur tã humiliter se homini subiecisset, responsum protulit tali Rege dignum: *Ego non tã hominem adoraui, quàm Deũ, cuius gerit Sacerdotiũ.* De hoc argumento plura iã scripsimus lib. 1. cap. vltimo:

Ecclef. 7.

Sacerdotes honore habendi.

Fulgos. lib. 1. cap. 5.

duo iam addemus, quæ nemo inficiabitur: At primú, dignos esse patres qui colantur à filiis, pastores ab ouibus, præceptores à discipulis: omnes qui Sacerdotes nó sunt, suorú respectu Prelatorú filios esse spirituales, oues & discipulos. Filij sunt, quia B. Paulus hoc epitheto Galatas afficit, cap. 4. *Filioli, quos iterú parturio, donec formetur in vobis Christus.* & 1. Cor. 4. patrem & genitoré se vocat Corinthiorum: *Ego in Christo per Euangelium vos genui.* Oues sunt, Io. 2. *Pasce oues meas.* Discipuli sunt, Act. 4. *Crescente numero discipulorum.* & cap. 11. *Docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli, Christiani.* Ab omnibus itaque par est, vt honorétur plus vel minus pro ratione gradus; & maximè quando operantur sacris (sic tamen vt honore debito vicissim prosequátur nó Sacerdotes in dignitate cóstitutos.) Hac erga illos obseruátia mirú dictu quàm promoueát religionis negotiú, qui Rempublicam administrant. Ferdinandus Cortesius, qui nouam Hispaniam ad se traduxit, nullo magis æstimationem maximã fidei nostræ apud barbaros illos conciliauit, quàm quòd Sacerdotibus deferret honorem eximium, à quibus ea promulgabatur, vt scribit Ioan. Boterus li. 2. de Politia c. 14. Alterú, cùm bona personis adhæreant, non sufficit honorare illos in personis propriis, non trahendo quemquam ad tribunal non suum, nec percutiendo, extra casus à iure concessos; nisi præterea immunia & intacta relinquantur illorum

Maximè operantes sacris.

immunia & intacta relinquantur illorum bona. Idolorum verè non erant vasa aurea, argentea, & alia quæ Ethnicis delubris continebantur, eò quòd falsi erant Dij; quia nihilominus veri credebantur, & vasa illa sacra, multoties in eorum direptores seuerissimè animaduertit verus Deus; à quo non est, cur meliùs aliquid expectent, qui eius bona sibi vendicant, aut potestati suæ subijciunt. Eius autem peculiari titulo dicuntur esse bona Ecclesiæ, seu templorum & sacerdotum. A quibus quia abstinere noluit Iulianus apostata, sæuo morbo correptus, visceribus putrefactis, totóque corpore ebullientibus vermibus, & scelestam carnem depascentibus, excrementis denique non per solitos corporis meatus; sed per os blasphemum egredientibus, miserrimè interijt, si verum est quod author tripartitæ scribit historiæ lib. 6. cap. 31. & non verisimilior sententia Baronij, illum asserentis ad Ctesiphontem in bello Persico hastâ costas transfixum occubuisse.

Bona Ecclesiæ peculiari titulo sunt Dei.

Iuliani apostatæ miseranda mors.

§. 4. Omnes quidem ab externa religionis iniuria conuenit diligentissimè abstinere; sed Magistratus tantò magis quantò plus Deo debent, qui religione colitur, & potest iure suo ampliorem sinceriorem que ab ijs cultum exigere, quos sibi surrogare dignatus est in gubernatione mortalium. Dicitur autem iniuria religionem afficere, & cum religione Deum, qui intrinsecùs impius, extrinsecùs dat eius specimen. Deterrima hæc species

est hypocrisis, cui valdè indignatur summus
Matth. 15. ille inspector cordium, vt cum ait, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à*
Iob. 8. *me*: imò extrema denunciat mala his verbis: *væ vobis hypocritæ.* & alio in loco, *Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Interiit miserrimè Absalon. Vndè hoc, nisi quia vota simulauerat, quæ redderet in Hebrõ 2. Reg. 15. & Herodes qui se simulabat venturum in Bethleem, vt adoraret Dominum; Et Iudas, qui osculo præ se ferebat amici speciem, cùm Sacrilegus esset, Christique proditor? Fallitur Reipublicæ administrator, quisquis se putat posse diu subditis fucum facere, apud quos commendare se studet larua pietatis. Nullum violentum perpetuum; huius autem generis est, religionem, quæ procul à corde exulat, fingere; impietatem verò quæ subest, dissimulare. Sicut & perdifficile est, læsis præcordijs occultare prauum corporis habitum prodentem se tandem per singultum, tussim, variolas, &c. Vbi porrò ijdem illusiones permolestè ferre soliti, delusos se sentient, fallor si propensam erga ipsum gesturi sunt voluntatem, quem antè credebant personam agere viri boni, Deumque colentis. Nam cùm in omni re odiosa, turpisque est fictio, tum in religione turpissima. Fallor, si eius exemplo, non discant imponere socijs, aliud in corde habentes, aliud in ore: Aut si illum credant syncerè

Hypocritarum etiam plurium.

ſecum agere, quem cum Deo nouerint mala fide verſari: Aut ſi non ſibi continuò à Deo timeant percutiente paſtores animo duplices, & propter illos gregem innocentem.

§. 5. Expedit denique, vt ſolers ſit, ac prudens; ne quid circa religionem immutet, aut decernat authoritate propria, niſi de numero ſit Clericorum, itaque exaltatus, vt decernendi habeat poteſtatem. Clericos nollet Laicus immiſcere ſe negotiis, rebuſque ſuæ iuriſdictionis; viciſſim relinquat eis res ſacras, nec attingat. Ne quidem ritus vllos ſacros, vbique receptos eleuare præſumat, aut nouos introducere. Seuerè potius caſtiget inuentores eorum, & introductores iuxta conſtitutiones Concilij 6. Toletani. Cumulatè ſufficiunt res propriæ, ad occupandam eius quantamcumque induſtriam. In quibus adeò nihil ſe poſſe credidit Conſtantinus Magnus, vt in magno Nicæno Concilio 318. Epiſcoporum infra omnes ſederit, nec vnquam præſumpſerit quaſdam eorum controuerſias ſibi licet oblatas iudicare. In cauſa quoque S. Athanaſij eum dixiſſe conſtat: *Ego Epiſcopum veſtrum Athanaſium libenter accepi, & vt virum Dei alloquutus ſum; veſtri autem eſt, non mei indicij, ea de re cognoſcere.* Valẽtiniani iunioris verba ſic habent: *Mihi, qui minimus è numero Laicorum ſum, non licet me eiuſmodi negotiis interponere.* Honorij hæc ſunt: *Si quid de cauſa Religionis inter Antiſtites ageretur, Epiſcopale oportuerit eſſe iudicium.* Ecce quomodò loquebantur, & ſapie

Conſtantini Magni obſeruantia in patres Concilij.

S. Athanaſ. Apol. 2.

Item Valentiniani Iunioris.

Ruff. lib. 1. bapt. 2.

Ac Honorij.

Baron. tom. 5. anno 404

& sapiebant Orientis & Occidentis Imperatores potentissimi, iurium suorum bene periti; quorum vestigijs insistens Carolus VII. Francorum Rex, suæ iurisdictionis negauit esse, definire controuersiam inter Archiepiscopos Bituricensem & Burdigalensem, vter alterum deberet præcedere. At nonne in Codice suo Iustinianus Imperator leges multas condidit de rebus sacris, Ecclesiasticisque personis? Ita quidem, sed quàm infœliciter hunc ei ausum credis successisse? Perdidit Imperium, coactus est Hunnis tributum pendere, in hæresim lapsus est Incorruptibilium, qui scilicet Christi carnem incorruptibilem dicebant & impassibilem, & subitanea extinctus morte. Deindè cùm non sit credibile, ipsum existimasse Imperatoria potestate se posse leges præscribere Ecclesiæ & Sacerdotibus, quandoquidem proprias suas Ecclesiasticis canonibus solitus fuit subijcere, vti liquet ex pluribus eius constitutionibus, dicendum restat cum Consilio Carthag. 5. & Africano (si non arridet prima responsio) eiusmodi leges ab eo fuisse latas consentiente & conniuente Ecclesia in subsidium, tutelam, & executionem Ecclesiasticarum.

Caroli VII. Francorum Regis.

Iustinianus in hæresim lapsus Incorruptibilium.

Nonnulla obseruatione digna circa bonum familiæ publicæ.

Capvt III.

§. 1.

§. 1. *Domesticis prius quàm alijs prospiciendum.*

2. *Etiam spirituali domesticorum bono consulendum.*

3. *Quoslibet promiscuè non admittendos ad familiam.*

4. *Quinam perniciosissimi omnium, maximéque à familia excludendi.*

§. 1. Quemadmodũ agẽtia naturalia, Sol, ignis, & similia fortiùs vires suas exerunt in obiecta viciniora; ita cõuenit subliniores potestates ad domesticos suos in primis attendere, & Apostolũ audire dicentem: *Qui suorum & maximè domesticorũ curam non habet, fidem negauit* (non verbo, sed opere) *& est infideli deterior,* quia infideles cõplures magnã suorum gessisse constat. Ipsæmet brutæ animantes stupendam gerunt de propriis fœtibus. *Quædam animalia,* ait Quintilianus, *ipso ore in periculis catulos suos transferunt, nouasque illis indulgentia manus commenta est, noxios alioqui morsus huic vni officio mitigant. Nidulorum, si infestantur, crebra mutatio est, nec quicquam vsque eo ferum est, vt non cum progenie sua migret, adeò illis quibus omnium rerum intellectus negatus est, hic tamen affectus relinquitur.* Habet quiuis paterfamiliàs ad domesticos suos respectum peculiarem, vnus quodammodò cum ipsis est, & illatas ijs iniurias sibi putat irrogatas. Sicut ergo ipse sibi priùs, ita domesticis suis attendere antè debet, quàm cæteris. Eidem ascri-

Rei familiaris quanta debet esse cura.

1 Tim. 5.

Quint. Decla. 388.

bi solent delicta familiarium, quia præsumitur familia sub Rectore sapiente non facilè actura nequiter. Cùm igitur è re præsidentis sit, audire benè apud subditos, vrgere seriò debet domus propriæ disciplinam. Iidem vix ac ne vix quidem speraturi sunt præclarè ab eo administratum iri munus publicum, si se præstiterit circa disciplinam hanc remissum & negligentem. Qua coniectura fretus idem Apostolus dicebat 1. Tim. 3. *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Non valenti parua administrare, quo iure cura committi poterit præstantiorum? Imperitus est regendi cymbam; quæ spes fore vt peritè Myoparonem regat vel Onerariam? Contra autem: *Tunc potest idoneus Reipublicæ Rector futurus probari, si prius domum suam rectè gubernauerit. Qui enim in minimis fidelis est, & in magnis fidelis est.* Familiæ nomen hoc loco accipimus, non pro vno toto genere, stirpe, & prosapia; esto qui de illa sunt, non simul degant, quo sensu Luc. 2. dicitur Ioseph fuisse de domo & familia Dauid; sed complexu eorum, qui sub vno capite simul habitant. Excipient fortè aliqui, suas admodum esse numerosas, in quibus proindè seruari non possit disciplina. Sed vtrum numerosiores sunt, quàm aula Salomonis, cuius cibus per singulos dies complectebatur triginta coros similæ, sexaginta coros farinæ, decem boues pingues, viginti boues pascuales, centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum,

S. Ambros. & dist. 47. c. sicut hi.

Familia quid hoc loco.

3 Reg. 4. *Aula Salomonis quanta.*

rum, bubalorum, & auium altilium? Ecce interim tam erat in regendis domesticis suis accuratus, vt eo nomine Reginam Saba in vehementem admirationem rapuerit 3. Reg. 10.

§. 2. Cùm porrò disciplinæ omnis veræ caput, vel etiam summa sit Dei cultus, timor, morumque integritas, sicut dicit Scriptura: *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo,* Eccles. 12. dirigi melius non possunt domestici, quàm si hæc omnia iubeantur habere commendatissima, & ante oculos exempla continua videant, quibus incitentur. Quo in genere præcipuam vim habent, quæ dimanāt ab ipsismet præpositis. Quadantenus siquidem Dij sunt in terris degentes, diuinorum autem exemplorum in vtramque partem vim esse maximam non obscurè docet S. Augustinus de falsis loquens: *Omnes cultores talium Deorum, mox vt eos libido perpulerit, feruenti, vt ait Persius, tincta veneno, magis intuentur quid Iupiter fecerit, quàm quid docuerit Plato, vel censuerit Cato.* Non abnuo, Ecclesiasticorum præcipuè Præpositorum esse conscientias & saluti attendere domesticorum, seu Clericorum, seu secularium; sed si non ad Laicos etiam suo modo pertineret, quomodò Dauid Rex vt Prophetæ, ita Principis temporalis personam sustinens, dixisset Psal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam?* In quo Ethnicos ijdem Laici nostri superabunt, si quoad temporalia duntaxat sint de familiaribus suis solliciti? In nullo certè.

S. Aug. l. 2. Ciuit. c. 17

Apud illos siquidem affluunt serui complures temporalibus commodis; sed quia de spirituali eorum salute nemo curam gerit, miseri sunt. Qua autem arte primum detegere, deinde castigare deprauatos illorum mores possint ac debeant, nihil attinet dicere: facilè piam voluntatem docebit vnctio, nec deerunt, si opus sit, fidi exploratores, qui audita vel obseruata renuntient.

§. 3. In eiusmodi familiaribus admittendis, quàm sit circumspectio, delectusque necessarius, indè ratiocinari possumus, quòd deprauati vt pellem, ita vix vnquam nequitiam deponant, quæ inoleuit per multos iam annos, & transijt in affectum cordis, vt psaltes

Psalm. 27. loquitur. Quare cùm intersit viri eminentis familiam habere florentem virtutibus, & sibi honorificam, in qua cum suis securus viuat, proculque ab ignominia, eos assumat oportet, qui probæ indolis solidum habent testimonium; nec sperantur futuri boni, sed iam sunt, propterea quod fallax nimis esse solet futuræ illius indolis expectatio, atque promissio. Etiam in Aula inueniri tales poterunt, ægrè licet, si benè quærantur, minimè obstante vita aulica vel militari, vt Centurio ille, de quo Act. 10. *Erat vir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & orans Deum semper.* Ac Nebridius, de quo S. Hieronymus ad Saluinam: *Quicquid de illo Centurione dicitur, hoc nomine commutato in Nebridio meo vindico.* Et infrà: *Nihil*

In famlia quales deligendi.

Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparitorum caterua. Fuit idem Psalmographus circa hoc vigilantissimus, vti hæc alia eius verba declarant: *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Ac si enucleatius diceret: Si sustinere nequeo, vt ministerium mihi aliquod exhibeant leprosi, vlcerosi, fœculenti, & pœdore horridi; quantò minùs sustinere conuenit grauioribus malis laborantes, blasphemos, inquam, ebriosos, assentatores, mimos, scortatores, &c. Inter domesticos numero filiorum Pædagogos, seu Præceptores, quos parum est de malis bonos assumere, nisi etiam assumantur, quoad fieri poterit, de bonis meliores, de melioribus optimi, insuperque iure vtentes suo defendantur; adeò interest, quam institutionem imbecilla ætas à principio hauriat. Excelluit in hoc genere Theodosius Magnus. Damasum Pontificem per interpositum Gratianum obnixè rogauit, virum vt ad se mitteret, quem sciret valdè Catholicum, probum, eruditum, cui posset Arcadium filium suum sexennem, iamque designatum Imperij successorem, instituendum committere. Mox tanto muneri destinauit, & Constantinopolim misit Pontifex Arsenium Romanæ Ecclesiæ diaconum, iisque dotibus instructissimum, quas flagitabat Imperator. Vix eò peruenit Arsenius, cùm statim pueri animum imbuere cœpit & colere,

Psal. 100.

Pædagogi inter domesticos.

Socrat lib. 5. c. 10.

sed ita vt stans doceret, ille contrà sedens doceretur. Quod cùm die quodam obseruasset Theodosius, ægrè tulit, & obiurgauit Arsenium, eò quòd ministerium suum non honorificaret; sed deiiceret, minusque quàm par esset, discipulum suum in modestia exerceret. Quo dicto in throno sedere iussit ipsum; depositis autem insignibus regiis, apertóque capite stare Arcadium, audire docentem, & ad interrogata respondere. Quod totum refero, vt nemo non videat, quàm optauerit habere filij eruditorem numeris omnibus absolutum, & vbique accuratissimum. Noui ego præcellentem nobilem, qui expertus suorum præfectos timidiores, quàm vt auderent peccantes cædere, interueniebat cùm cædendi erant; vtque coram cæderentur, præcipiebat, & ex cōposito præceptoribus indignabatur, quoties pro reis intercedebant. Ita fiebat, vt iis non irascerentur castigati, sed amare pergerent vt intercessores beneuolos, & commiseratione prosequerentur, quasi causa sua à parēte obiurgatos, pudore affectos, & necessitate adactos verberandi. Et certè alias nihil procliuius, quàm vt in eiusmodi illustrium filiorum odiū incurrant Ludimagistri; idque magno suo incommodo expertus est idem Arsenius. Nam cùm posteà contigisset, vt absente patre Arcadium verberaret, hic ingratus nimis apud se decreuit eum vita spoliare, quod ille subolfaciens ad Ægypti eremum se contulit. Necesse proinde vt illorum authoritatem sartam tectam

Theodosij egregium factum.

Arcadius quàm ingratus in præceptorē.

ctam conſeruent parentes ipſi, exemplo eiuſdem Theodoſij, cùm Arſenio dixit de Arcadio; *Poſthac tu magis pater eius, quàm ego.* Sozom. l.7.c.12.

§. 4. Dicamus iam, qui maximè omnium videantur à familia excludendi. Vtcumque ſuprà mihi videor illos indicaſſe, nempe hæreticos, *quorum ſermo vt cancer ſerpit*, ſeducitque per dulces benedictiones corda innocentium, Rom.6. His adhuc pernicioſiores Athei, ad quorum album pertinere creditur Mimorum pars maxima. Item adulatores, quorum pariter ſermo nocet plurimùm, non quòd ſtatim animo officiat; ſed nequitiæ ſemina in eo relinquit, cùm excuſatur quod turpe eſt, vituperatur quod honeſtum, quia illud blanditur ſenſibus & corruptæ naturæ iſtud aduerſatur. *Adulatio*, ait Q. Curtius, *perpetuum malum Regum eſt, quorum opes ſæpius quàm hoſtis euertit. Quare certa pernicies imminet Principi, qui adulationi potius quàm admonitioni aures præbet.* Magos non præteribo, quorum arte nefanda mirè delectatur, fouetur & creſcit ocioſorum hominum curioſitas, & Diabolico irretiuntur laqueo, quicunque iis ſe affricant. Nec denique Monomachos, de quibus alio loco plura.

Quinam à familia excludendi.

Dictamina quædam Prudentiæ circa conſultationes.

CAPVT IV.

§. 1. Pu

§. 1. *Publicas potestates opera indigere Consiliariorum.*

2. *Quales esse debeant Consiliarij.*

3. *Quibus de rebus Consiliarij seipsos rectè admoneant.*

4. *Vtrùm illorum Consiliis insistere teneantur sublimes illæ Potestates.*

Sapientum consilia vtendum Principi.

§. 1. IN grauioribus quibusque rebus, quales præ manibus habent ad publica vocati gubernacula, vtendum consilio Sapientum, miniméque fidendum iudicio proprio, præceptori pessimo, edicunt passim Sacræ paginæ, vt Prou. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et infrà: *Ne sis sapiēs apud temetipsum,* Prou. 23. *Prudentiæ tuæ pone modum.* Et c. 12. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium; vbi verò plures Consiliarij, confirmantur.* Idem tradit Arist. lib. 3. Ethic. c. 3. acceditque ratio, quòd ad discernendum vtiliter de eiusmodi rebus, magnum lumen intellectus sit necessarium, profunda negotij propositi consideratio, meditatio præteritorum, prospicientia futurorum, perspicacitas arcanorum & eorum quæ possint contingere: Experientia item non vulgaris, animusque liber à perturbationibus, quæ mentem excæcant in propriis, & tanquam vitra peregrino infecta colore res longè aliter quàm sunt, repræsentant, & voluntatem in interdicta plerumque præcipitant. Hæc autem omnia vberiùs meliúsque à multis, quàm ab vno considerātur; sicut plura videntur ab oculis, quàm oculo.

oculo. Interroganda proinde diuersorum iudicia,& lumen quod modicum est in singulis, augendum alieno & corroborandum. Quod quidem tantò continget certiùs, quantò specialius gratiam Deus promisit humilibus, Iacob. 4. Humiles autem sunt, qui ingenio, iudicio, industriæ,ac doctrinæ suæ non multum tribuentes, non dedignantur ab aliis sciscitari quod sentiunt, vt iis auditis certiùs dirigantur. Qui secùs faciunt, nec alieno lumine vllo se putant indigere, exæquant se Deo, de quo Rom. 11. *Quis consiliarius eius fuit?* maledicuntur ab eodem Isa. 5. *Væ qui sapiẽtes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes,* cúmque in graues calamitates proruerint, vix est qui commisereatur; qui verò rident & deridunt, infiniti. Iam si priuatos oportet quid alij sentiant, explorare, multò magis rectores multitudinis, quia vix vnquam censeri leuis potest error talium. Ad præfecturas assumpti, non idcircò habent infusam de cœlo scientiã & lumen omne sibi necessarium, sicut nec facultatem expediendi seu executioni mandandi per se omnia. Est ipsis ad manum potentia: sed quid Horatius?

Vis consilij expers mole ruit sua. Horat. l. 3. Ode 4.

Permouit hæc cogitatio Alexandrum Seuerum, nullam vt sanciret legem, nisi adhibitis prius & interrogatis Iurisconsultissimis, quos vbi audiuisset, emendabat vt opus erat, & corrigebat quod antè statuerat. Cúmque diceret ei mater, atque exprobraret, quòd ea

Alex. Seueri sedulitas in legibus condendis. Lãprid. in eius vita.

ea ratione contemptibilem facere videretur Imperij maiestatem, respondit, sed *diuturniorem atque securiorem*. Habentur denique sanctiora, iustitiæque & rationi congruentiora, quæ consilio geruntur, atque ad ea capescenda amplius incitatur quicũque populus, quàm si ea suspicetur à solo capite descendisse. Hac suspicione fit, vt inuidiam in illud omne deriuent subditi rebus malè cadentibus, discantque illius exemplo sibi sapere, in sensu suo abundare, alienum spernere, in studia ferri contraria; quod nihil aliud est, quàm Reipublicæ moliri perniciem. Hanc ob causam inter alias, noluit Ludouicus X I. Francorum Rex, filium suum Carolum VIII. nauare operam literis, veritus scilicet, ne si aliquid sciret, omnia se scire præsumeret, atque ita propriis subnixus ratiocinationibus, negligeret audire & interrogare sapientes. Non hæc sanè commemoro, quasi expedire sentiam, vt literarum omnium expers sit qui imperat; Scio quid in oppositũ scripserit Plato: *Beatas tunc Respublicas fore, si vel Philosophi essent Imperatores, vel Imperatores Philosophi*. Sed vt ostendam, quanti referre iudicauerit idem Ludouicus, ne qui Reipublicæ tenet clauum, in suum duntaxat iuret de rebus agendis consilium.

Bellef. in Ludou. 11. *Laudouicus X I. cur noluerit vt filius Carolus V I I I. addisceret literas.*

§. 2. Eiusmodi negotiorum, quæ consilium desiderant, duo sunt præcipua genera, alia tempus pacis, ciuilemque iustitiam; alia belli administrationem respiciunt. Habet res optimè cùm vtriusque ordinis Consiliarij duabus excellunt

cellunt dotibus; rerum quas tractant peritia & probitate (quia scientia cum authoritate, sed sine probitate gladius est in manu furiosi: vicissim probitas cum authoritate, sed sine scientia; gladius est in manu cæci ac paralytici, nescientis vti eo nec valentis.) Vndè S. Bernardus exponens illud Ioan. 5. *Erat lucerna ardens*, ait: *Tantùm ardere parum est, tantùm lucere, vanum est: lucere & ardere perfectum.* Et Dominus Deus in medio Paradisi arborem scientiæ boni & mali cum arbore vitæ coniunctam esse voluit, vt intelligentiam probitati, qua spiritualiter viuimus, iungendam disceremus. Quod si fortè non inueniantur, qui vtraque dote polleant, non procul à vero sentire videntur; qui bonos putant doctis anteferendos; tum quia per ipsorum ora leuantium in cœlum puras manus, quibus merentur in omnibus viis suis illustrari, mira sæpè Deus loquitur. *Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*, tum quia in talibus ob passiones edomitas magnam vim habet lumen naturale, nec facilè aberrat à scopo veritatis. Cùm autem fieri nequeat, vt solidè probus sit, qui vera fide caret, aut lucro nimis inhiat, aut non est forti animo; sed facilè metu percellitur damni proprij, aut amicis displicendi; perculsusque non audet germana mentis suæ sensa depromere: esto se iurauerit deprompturum; rectè fit, vt nemo his laborans vitiis soleat in Consiliariorum numerum cooptari.

Peritia & probitas requiruntur in consiliis capiẽdis ac dãdis.

Eclesʃ.7.

Probus solide quis non possit esse.

Non

Non qui vera fide caret, nec eius odio impulsus suggerat quæ è re nõ sunt religionis Christianæ, aut iura & exemptiones oppugnet Ecclesiæ sub specie consulendi emolumentis publicis, & ab Apostolicę reuerentia sedis auertat præsidentes. Non lucri cupidus, quia vbi pecunia cœperit iudicia corrumpere, actum est de salute patriæ, deque integritate & arcano Consiliorum. *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eo prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuere: Vbicumque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulò pòst imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est.* Hinc meritò suspecta sunt consilia, quæ manifestè faciunt ad priuata authorum suorum commoda; quale apud Æsopum fuit consilium corniculæ suggerentis Aquilæ, vt ad frangendam cochleam è sublimi illam in saxa præcipitaret. Fecit hoc Aquila, sed vbi fracta est testa, inclusum pisciculum surripuit & comedit cornicula, quæ in terra hæserat. Non denique qui metu laborat, vel affectu alio vicioso fortitudini contrario, quia tali præuentus passione seruare non poterit in eo quod sentit, constantem syncetitatem, sed contra mentem sæpè loquetur, ne offendat consulentes, vel socios inclinantes in contrarium. Quinam sint his malignis qualitatibus vacui vel non, palàm fit ex muniis quæ gesserũt, ex communi fama, vsuque & experimento, ex testimonio sapiẽtũ. Et quia senes præ iunioribus multa experti sũt, &

Saluſt. de Rep. ordin.

& ſubactos magis affectus habent, non abs re præferri ſolent quaſi prudentiores. *In antiquis enim eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Iob. 13.
Et ſanè ſenatus dictus videtur à ſenibus, quod iis præcipuè conſtet, aut conſtare debeat. Scripſit alius:

Quid grauis Antenor, Priamus quid ſuaſerit ipſe,
Conſule, queis ætas longa magiſtra fuit. Ouid. epiſt. 5.

Experientiã tanti fecit Ariſtoteles, vt oculum dixerit eſſe Prudentiæ. Nempè vt à natura ſapiens eſt nemo, tametſi ſagaces & ſolertes exiſtunt multi; ſic nullus à natura prudens, quando is habitus exercitatione comparatur rerúmque vſu: Prudentiæ proindè laus potiſſima in ſenibus conſiſtit, quàm maximè exercitatis, vt non dubitauerit Agamennon, ſi decem haberet Neſtoris ſimiles, quin Troia eſſet breui peritura. Similiter cæteris paribus ſalubritèr præferuntur ignobilibus potentes & conſpicui; iuxta illud: *Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum*, &c. Exod. 18.
Ratio eſt: quia hi videntes ſe vnis poſthabitis vulgares illos ad tantum aſſumi officium, facilè indignantur, vix bonis oculis aſpicere poſſunt Reipublicæ Nauarcham, à quo ſe cõtemni interpretantur; illis aliis ſibi prælatis ſupra modum inuident, & quaſcumque poſſunt moleſtias obiecta occaſione creant: vt in Gallia defuncto Ludouico XI. crearunt grauiſſima Oliuerio Le Dain, & Ioanni Doiac viris abiectæ ſortis, quorum maximè cõſilio Rex vtebatur. Illum enim Lutetiæ ad

Experientia oculus Prudentiæ.

Oliuerio le Dain & Doiac qua arte & ſupplicio affecti.

T pati

Bellef. in Carolo 8.

patibulum promouerunt; hunc verò virgis cæsum, aure diminutum, lingua perfossum transmiserunt in patriam suam Aluerniam, vbi denuò cæsus est, & aure altera destitutus. Si tamen vir quispiam minimè nobilis adeò excellat virtute, iudicio, solertia rerúmque peritia, vt multis partibus vincat augustiores, iudicet lector num præ illis assumendus sit, cùm tot eius dotes sint, & haberi debeant loco magnæ nobilitatis & nobilis non sit idoneus ad munus Consiliarij vt nobilis, sed vt probus & sapiens.

Præsules nō admittendi ad belli executionem.

In negotiis ad belli administrationem, seu executionem pertinentibus, adhiberi vix vnquam consueuit Præsulum iudicium, cùm nō soleant, nec possint cæci iudicare de coloribus, & hæc negotia sint ab ipsorum professione aliena (secus si de ipsa bellij iustitia & similibus ferenda sit sententia.) In aliis autem quibúsque grauioribus non abs re interrogatur, nisi causa sit capitis; non solùm quia nō obstat Clericatus, quominus membra sint totius Reipublicæ, & quidē altioris ordinis, sed quia in eiusmodi aliis rebus sæpè inuoluuntur ius naturale, diuinum vel Ecclesiasticum, contra quæ nihil est decernendum. Vtrum autem decernatur aliquid necne, certiùs videbunt ipsi quàm Laici, & videndo partes interponent suas, vt eiusmodi decreta non fiant, vel vt facta rescindantur. Ipse Turcarum Imperator regni sui receptis parens legibus, comitia nulla indicere dicitur, nulla

fecre

secretiora inire consilia, nisi præsente summo Turcicæ superstitionis Antistite, qui attendat, ne indè quippiã emanet in Alcorani preiudicium. His inducti rationibus sapientissimi Franciæ Reges Ordinem crearunt duodecim Optimatum, quos *Pares* appellarunt, qui sibi grauissimis quibusque in rebus essent à consiliis, non omnes statu seculares; sed sex Ecclesiasticos; Ducem & Archiepiscopum Rhemensem, Ducem & Episcopum Landunensem, Ducem & Episcopum Lingoniensem, Comitem & Episcopum Nouiodunensem, Comitem & Episcopum Beluacensem, Comitem & Episcopum Catalaunensem: Et totidem Laicos, Ducem Burgundiæ, Ducem Normandiæ, Ducem Aquitaniæ, Comitem Flandriæ, Comitem Campaniæ, & Comitem Tholosæ. Pares, inquam, dicti sunt, quòd ex vno ordine tot assumerentur, quot ex altero. Apostolica item sedes post translatum Imperium ab Oriente in Occidentem, voluit vt ex septem Germaniæ Principibus à se constitutis, penes quos ius esset eligendi Imperatorem, tres essent Clerici, Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Coloniensis, & Archiepiscopus Treuirẽsis; reliqui seculares Dux Saxoniæ, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgicus, & Rex Bohemiæ.

Pares Franciæ, qui & ad quid creati.

Ecclesiastici.

Laici.

Cur dicti Pares.

Electores Imperij, qui & quot.

§. 3. Intelligunt, non dubito, Consiliarij publici multa esse, de quibus seipsos admonere, vel à suo etiam Domino si opus sit, possunt admoneri. Exemplum, omnes ipsi esse

charissimos, & in magna apud eundem opinione virtutis atque iudicij (neque enim alias statuisset ipsorum vti sententiis in sui administratione muneris) videndum proindè expectationi vt satisfaciant, quod præstare aliter nequeunt, quàm sanissima suggerendo consilia. Considerandum præterea, quantam nomini suo sint notam inusturi, quanto expositurі se odio subditorum, si secus faciant, non aliis magis prauū populi regimen ascriptum iri. Magnam & religionis plenā debere esse Sacramenti vim, quo se obstrinxerunt, nihil se acturos contra sui rationem officij, non suppressuros veritatem, non vsuros fide mala, non aliud se spectaturos, quàm totius bonum ciuitatis ac patriæ; perfidos foro si secus egerint, ac iram quidem Dei potissimum incursuros: simul autem non euasuros populi principisque indignationem, cuius sunt oracula, si dies aliqua, quod facilè fit, admissum dolum detexerit. Nihil esse cur perturbentur, si non semper obseruetur quod suggerunt: Non enim ad id astringi supremum Magistratum in rigore iuris nisi per accidens, vt mox dicetur; nec se illis vti vt Magistris, sed vt directoribus & amicis, quorum velit sciscitari arbitriū. Adhæc datā omnibus opinandi libertatem, & dicti sui rationes depromendi. Satis quippe constare, quòd sicut nihil marito prodest, si conceperit vxor, virtute carens pariendi cùm tempus instat: Sic exiguæ, vel nullius vtilitatis esse Principi

Sacramentum præstādum à Iudicibus quod.

Summus magistratus Consiliarios quatenus sibi admittat.

Consi

Consiliario vti egregiè præmeditante quid fieri expediat; si libertate careat, vsque dicendi eo tempore, quo consultandum est, & fundendum foras quod mente conceperit. Intelligunt denique ad solidam hanc præmeditationem voluendos quandóque Annales superiorum temporum, de quibus Basilius Imperator ad filium: *Per historias veteres ire ne recusa; ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt, atque illic hauries & bonorũ virtutes, & malorum vitia, vitæ humanæ varias mutationes; & rerum in ea conuersiones, mundi huius instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus; & vt verbo complectar, malorum facinorũ pœnas, bonorum præmia; quorum illa fugias, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas; hæc amplectaris, vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Sed neque pœnas possunt obliuisci, quas decernunt iura secreti violatoribus; nempè vt comburantur viui, aut furca suspendantur. Vti respondit Paulus Iurisc. l. si quis aliquid. ff. de pœnis, vtque si vasalli sint, à feudo cadant.

§. 4. Quod paulò antè insinuauimus, nõ teneri Magistratum iudicio stare Consiliariorũ suorum, de absoluto ac supremo est accipiendum. Nam si habeat in suo genere superiorẽ, puta in temporalibus, debet præscriptas sibi ab eo leges obseruare, hoc est, in certis rebus agendis suos adhibere & interrogare cõsiliarios, fortè etiã illorũ sequi iudicium, ita vt aliter actus nõ valeat, & peccetur insuper contra obedientiam, siue demum idẽ Magistratus Syl. V. Cõsilium n. 1. & 4.

ſatis ſe credant per ſe intelligere quid facto opus ſit,in re qua de agitur ſiue,nō.Quomodo ſubalternati erant Ephoris Reges Lacedæmoniorū.Si verò ſuperiorem non habet, vti cōſilio non tenetur, quando prudenter ſe non credit indigere:ſicut nec ei adhibito ſe conformare,quando ſimili ſubnixus prudentia,& fide bona rationes ſuas benè perpenſas iudicat contrariis præponderare. Quò pertinent illa Xerxis verba ad primates Aſiæ, quorum ſenſa percontatus fuerat illaturus bellū Græciæ,*Ne viderer meo tantummodò vſus conſilio,vos contraxi; verum mementote, parendum vobis magis, quàm ſuadendum.* Sin contrà cenſet, imbecilliores eſſe nec ſatis tutas,tenetur in materia præſertim graui adhærere contrariis. Nec tamen idcircò ſubeſſe dicitur ſuis Conſiliariis, cùm ab iis cogi non poſſit, ſed ab iis tantùm dirigi, & oſtenſum naturæ lumen, normamque ſequi. Quinam autem magiſtratus ſint prioris, vel poſterioris generis, nec meum eſt definire,nec hoc loco neceſſarium. Non deſunt etiam Reges & Imperatores,qui in publicis ſaltem Comitiis ad prius ſpectant. Itáque Conſiliariis ſuis obnoxij ſunt,vt quod maior pars ſenſerit, nec mutare poſſint, nec abrogare. Vndè ad eorum nonnullos,cùm eadem Comitia celebrant,vel etiā cum inaugurantur,næc ſententia dirigitur: *Nos qui tantū valemus, quantū vos, & pluſquam vos poſſumus, vos Regem eligimus cum his & illis conditionibus. Inter vos & nos vnus imperat*(ſummum Iuſtitię impe

Val. Max. l.9.c.5.

Forma Aragonica Regum eligendorum.

imperium intelligunt) *plusquam vos.* Interim prudentissimè faciunt summi etiam Principes, dum iudicio & rationibus propriis plus æquo non tribuunt; sæpè enim fallunt nos nostra, & hoc ipso quo nostra sunt, ostẽtant se quasi alienis saniora, cùm non sint. Qui consilio res agit, tunc etiam laudatur à modestia, cùm malè cadunt: Et cum benè, sæpè nihilominus vituperatur à temeritate, ob neglectum alienum consilium. id quod non obscurè significauit his verbis Seneca: *Illud superbum promissum, nunquam sapientem facti sui pœnitere, nec vnquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium.* Dimanat ex hac modestia cõmodum aliud: relinquitur ipsis Consiliariis exemplum efficax non indignandi, si quando sententiis propriis videant præferri alias, cùm Princeps ipse demittat & alienis accommodet suam. Sen. lib. 4. de Benef. cap. 34. & seq.

De Ecclesiasticorum, déque aliorum munerum distributione.

CAPVT V.

Officia & beneficia Ecclesiastica in quo differant.

§. 1. Officia, seu munera Ecclesiastica dicuntur functiones sacræ vel etiã iura & potestates exercendi tales functiones: Beneficia autem sunt iura percipiendi præbendas, siue redditus necessarios alendis ministris, seu præfectis talium munerum. Hic suppono, in magna quauis rerum mole necessariam distributionem esse munerum, quia vt scribit Plato l. 2. & 3. de Rep. *Nemo ad omnia ritè peragenda sufficit, sed singula melius fiunt & facilius, quando singuli singula ab aliis cessantes efficiunt. Qui plura pertractat, in singulis tandem ita deficit, vt in nullo euadat egregius.* Hæc officia, vt dignis tantùm conferantur, seuerè mandat Deus, Matt. 7. *Nolite dare sanctum canibus.* Et Apostolus 1. Tim. 5. *Nemini citò manus imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Affine est examen illud serium de doctrina & moribus, quod præmitti ordinationibus iubet sub graui censura Tridẽtina Synodus, sess. 23. Quantus fuerit S. Leo Põtifex sapientissimus minimè latere arbitror; is nihilominus cùm orationibus & ieiuniis vacans ad sepulchrum S. Petri, Dei misericordiam, & peccatorum veniam imploraret, hoc responsum à S. Petro accepit: *Deprecatus sum pro te Dominum, remisitque ille tibi peccata, vt hoc solum à te expetendum & postulandum superfit, quibus aduersus Apostolicam legem manum temere imposueris.* Nempè praua horum dispensatio iniuriosa est Deo, quẽ vsque eò non benè colunt indigni post promotionem, vt innumeris

S. Leoni responsum datum à S. Petro.

Indignorum ordinatio quot mala ingerat.

numeris offendant sacrilegiis. Iniuriosa est Ecclesiæ, dum ei obtruduntur ministri inidonei. Iniuriosa est dignis vel dignioribus, hoc ipso quo postponontur. Iniuriosa denique promotis ipsis, hoc sensu quod illorũ humeris onus imponitur, cui pares non sunt. Vndè iusto Dei iudicio promotores suos quandóque puniuisse leguntur, vbi euaserunt dignitate superiores. Sic Liuius Salinator Cõsul creatus stipendio priuauit omnes 35. tribus Romanorum, quòd aut priùs ipsum iniustè condemnassent tanquam reum peculatus; aut si reus erat, tantos indigno sibi honores detulissent, Censoris scilicet ac Consulis. Gratis itaque officia hæc conferantur, & beneficia, ne Simoniacus dictum sibi audiat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Conferantur digno tantum, si talis possit inueniri, hoc est, probo, & mediocri saltem instructo scientia rerum ad munus, quod sortitur, pertinentium, de qua est illud: *Quia scientiam repulisti, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Conferatur solerti & industrio, si cura sit animarum, ad quam dexteritas eiusmodi tam est necessaria, vt propter illam Barsabæ, licet iustiori præpositus sit S. Matthias: & S. Gregorius quendam sibi oblatũ ab Episcopatu exluserit ea destitutum. Præstat audire loquentem: *Petrus Diaconus, quem à vobis electum asseritis, omninò vt dicitur, simplex est, & nostis quod talis hoc tempore in regiminis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, verum-*

Salinator stipendio Consul factus quid egerit. Plin. lib. 2. de viris illust.

Actor. 8.

Hos. 4.

Rebuff. in praxi.

S. Gregorius priuat Episcopatu Petrũ Diaconum, & cur. S. Greg. l. 8. epist. 40. ad Neapol.

In Parochis eligendis quanta obseruantia.

etiã de extrinseca subditorũ vtilitate & cautela sciat esse solicitus. Adhæc in Parochis & aliis id genus instituendis meminerit collator, anteponere minùs dignis eos, qui notabiliter, vt dici solet, id est, multò sunt digniores (præterquàm in casibus iure exceptis) ne aliàs peccet mortaliter perfidè cõtrectans bona Domini Dei sui. Vnde Petrus Ioan. 21. in supremum Ecclesiæ pastorem assumitur, quia socios vicit charitate in Christum, quæ vtique faciebat illum cæteris digniorem. In iure Canonico passim hoc ipsum præscribitur. Nam in c. licet 8. q. 1. sic legimus: *In ordinando Sacerdotem requiritur, vt qui præstantior est ex omni populo, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, eligatur.* Et in cap. *Metropolitano*, docemur: *Eum qui ex presbyteris & Diaconis eiusdem Ecclesiæ optimus est, eligendum.* In Concil. Basil. sess. 12. extat pragmatica sanctio in decreto de electione, confirmata à Martino V. vbi Electores iubentur iureiurando promittere Deo se electuros quem nouerint digniorem. In Synodo quoque Trid. sess. 23. c. 1. dicitur Antistes peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ vtiliores iudicarit, præficiẽdos curet. Et cap. 18. *Ex hisque Episcopus eũ eliget, quem cæteris magis idoneũ indicauerit.* Ad munera ipsa temporalia quæ plus eminent, vocandi sunt digniores, vt infrà dicemus, quantò magis ad Ecclesiastica sine dubio præstantiora? Est porrò dignior cæteris paribus, vt iã indicaui, qui in genere illo peritior. Itẽ qui probior, ac sapientior.

Pastor Eccles. Petrus cur factus.

sapiẽtior, puta qui iudicatur ab administrationis ambitione remotior. Nã reuera qui ambit, hoc ipso parũ se probat iudiciosum, ignorans quantã molẽ sustineãt qui præsunt, si solidè suas obire partes velint; sin autẽ, concedo nihil esse facilius. Sed cõsiderent quid futurũ sit, si nõ obeant. Itẽ qui de gremio est eiusdẽ Ecclesiæ, vel patriæ; vndè talẽ anteferri iubet S. Leo in capite illo *Metropolitano*: & S. Petrus de Iudæ agens successore præsentes sic est allocutus: *Oportet ex his viris, qui nobiscũ sunt cõgregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiẽs à baptismo Ioannis vsque in diẽ, qua assumptus est à nobis, testẽ resurrectionis eius nobiscũ fieri vnũ ex istis.* Et infrà, cũ agitaretur quæstio de cõmittenda quibusdam mensarũ cura & pauperũ, eos sumi voluit de numero præsentiũ: *Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonij septẽ, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Nempè non solũ permolestũ est domesticis, præpositos sibi videre exteros; sed etiã suauius regi ab illis populus solet velut sibi similioribus, iidem exploratius habent ingenium indolemque subditorum. Inter casus iure exceptos ponitur præsentatio digni facta à patrono Ecclesiæ, qui scilicet fundauit vel dotauit illam. Nullibi ab eo exigitur, vt præsentet digniorem, licet occurrat; sed sufficere iura volunt, si dignum offerat; tum quia hoc modo si non optimè, benè saltem prouidetur Ecclesiæ; tum quia gratiam hanc & prærogatiuam meretur

Actor. 1.

Actor. 6.

Nõ tenetur Patronus digniorem præsentare.

meretur illa eius in Ecclesiam beneficentia, vt patet ex titulo de iure patron. Notandum denique, dignos non esse dicendos, qui tales sperantur futuri, quia quod futurum est, nondum est; & morbi præsentes, qui in eximij cuiusque muneris administratione enasci ab exordio solent, hominem postulant actu, reipsáque medendi peritum. Consueuerunt præterea futura eiusmodi esse incertissima. Liberaliter iurant candidati, se strenuè daturos operam, vt intra præfixum temporis spatium necessarias sibi dotes comparent; sed passim peierant, & dediscunt potiùs quæ anteà didicerunt, quàm vt conari velint, quod sibi deest, acquirere, dignitatem assecuti quam prensabant; concludunt in recessu cordis sui, nihil opus esse illius gratia labore se conficere, vt interpretantur, superuacaneo.

Quod de officiis, idem de beneficiis sentiendum, seu de iuribus percipiendi Ecclesiasticos redditus, qui cum non dentur nisi propter officia, vt videlicet honestè sustentari & viuere possint, qui illa exercent, vtique non aliis conferenda sunt, quàm iis, qui sunt ad dicta officia idonei. Collator qui secus facit, non peccat modò, sed tenetur insuper ad damni reparationem quod patitur Ecclesia.

§. 2. Inferioris quidem ordinis sunt munia secularia, non tamen idcircò leue detrimentũ est Reipublicæ, cùm malè distribuuntur. *Est malum*, ait Eccles. cap. 10. *quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens à facie Principis, positum stultum*

stultū in dignitate sublimi. Accedit perturbatio & indignatio meliorum insinuata verbis illis Matth. 20. *Hi nouissimi vna hora fecerunt & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus*. Incommodi huius auertendi causa, expedit omnino ad eiusmodi munia non modo dignos assumere, sed etiam digniores, præsertim cum de sublimioribus agitur. Exigit hoc proportio rerum temporalium ad spirituales, exigit amor boni communis, quod sine dubio magis promouetur, quando præficiuntur magis idonei. Fœlicem ac celebrem vocamus ciuitatem, in qua artifices omnes peritissimi sunt, idque curat solers Magistratus quàm potest diligentissimè: cur non etiam fœlices Respublicas, quibus obtigerunt insignes administratores; contra verò infœlices & miseras, quæ nactæ sunt sui muneris imperitos? Eligens Pharao Ioseph Patriarcham, cui clauum regni sui committeret, rationem protulit: quòd reperturus non esset sapientiorem, Gen. 41. & Daniel princeps constitutus super Prouincias omnes Babylonis, surrogauit sibi socios suos Sidrach, Misach, & Abdenago, quos sciebat omnium aptissimos, Dan. 2. De Saul electo in Regem testificatus est Samuel, 1. Reg. 9. *quòd non esset melior in Israel*. In ferenda porrò sententia, quinam digni censendi sint, abiicienda est inanis quorundam persuasio, dignos habendos, qui ex idoneis prodierunt, viris magna virtute, ingenio, rerum tractandarum solertia præditis.

Ioseph Ægypti patriarcha, & cur.

Daniel Babylonis.

Saul.

Cre

Crederē sanè, si semper responderent filij suis natalibus, pedémque ponerent in suorū vestigiis. At nego id esse perpetuū. Salomoni Regū sapientissimo natus est Roboā, qui fastu suo regnū amisit decem tribuum, & vix duas retinuit Iudæ & Beniamin cum Leuitica. Imò nec ei Leuitæ adhæsissent, nisi templum Domini fuisset Ierosolymis in tribu Iuda. Ezechiæ Regis religiosissimi filius fuit Manasses, cuius immania scelera horrebis, & descripta inuenies 4. Reg. 21. Ioram filius Iosaphat Regis item piissimi impiam duxit vxorem, idola coluit, fratres suos omnes internecione deleuit, 2. Paral. 21. & 22. Ex Seuero insigni profectò Imperatore aliàs Ethnico prodiit Antonius Bassianus Caracalla, qui fratrē Getá collegam interemit, simúlque cū eo Papinianum Iurisconsultum, eo quòd nollet barbarū hoc paricidiū iustificare ac defendere. Cyrus filiū post se reliquit Cambysem moribus longè dissimilē, & tyrannum sæuissimū. Artaxerxi filius fuit Ochus tam à parente alius, quàm ab homine vermes, lendes, pediculi. Marco denique Tullio Ciceroni Marcus alius, qui genitoris sui eloquentiā ac sapientiā ne adumbrauit quidem. Quæ cū ita sint restat, vt si bona indoles, virtus, ingeniū eximios viros extulit ad publica munera; inertia, & vitiū debeat degeneres eorum filios ab iisdē excludere. Amētur propter eos filij, sed magis Respublica, ad cuius ministeria animi corporisque dotibus idonei fiunt subditi, non rebus aliis: sicut nec

Roboam regnum amisit decē tribuum & cur.

Papinianus cur occisus.

nec frumentum iudicamus optimū, quod in pulcherrimo agro natū est, sed quod cōmodè nutrit; nec virū bonū, & studiosum, aut amicū beneuolū, qui genere clarus; sed qui moribus egregiis fuerit. Vt proindè aspirāti ad dicta officia lōgè optabilius sit ex patre prodiisse ignobili, si ipse excellat virtutibus; quàm ex illustri, si nulla in se habeat paternarū semina.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis Iuuenal. Sat. 8.
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Insistunt immobiliter regulæ huic Turcarū Imperatores & Sinensiū. Ad genus nō respiciūt in distribuendis honoribus & officiis; sed ad solā indolē & merita cuiusque grauissimo præmisso examine. Ita fit vt in suo genere excellāt apud eos, quicūque præsunt, & mirè incēdantur generosæ mētes ad præclara facinora. *Turcarum & Sinensiū obseruatio in distribuēdis honoribus.* Interim si per ætatē vel occasionē nondum licuit habere exploratū, quid liberi valeāt virorū insigniū, sint ne idonei ad munus quo de agitur, an nō: Fallor si in dubio in illorū fauorē nō sit præsumendū, vt præsumpsisse videtur Romana ciuitas in fauorē filij Ciceronis, de quo Seneca: *Ciceronis filiū qua res consulē fecit nisi pater?* Sen lib. 4. de Benef. c. 8. Huc etiā refero verba Theodorici Regis apud Cassiodorū: *Prudentia nostra ratio est, in tenera ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus prolis iudicare successum. Fertur cursu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, vt sapor qui concessus est origini (nisi per acciden-*

tia

tia fortè fuerit vitiatus) nequeat riuulus abnegari. Insinuat hanc eandem præsumptionem Horatius, cùm ait:

Horat.l. 4. Carm.

Fortes creantur fortibus,& bonis
Est iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Ex his sequitur, multò melius philosophari eos, quid dignos definiunt quibus obtigerunt dotes muneribus illis præclarè obeundis propriæ & accommodatæ. Nam quod ad alias, tam sunt intempestiuæ, quàm serra egregiè dentata ad scribendum, aut terebrandum. Vndè Pauoni appetenti Rex esse domesticarum auium dixit Pica: *O Rex, tu quidem pulcher; sed quid hæc species ad salutem nostrã? Si Aquila strenuè, vt solet, nos insequatur, quo illam modo abiges? quo nos pacto seruabis?* Iuxta quam definitionem ei, qui res causasque status tractat & considerat, necessaria in primis est prudentia seu peritia rerum agendarum, & dirigendæ Reipublicæ ad finem suum, quã quia in Quinto fratre suo desiderari nõ ignorabat Cicero, dissuadere conatus est, ne ambiret Consulatum: *Nouus Arpinas es,* inquit, *Roma est, consulatum petis.* Multùm pendet hæc peritia à probitate, adeò vt sine illa confestim degeneret in astutiam, & Reipublicæ moliatur exitium. Vndè Iethro describens huius partes officij, ante omnes fecit pietatis mentionem. *Prouidè de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas,* &

Exod. 18.

& qui oderint auaritiam. Iuxta eandem Iudex, qui priuatis ius dicit inter se litigantibus, eget in primis scientia iuris, qua *velut auri & argenti cognitor est, vt verum ab adulterato discernat.* Temperatum insuper erga pecunias affectum retineat oportet, ne alias peccet in ius cui profitetur consulere. At belli ducem decet in primis peritia militaris, animique fortitudo, de qua Mathathias: *Iudas Machabaeus fortis viribus à iuuentute sua sit vobis Princeps militiae, ipse aget bellum populi.* Tanti eam fecit Aristoteles, vt si de duobus eligendis ad militarem praefecturam vnus sit in ea exercitatissimus, sed parum probus, alter contrà; illum censeat anteponendum (dum inueniri tertius non potest vtraque dote conspicuus) quaestoris autem oppositam vult esse rationem. *Quapropter*, inquit, *in re militari quidem ad peritiam magis quàm ad probitatem est respiciendum: Pauciores enim sunt rei militaris periti, plures probitatis. Contrà verò in custodia & administratione aerarij.*

Arist. l. [illegible] Reth. c. 15.

Belli ducem quanam deceant.

1. Mach. 2.

Arist. lib. 5. Polit. cap. 9.

Praeter aptitudinem praeficiendorum muneribus publicis, obseruatum video à Legislatoribus & cautum, ne vni eidem grauia multa committerentur. Interdicebat lex quaedam Romanorum, teste Liuio lib. 9. dec. 3. ne qui iam vnum obtinuisset, aspiraret ad aliud. In eadem sententia fuit Aristoteles rationem proferens, quòd melius expediuntur singulae curae commissae singulis. *Debent singuli Magistratus ad singula opera deputari.* Et infrà: *Melius*

Idem lib. 4. cap. 15.

lius singula curantur, quam si in multis cura nostra distrahatur. Hoc ipsum in praxi sequitur Ecclesia. Namque videns beneficia, quibus proposita cura est animarum, magni esse ponderis, & totum vt dici solet, hominem requirere, multúmque videri, si vnus vni satisfaciat, legem tulit, ne absque expressa licentia sedis Apostolicæ eiusmodi duo alicui conferantur, cap. cum singula de præb. in 6. & in Conc. Trid. sess. 7. cap. 2. 3. 4. & 5. & sess. 24. c. 17.

Cura animarum totum hominẽ requirit.

§. 3. De officiis & beneficiis Ecclesiasticis quòd nefas sit ea vendere & emere, luculentius est, quàm vt illustratione indigeat & demonstratione; nam cùm de numero sint rerum spiritualium, palàm est Simoniacam censendam eiusmodi omnem circa illa pactionem. De secularibus verò maior occurrit dubitandi occasio contraria de causa. Et tamen communi ferè omnium consensione receptum video, ab horum etiam emptione vẽditioneq; abstinendum, L. vnica. C. ad legem Iul. de amb. Idem sancitum lego in variis regnis non subiectis Imperio, vt in Gallia à Carolo V. anno 1358. à Carolo VIII. anno 1463. à Ludouico in suis Constit. art. 40. Ita quoque sentiunt præcipui quique Theologi, vt S. Thomas in epist. ad Ducissam Brabantiæ opusc. 21. Caiet. in summa V. Venalitas, Sot. l. 3. de iust. q. 6. a. 4. Azor. p. 2. Inst. moral. l. 8. c. 7 Sylu. V. Dominium q. 4. Panormit. aliique Canonici iuris interpretes in cap. 1. *Ne prælati vices.* Ratio potissima ab incommodis grauissimis deducitur,

Officia etiã ciuilia non vendenda. Bellef. in horum vitis.

Et cur.

ducitur, quæ indè proficiſcitur. Is ſiquidem, cui plus eſt nummorum, obtinere officium ſolet quod ambit, licet indignus ſit; aut ſaltẽ minus dignus quàm alius opibus inferior. Poſtquàm autem illud eſt conſecutus, per fas nefaſque extorquet vt plurimùm à reis, atque ab aliis quibuſcum agit, quicquid poteſt, vt in arcam reponat cum fœnore extractam, expenſam, numeratam pro illius adeptione pecuniam; ſemper interpretatur ſe nondum repoſuiſſe æquipollentem, exaggerat ſuprà veritatem delicta peccantium, vt apparẽs ius habeat mulctandi eos grauius, quàm reipſa deberet, eóque non rarò progreditur, vt in ære puniat puniendos in corpore, de induſtria lites excitat, fouet, prorogat, quò productior ſit optata lucri occaſio; & cùm implicet ſe tot iniquitatibus, lauat cum Pilato manus ſuas, os verò obſtergit inſtar meretricis, aitque, *Non peccaui*; officium hoc emi, neceſſe habeo ex re viuere propriis nũmis acquiſita; gratis dent qui gratis acceperunt. In qua menſura menſum eſt mihi, remetiar aliis. Extorſit à me collator quicquid potuit; atq; ita docuit, quid me facere oporteat. Deniq; nihil eidẽ collatori debere ſe credit, nullã habet gratiam habiturus maximã, ſi gratis accepiſſet. Quocirca Alexãder Magnus obſtringere ſibi volẽs Abdolominũ, quẽ Sidoniis prçfecerat, donanit eũ gratis hac prçfectura, *vt beneficiũ*, inquit, *grata memoria proſequatur.*

Quod & quãta inde incommoda Reip.

Prou. 38.

His tamen minimè obſtantibus, ſciendum, venditionem, de qua eſt ſermo, non pugnare

Q. Curtius libro 4.

cum iure naturæ; tum quia incommoda illa non tam ex ea promanant, quàm ex emptorum quorundam nequitia, & occurrere illis non ægrè poteſt Magiſtratus authoritas; tum quia hæc officia numerantur inter eius bona & patrimonium, & cùm fructuoſa ſint per ſe pretioq; æſtimabilia, vendi poſſunt. Interdum ſanè tam grauia occurrunt negotia, præſertim belli tempore, vt ſumptus ad ea expedienda neceſſarij communium tributorum vim ſuperent. Quare ſicut conſulenda vulgò non eſt illorum venditio, nec approbanda; ſic non omninò damnanda, dummodò non vendantur immodico pretio, quali vehementer accendi ſolet emptorum cupiditas, nec indignis, ſeu iis qui non ſperantur bene vſuri ſic acquiſitis, nec concedatur facultas exigendi quidlibet pro illius actibus; ſed certum quid, ac definitum, quod tranſilire ſub graui pœna prohibeantur: nec parcatur illis, ſi abuti deprehendantur: ſed erroris conuicti amoueantur, nec ſinantur inidoneos ſibi ſurrogare, ſed ad ſummum ea deponere coram Magiſtratu, ſupplicando, vt quos nominauerint, in eos transferre velit: nec denique deſit neceſſitas, vel publica vtilitas pretium ex iis colligendi. His addo, non ſufficere Officia ſeu ſpiritualia ſeu alia, ſolis conferre dignis, idque gratis: videndum inſuper, ne nimis multiplicentur ob incommoda grauia, quæ indè reſultant; dum ex aſſumptis plerique in otio vitam terunt, materia carent circa quam verſentur, inuidere

non

non cessant aliis, captant vndique iniquum & turpe lucrum.

§. 4. Quod ad temporis spacium, quicquid sit de speciebus aliis Reipublicæ, consultiùs in Monarchia solent Magistratus & publica officia in perpetuum conferri, quàm ad tempus definitum. Nam, vt taceam quod passim vsurpabat Traianus Imperator, promotos ad perpetua, meliùs ea faciliúsq; administrare, propter diuturnum vsum atque experientiam, & semel saturos non ita lucris inhiare; nouos autem inexpertos accedere & famelicos, tantóque esse in corradendis vndique opibus ardentiores, quantò breuius præfecturæ suæ spatium vident esse: Vt prætereà non dicam, graues quasque mutationes meritò periculosas videri & molestas assuetis; ac cum in multis sæpè discrepent successor & antecessor, ei semper inuidiam conflari, qui minus bene suo erit functus munere: esto fortè omnes ingenij neruos intenderit (quod incommodum licet non omninò vitetur, quando ad obitum vsque adeptum retinetur officium, contingit tamen longè infrequentius. Vt item non commemorem grauissima negotia, quæ præ manibus sæpè habet sub exitum suæ prouinciæ antecessor, imperfecta relinqui à successore; vel quia dedignatur perficere quod ille inchoauit, vel quia nequit habere sufficientem eorum notitiam, nisi post multum temporis, quo interim labente, pereunt illius perficiendi occasiones, & impedimenta non

An melius conferantur ad tempus.

pauca ſuccreſcunt. Vt, inquam, iſta ſilentio premam, negari non poteſt, quin Spiritus ſanctus Chriſtianæ rector Eccleſiæ prouiderit, ne optima ei deeſſet creandorum Eccleſ. miniſtrorum ratio: In Eccleſia autem perpetui ſunt exceptis Præpoſitis quorundam Regularium: ergo & in ſeculari quauis Monarchia præſtat eſſe perpetuos. Tales in Eccleſia eſſe, patet; partim quia in veteri, quæ typus erat Euangelicæ, ad obitum vſque prorogabantur, nec alio quàm morte vetabantur ſemper fungi ſacerdotio, vt ſcribit Apoſtolus Hebr. 7. Neque enim Moyſes, Aaron, Eleazar, Phinees, &c. quamdiu vixerunt, amoti ſunt. Libidine & auaritia ſola Romanorum Iudæorum factum eſt, vt ſupremi illi Pontificatus eſſent annui, vel certo alio temporis interuallo circumſcriberentur, vt ſcribit Ioſeph. l. 22. Antiq. ab initio autem non fuit ſic; partim etiam quia B. Petro eiuſdem Chriſtianæ Eccleſiæ Rectori dictum à Chriſto eſt indefinitè, & ſine reſtrictione loci vel temporis: *Paſce oues meas, paſce agnos meos*, reipſa idem ad mortem vſque clauum eius tenuit. De Platone quin ciuilia munera perennia eſſe voluerit, nemo dubitat. Idem de Ariſtotele & Socrate iudicium. Ille enim lib. 6. Polit. c. 2. tradit, quòd temporales habere magiſtratus proprium ſit Rerumpublicarum popularium ſeu imperfectarum. Hic verò in Nicocle ſic loquitur: *Qui Magiſtratus per vices annorum ſubeunt, prius ſunt iterum priuati, quàm Reipublica negotia cognoſcant, eorumque*

Præfecti in Eccleſia perpetui, paucis exceptis.

Romanorum Iudæorum Pontificatus annuus.

Ioan 21. *Petri verò perpetuus.*

que sibi experientiam comparent: Qui verò iisdem semper officiis funguntur, licet ingenij fuerint inferioris, experientia tamen vsque rerum longè cæteris præferendi sunt. Sed & perennitatem hanc officiorum ciuilium confirmasse mihi videtur Iethro socer Moysis verbis illis: *Constitue ex eis tribunos, &c. qui iudicent populum omni tempore.* Exod. 18.

Perpetua item fuere apud Persas, Medos, Ægyptios,& Assyrios, hodieque sunt in omnibus fermè Europæ principatibus, in Turcia quoque & regnis Tartarorum, Sinarum, Maurorum, Abyssinorum,& Iaponum. Quin etiam Respublicæ quædam Aristocraticæ & Democraticæ vel Duces habent perpetuos, vt Veneta; vel ferè perpetuos, quandoquidem duo tresue in orbem regunt, quamdiu viuunt. Sed & virtus longè melius mercede remuneratur perpetua, quàm temporanea,& additiores solent esse præsidenti, qui se sciunt toto vitæ cursu ei famulaturos, eius causam tuentur acrius, dántque operam, vt diutissimè viuat, ne ipso cadente occidant, & cogantur aliis officium cedere. Non inficior, pauciores ex perpetuis muneribus vtilitatem capere, quàm ex temporaneis: Verùm sufficit perpetua magis esse è re principatus. Præterquàm quod nunquam potest tanta esse eorum alternatio, vt ad illa priuati omnes etiam idonei perueniant, nec tanta raritas, vt non multi. *Duces perpetui apud Venetos.*

At verendum fortè ne ita viribus augeantur, qui administrant perpetua, vt cùm delinquẽt, renuãt debitas delictis suis pœnas susti-

fiere. In Monarchia hoc nihil, vel parum videtur metuendum: quia præualet semper Monarchiæ potentia ad debellandos eos, qui renuunt dicto esse audientes, obiiciuntque se illi occasiones sat multæ ad comprehendendum & puniendum nihil tale cogitantes. Idem dicendum, si tumidi fretique potentia, nolint vltrà promotori se suo submittere. Quanquam in hoc euentu nonnunquam expedit dare illis in feudum, cui præsunt, magistratum. Sic quippè multum se debere dominis suis fateri cogentur tanto honoris incremento; alia ex parte, astringentur ei arctissimè feudi legibus, quo priuantur rebelles cum posteris. Hac prudentia vsus est Venceslaus Imperator circa annum 1400. Vidit Ioannem Galeaceum Mediolano præfectum ad tantam peruenisse potentiam, vt metuendum esset, ne omnino iugum excuteret. Quid fecit? adhibito consilio creauit illum Ducem Mediolanensem, eademque dignitate sub ratione feudi illum in perpetuum pro se suisque inuestiuit, idque interposito pretio centum millium coronatorum, vt scribit Dubrauius lib. 23. Enimuerò rara est necessitas, quæ cogat ad odiosum hoc remedium confugere.

Ioannes Galeas Mediolani dux qua ratione creatus.

Circa iuris administrationem consideratio vtilis.

Capvt VI.

§. 1.

§. 1. *Duplex esse forum, Ecclesiasticum & ciuile.*

2. *Fori vnius Iudicem cognoscere non debere de causis propriis alterius.*

3. *A quouis Iudice quid maximè requirat Prudentia.*

4. *Circa iudicialem sententiam, eiusque executionem quid obseruandum.*

§. I. DVPLEX esse forum iudiciale in orbe Christiano, licet à me supponendum potius fuerit, quàm probandum; quia tamen magni momenti res est, & à nonnullis Sectariis ad contradicendum natis ægrè conceditur, omni probatione non supersedebo. De foro Ciuili nulla est controuersia; de Ecclesiastico litigant, nec audire possunt Iudicē proprium esse Clericorum à seculari distinctum & separatum; nempe Episcopum, cuius sit de illorum causis siue ad personas, siue ad propria, seu Ecclesiastica pertineant bona, cognoscere, & ferre sententiam. Sed, vt iam semel admonui, conuincuntur leui negotio, si de personis agitur, verbis Apostoli 1. Tim. 5. agnoscentis in Timotheo Ephesiorum Episcopo iudiciariam potestaté in presbyteros: *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Neque enim aliorum quàm Iudicum est testes audire, & accusatores. Quòd autem presbyterorum nomine Clericos, & maximè Sacerdotes intelligat, inde fit manifestum quòd Episcopi nec sunt,

Duplex esse forum iudiciale probatur.

nec à Laicis concedentur esse Iudices secularium in rebus tẽporalibus: restat ergo vt Clerici sint, quorum B. Paulus facit eos Iudices. A tempore item immemorabili, & in Conciliis sanctorum Patrum, Sacerdotes appellantur Presbyteri, sicut etiam in iure Canonico, vt c. Presbyteri de clerico ægrotante. *Presbytero, cuius duos digitos cum medietate palmæ à prædone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare.* Nemini certè hactenus in mentem venit, alterius quàm Sacerdotis esse Missam facere. Et cap. *literas* de Baptismo & eius effectu: *Literas tuas recepimus continentes, quòd cùm super excessibus presbyteri Ecclesiæ S. Brigidæ Brixiensis inquireres, confessus est, quòd cum quadam die hostiam & calicem non haberet, in pane fermentato & cypho ligneo Missarum solennia celebrare præsumpsit.* Capite item, *Cleros*, dist. 21. legimus, *Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia sacrà dant sicut Episcopi, qui licet sint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent.* In ipsa lege veteri comites & assessores proprij summorum Pontificum sine dubio erant Sacerdotes: Vndè & vocantur filij Aaron; tales autem appellat Scriptura presbyteros. *Ioacim summus Pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam cum vniuersis Sacerdotibus suis.* Taceo, quàm non decuerit iudicari & corrigi Patres à Filiis, Magistros & Doctores à discipulis, Pastores ab ouibus. Sacerdotes autem Patres sunt spirituales respectu laicorum, 1. Cor. 4. *Ego in Christo per Euangelium vos genui.* Et Gal. 4. *Filioli quos iterum*

Sacerdotes vocati Presbyteri.

Iudith. 15.

Sacerdotes patres respectu laicorũ.

rum

rum parturio. Magiſtri ſunt & Doctores, Matth. 28. *Docete omnes gentes*. Et denique paſtores, Ioan. 21. *paſce oues meas, paſce agnos meos*. & Pet. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem*. Taceo, quod ſi iudicari poſſent Clerici à Laicis, continuum adirent periculum, ne ab iis iratis ob cenſuras Eccleſiaſticas, quibus meritò ob delicta ſua fiunt obnoxij, indigniſſimè tractarentur, cuius periculi metu facilè adigerentur ad obeundum munus ſuum oſcitanter, & timidè, non ſine magno detrimento animarum, ad quod auertendum decuit diuinam prouidentiam à Laica poteſtate Clericos eximere.

Tranſeo ad ratiocinationem alteram. Clericos ſubeſſe oportet quibuſdam Iudicibus, à quibus compeſcantur, & litium ſuarum deciſionem accipiant; ſed non ſubſunt Laicis; ergo quibuſdam aliis ſui ordinis, qui nempè ſint etiam Clerici. Maior propoſitio confirmatione non indiget, cùm à nemine repudietur. Minorem probo ſumpto inductionis exordio à ſummo Pontifice. Si conſtitutus non eſt extra metas iuriſdictionis ſecularis, id fit, quia conſtitui non potuit nec à Deo, nec ab Eccleſia, nec à Principibus ipſis ſecularibus: vel ſi potuit, reipſa tamen non eſt conſtitutus. At non potuiſſe à Deo, nemo præter inſanum dixerit. Nonne Deus eſt, qui diuidit ſingulis prout vult? Sic certè honorabitur quemcumque voluerit honorare. Non potuiſſe ab Eccleſia, ſolus affirmabit, cui naturale ius totius in partes erit inexploratum.

Clericos decet ſubeſſe magiſtratibus qua ratione.

Eccleſia

Ecclesia autem totum quoddam est, & augustissimum quidem respectu omnium fidelium. Nihil denique vetat, quominus eximi potuerit à Laica potestate; esto ei aliquando subiacuisset; quia secularibus Principibus licuit, semperque licebit potestate sua rectè vti; vnus autem è rectis modis vtendi ea, est à iurisdictione sua eximere caput Ecclesię in honorem gradus, ad quem à Christo communi omnium Saluatore ac Domino assumptus est. Eccur magis liceat Patrifamilias filium suum manumittere, aut possessori fundum alienare, aut ad libertatem vocare mancipium? Nonnè Clotharius Franciæ Rex à sua exemit iurisdictione totam Iuetoti progeniem, eiusque terras & possessiones in pœnam sceleris, quo se contaminauerat occidendo supplicem illum & innocentem? Omninò, vt fusiùs dicetur §. vlt. capitis seq. Ad hæc si reipsa exemptus non est à dicta iurisdictione authoritate hac triplici, quomodò Christus reipsa præfecit illum toti Ecclesiæ, seu ouibus & agnis suis omnibus, sic eum alloquens in persona Petri primi Romani Pontificis: *Pasce oues meas, pasce agnos meos?* Ioan. 21. Neque enim præfici commodè potuit, si exemptionem illam nacturus non erat, sine qua nullo modo satis prospectū fuisset authoritati eius & muneri; (infirmior siquidem esset Laicis qui est superior, & improbæ vindictæ metu vix auderet in eos seueritate vti necessaria;) sique iam vsus esset, citò, dataque occasione experiretur illos asperrimos,

Iuetotum exemptum à regia iurisdictione, à quo & cur.

mos, nihil ab eis sua fretis potentia impetraret, sed magis rideretur: Absit, vt existimemus tam malè à Christo prospectum summo regimini; & cùm minimè sit credendum, absit vt negemus emanasse ab illo exemptionem, sine qua non satis prospexisset. Quam exemptionem si non agnoscit ratamque habet Ecclesia, quomodo sic loquitur in antiquissimo Romano Concilio sub Syluestro can. 20. *Nemo iudicabit primam sedem. Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur.* Nunquam profectò tantum ei detulisset, nisi eo tempore fuisset apud omnes exploratissimum, nihil iuris in summum Antistitem habere humanum Magistratum. Sed neque Reges & Imperatores iurium suorum tenacissimi pedibus eius dedissent osculum; nec cauissent ius in eum dicere, nisi in eam immunitatem & prærogatiuam consensissent, & diuino iure subnixam esse cognouissent: Nisi rursus puduisset eos minùs uereri eiusmodi primos ac supremos Christianorum Præsules, quàm Censores suos reueriti sunt Ethnici, ex quibus sic eis loquitur Q. Metellus apud T. Liuium Decad. 3. *Non obliti sumus Censores, vos paulò ante ab vniuerso populo Romano moribus nostris præpositos esse, & nos à vobis admoneri, non vos à nobis debere.*

Hìc fortè dicat aliquis, Abiathar quamuis summus Sacerdos Regi Dauid suberat, & à Salomone exauthoratus est, 3. Reg. 2. & in primitiua Ecclesia subiiciebantur Romani Ponti

Abiathar exauthoratus.

Pontifices Romanis Imperatoribus: Quod plus est, Imperatores quidam Christiani elegerunt Pontifices; aut de throno deturbarunt. Fieri tandem potest, vt eiusmodi Pontifices nefanda perpetrent, vel malè vtantur accepta potestate, ideóque subesse debent seculari potestati à qua coerceantur. In promptu est ad ista responsio. Regi Dauid subiectus viuebat Abiathar non vt Regi, sed vt Prophetæ, non secus atque Aaron Moysi tanquam Sacerdoti extraordinario immediatè creato à Deo. Salomon item Propheta erat, nec tam exauthorauit Abiathar potestate propria, quàm executor fuit diuinæ sententiæ, de eius exauthoratione factæ per os Samuelis 1. Reg. 2. vndè in capite illo 2. legimus: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*. Romanis Imperatoribus subiiciebant se primi illi Romani Pontifices, non de iure, seu quasi ad id obligati; sed vltrò sic ordinante Christo, quoúsque in eos Christianos factos suam exercerent potestatem, vtque interim nullam eis præberent sæuiendi ansam & calumniandi. E tam Christianis vnum fuisse vel alterum, qui ausus fuerit ingerere sese in creationem summorum eiusmodi Pontificum, nihil mirum, cùm alia nec parua, nec pauca interdum audeant iuri contraria. Non quid factum sit, sed quid fieri debuerit expendimus. Sed neque legitima est ista collectio, Elegit Titius Papam, & in throno collocauit;

uit; ergo fuit Papa superior. Eadem profectò ratione confeceris Imperatore superiores esse Electores etiam seorsim sumptos, & Episcopo Canonicos, & Rege iam electo subditos. Peccare tandem potest, & malè vti concessa sibi potestate: sed an non etiam Magistratus temporales impingere possunt ad eundem lapidem? & tamen quotusquisque illorum sustinet ab alio quopiam quoad temporalia iudicari? Postremò potest summus Pontifex submittere se quoad causas externas alterius cuiusdam opinioni, atque iudicio tanquam arbitri seu Ecclesiastici seu Laici, non tamen tanquam Iudicis exercentis in eum verã propriamque iurisdictionẽ.

Ex eo porrò quod ille exemptus sit, non ægrè conficitur eximi simul Clericos alios, cum membra sint Ordinis Clericalis, & conditionem participare debeant sui capitis. *Turpis est pars omnis*, ait S. Aug. *toti suo nõ conueniens*; cùm præterea Christus dicendo Matth. 17. *Ergo filij liberi sunt*, de solo Petro non loquatur, & Clerici omnes eo peculiariter fine instituãtur, vt in omnibus, quę ad Deum spectant, Deique cultũ præstò sint summo Põtifici, à quo proindè iudicãdi, puniendi, dirigendi, & occupandi sunt, prout ipsi videbitur, & subducẽdi fuerũt Laicę potestati; quæ aliàs vt plurimũ, faciléque iuberet eis incõpatibilia, idq; pœnis propositis, & nimis deprehenderetur verum quod scriptum est: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matth. 6.
Nam similiter videmus præfectos militum

S. Aug. l. 3. Conf. c. 8.

Præfecti militares. constitui peculiares, ac proprios ipsorum Iudices, eò quòd militia specialis professio est à communi vita ciuium valdè differens. Clerici autem digniores sunt militibus, L. nemo C. de summa Trin. & peculiares Christi milites, 1. Tim. 1. & 2. Tim. 2. In lege scripta liberos fuisse ab eadem potestate Sacerdotes & Leuitas, ex loquendi modo constat, quo Scriptura vtitur, illos esse Dei inquiens, donari & offerri Deo, separari de medio filiorum Israel, Num. 3. & 8. Asseritur in Concil. Trid. hæc ipsa exemptio, quasi constituta diuina ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus sess. 22. c. 20. de reform. eodem ferè modo, quo effectus naturales pendent à causis primis & secundis, & ieiuniorum festorúmque præcepta à Deo & Ecclesia. Agnoscit denique hoc Clericale priuilegium, ratúmque habet ius ipsum Ciuile. Nam in C. de Episc. & Cler. l. 7. ita loquitur Constantinus Magnus: *Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad Curiam deuocati sunt, absoluantur, & de cætero ad similitudinem Orientis ad Curias minimè aduocentur; sed immunitate plenissima potiantur.* Idem sancit Gratianus in C. Theodos. L. vlt. de Episc. iud. sed clarissimè omnium Fridericus Ecclesiæ ministros declarat liberos à potestate secularium, tam in criminalibus, quàm in ciuilibus. Anthent. *Statuimus*, de Ep. & Cl. Addit Carolus magn⁹ in Cap. l. 6. c. 109. *Clerici nō sæcularibus Iudicibus sed Episcopali audiētia reseruentur: fas enim nō est, vt diuini muneris ministri tēporaliū potestatū subdātur arbitria.*

Clerici exēpti à potestate sæculari.

Nihil dici clarius pro assertione hac potuit, nihil neruosius. Magnus Princeps, ideóque & Magnus Iudex erat Dux Burgundiæ coætaneus Ludouici XI. adeò tamen in hac parte religiosus, vt ab illo iussus anno 1464. ad se mittere religiosum quendam, qui Brugis publicè dixisse ferebatur Dominum de Rubempré à Rege missum in Belgium, vt interficeret Comitem de Charolois Ducis filium, responderit, *sibi non licere manus mittere in Clericum*, vt scribit Bellef. in Ludouico XI.

Quod ad eorundem Clericorum bona, libera quoque esse ab eadem potestate; nec grauari debere tributis & oneribus, nisi quantum concesserit summus Pontifex, aut postulat lex fundationum apposita ab Imperatoribus, vel fundatoribus aliis secularibus; indè probatur, quòd non possit Laica authoritas aliquid in specie circa hæc bona disponere, nisi obligando Clericos ad legis circa hoc latæ obseruationem, eò quòd bona adhærent personæ, & lex disponens de bonis non potest nisi à persona obseruari. Cùm ergo lex ciuilis in Clericorum personas ius non habeat, vt demonstrauimus; vtique nec habebit circa illorum bona. De bonis loquor Ecclesiasticis, ac propriis, quæ continentur nomine beneficiorum, & stipendia sunt mysteriorum sacrorum, quicquid sit de aliis. Item non minus Reipublicæ prosunt Clerici, quàm nobiles; imò longè amplius. Si ergo immunitate à tributis gaudent latifundia, aliaque bona nobilium propter obsequium

Eorum quoque bona.

Sed quænã.

ſequium quod præſtare profitentur patriæ belli tempore;multò vtique magis gaudebunt bona Clericorum. Item videri non poteſt Chriſtus voluiſſe,vt Sacerdotes,quos inſtituit deterioribus eſſent conditionis ſub Chriſtianis magiſtratibus, quàm erant ſub Pharaone Sacerdotes Ethnicorum: hi autem nulla pendebant tributa Pharaoni. Gen. 47.

§. 2. Iam verò cùm ex his duobus foris, vnum diſtinguatur ab altero, & diſtingui debuerit ad vitandam confuſionem, & incommoda quæ diximus, ſatis liquet non debere vnius Iudices falcem ſuam mittere in meſſem alterius. Non Eccleſiaſticos iudicare cauſas ciuiles, aut criminales Laicorum, ſi inter ſe litigent, aut in ius vocentur à Clericis: nec contra Laicos cauſas clericorum; nec fingere, aut prætexere rationes, quibus videantur iure id facere;verbi gratia dicere:non caſtigantur à ſuis;ergo ipſi caſtigabimus:quia nec ipſi ſuſtinerent idem dici, & prætendi à Clericis de Laicis;nec à Iudice regni vnius de regnicolis alterius. Nec allegare,priuilegium ſibi eſſe iudicandi eos,& puniendi; quia ſecundum iura non præſumitur,quod non probatur,idemque eſt iudicium de iis quæ non ſunt, & quæ non apparent. Sanè cùm reuocatum ſit in Bulla cœnæ, vel probari debet ex peculiari conceſſione,vel ex legitima conſuetudine adhuc vigente. Non denique addere, Magiſtratui meo gratum faciam, ſi illos etiam tribunali, ac poteſtati meæ ſubiecero: quia de eo ſentiret malè,

Iudices Eccleſiaſtici & ſeculares.

L.iu lege ff. de contrah. empt.

lè,quasi voléte matris suæ spiritualis iura violare. Petrus de Cogneto aduocatus regius, idemque eloquentia præstans disseruit Parisiis coram Rege Philippo Valesio gratificari ei cupiens, & quicquid potuit, in medium attulit, ad subruendam immunitatem omnem Clericorum in temporalibus,quasi fisco damnosam. Sed Bertrandus Augustodunensis Episcopus posteà Cardinalis, & fundator Augustodunensis Collegij, eodem iubente Rege in consessu publico tam valdè illius retudit argumenta;vtRex qui aliàs vacillare initio videbatur, concluserit, nihil à se mutari velle circa recepta eousque, & vsu confirmata iura Ecclesiastica: sed id ipsum flagitare à Prælatis, vt Clericos suos corrigant vitiis diffluentes. Ipse autem Petrus in magna confusione peregit vitæ reliquum.

Petrus de Cogneto in Clericos acerrimus.

Bertrandi ad eum responsio.

Bellef. in Philippo.

Hæc tamen non obstant, quominùs Clericus, si actoris partes suscipiat aduersus Laicum,possit coram seculari Iudice contendere, & eiusmodi Iudex de causa cognoscere : quia iuxta iuris regulam,*actor sequi tenetur forum rei.* Quin secundò possit hic idem Iudex Clericum iudicare, vel etiam morte punire in causa criminali, si ad id potestatem ab Apostolica sede acceperit, vt contingere solet in Clericorum degradationibus c. degradatio de pœnis in 6. Quin tertiò possit à fortiori degradatum mittere in carcerem, & non degradatum ; sed tamen incorrigibilem ; atque ob id depositum excommunicatumque,

Iudex laicus quibus ex causis possit clericū coercere.

nec sese emendantem capere, & digna pœna punire absque alia traditione, c. *cum non ab homine*, de Iudic. Item de mandato Prælati proprij Clericum, qui excessum aliquem commiserit, & cohiberi aliter non possit, capere & detinere, idque vi adhibita quantum in hunc finem fuerit necessaria, c. si Clericus de Excom. in 6. Item capere & detinere Clericum, qui nequiter aufugeret, animo sistendi eum Prælato suo, aut qui fureret nociturus aliis nisi comprehenderetur, aut qui percutiendus esset ab hostibus suis, nisi retraheretur, vt tradit Panorm. in d. cap. *cum non ab homine.*

Principis officium, ius dicere vnicuique.

§. 3. Equidem ad Principem valdè pertinet vnicuique ius administrare, & munus obire Iudicis, quando commodè potest. Neque enim alium magis ob finem voluerunt populi præficere sibi aliquem; ideoque dicunt 1. Reg. 8. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes:* & sæpè in sacris paginis iudicare pro regnare ponitur, vel è contra. Vt Iudic. 10. Surrexit Dux in Israël Thola, & iudicauit Ierusalem. Liber ipse Iudicum indè solùm pręfert hunc titulum, quòd Principes populi, quorum in eo gesta narrantur, ius dicerent. Et Salomon Rex orat. 3. Reg. 3. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Tergiuersans Philippus Macedo, & differens causam audire cuiusdam anus, quòd otium sibi ad id negaret esse, ab irata audiuit, *proindè ne Rex quidem esse velis.* Sed quia sæpenumerò non

non ei vacat intento causis publicis ad eiusmodi priuatorum causas attendere, quid à subalternis ei Iudicibus requirat Prudentia insinuandum hîc videtur, ne mancus sit tractatus & imperfectus.

Ipsorum primò est certò nosse, quousque sese exporrigat accepta iurisdictio, hoc est, quasnam personas & causas iudicare possint, quas non possint: de quo argumento dixi iam multa satis §. 1. & 2. & lib. 1. §. 3. Secundò, non discedere à iuris ordine postulante inter cætera, ne prius damnetur reus, quàm citetur, l. *cum hi*. ff. de Transactionibus, & iustum habeat spatiũ ad obiecta respódendi, vt ex mutuo allegatorum conflictu quid definiendum sit, appareat. Supremi Iudicis, seu Principis aliam rationem esse tradunt Couar. lib. 1. var. resol. c. 1. n. 7. & Sylu. V. Homicidium 1. q. 2. Potest, inquiunt, in necessitate & ex causa grauissima ordinem hunc prætermittere, quando scilicet futurum est, ne alias puniri reus possit, vt puta quia potentissimus est. Tunc nec citatione opus erit, nec accusatione, aut consueta alia iuris formula; sed poterit summus ille Magistratus, eum pœnæ subijcere, cuius certò sciet esse dignissimum; quia tenetur ius administrare, punire malos, atque ab illorum vi tutos seruare innocentes meliore modo, quo potest. Quando itaque alio vti nequibit, isto poterit, hæc illi. Nec Ciceronem hoc latuit, nec Vlpianum Iurisconsultum; ex quibus ille in Orat. pro Milo-

Iudicum subalternorũ officia.

Iudex supremus non tenetur stare ordini iuridico.

ne. *Silent leges inter arma, nec se expectari iubent, cùm ei qui expectare velit, antè iniusta pœna subeunda est, quam iusta repetenda.* Hic verò in l. si quis filio ff. de iniusto rupto. *Nisi fortè latro manifestus sit, vel seditio prærupta factioque cruenta; vel alia iusta causa, quàm mox præses literis excusauerit, moram non recipiat. Non pœnæ festinatione, sed periculi præueniendi causa. Tunc enim punire permittitur, deinde scribere.* Quibus postremis verbis rectè admonet, quod vt Iudex ordinem prætermittens omnem iniustitiæ suspicionem à se amoliatur, vtque populi offensioni, ac scandalo eatur obuiam; videtur, quod non priùs ad pœnam illam occultè de reo sumendam debeat sese accingere, quàm certus sit de perpetrato scelere, & testes in promptu habeat omni exceptione maiores, quos sumpto supplicio adducat in medium, palámque faciat, cur & quomodò coactus fuerit consuetum iuris ordinem prætermittere: alias nec conscientiæ suæ, nec famæ satis consuleret; sed videretur non paucis, pœna affecisse innocentem, quod absit, vt de ipso quispiam suspicetur communi patre & tutore omnium. Nisi fortè crimen esset turpissimum, quod euulgari non expediret, & Princeps sanctè iuraret se reum in eo deprehendisse, tunc sufficere fortè posset magna hęc eius assertio, cuius exemplum affert Ioan. Bodinus in methodo hist. loquens de Henrico II. Francorum Rege cap. 6. Item iudicium, si crimen non modò certum sit, sed etiam manifestum, ita vt celari nulla tergiuersatione possit. Tunc multò mi-

nus requiritur ordo eiusmodi, esto Iudex sit inferior, vt scribit S. Ambr. in c. 5. epist 1. ad Cor. rationem reddens, cur B. Paulus ad iudicium, & correptionem incestuosi mox processerit: *Cognito opere isto pellendum illum fuisse de coitu fraternitatis Apostolus censuit; omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant. Publicè nouercam suam vxoris loco habebat, in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen.* Tertiò iudicare secundum allegata & probata, l. illicitas §. veritas. ff. de offi. præsid. c. Sacerdos de offic. ordin. D. Th. 2.2. q. 64. Nec refert, quòd fortè culpa vacet, qui condemnatur; scriptum autem sit Exod. 23. *iustum & innocentem non occides*, quia qualiscumque sit à parte rei, talis est in iudicio, & prudenter esse præsumitur, qualis probatur: aliàs posset quicumque Iudex pro sua libidine prætendere reum etiam conuictum esse innocentem. Verba autem illa Exodi intelligenda sunt de eo, qui manifestè est innocens; qualis certè non potest probari nocens, ne verisimiliter quidē. Nec obstat, quòd Rex Salomō innocentē paruulū, de quo altercabantur inter se duæ meretrices, interfici iusserit, & in partes duas secari. Non enim id iussit efficaciter, sed tentare studuit muliercularum animos, vt solidam matris verę coniecturam ex mandato illo terribili, eliceret, quod & fecit. Interim si scientia priuata certò sciret Iudex reū esse innocentē, peculiari studio incūbere deberet in examinanda testimonia falsitatis detegendæ

Salomonis iudicium de meretricibus, quomodo intelligendum.

graria, & causam remittere ad superiorem iudicem, si hoc commodè, vtiliter, honesteque fieri posse videatur, ac sententiam differre quantum poterit. Quartò non habere acceptionem; sed tam diuites quam pauperes, tam domesticos quàm extraneos, quando ita ius postulat, condemnare. Leuit. 19. *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Exod. 23. *Pauperis non misereberis in iudicio.* Deut. 1. *Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Interim non prohibetur, imò singulariter attendere ad ea debet, quæ faciunt pro pupillis & viduis, quia præsumptio quædam iuris est pro illis, alias cur aduersum eos potius lis intentatur, quàm aduersum parétes & maritos nondum vita functos? Quintò iudicare secundùm

S. Ambr. in Psalm. 118.

leges, non ex sensu proprio. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio facit, sed iuxta leges & iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nihil paratum & meditatum domo defert; sed sicut audit, ita iudicat, & sicut se habet negotij natura, decernit, obsequitur legibus, non aduersatur, examinat merita causæ, non mutat.* Sextò, ad parentum & amicorum iniqua postulata obsurdescere Agidis exemplo Lacedæmoniorum Regis, cuius nobile apophthegma ad genitores suos lubet subijcere. *Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam iustitiæ scientiam.*

Agidis egregium dictũ.

Plut. in Apoph. Lacõ.

Verum

Verum vbi me patriæ tradidistis & legibus, insuper iustitiam & honesta docuistis, conabor huic magis obtemperare quàm vobis. Et quandoquidem hæc est vestra voluntas, vt quæ sunt optima faciam; optima verò sunt, quæ iusta sunt, cùm homini priuato, tum præcipuè principatum gerenti, quæ vultis faciam, quæ dicitis negabo. Septimò, nullo pretio à iudicij æquitate discedere, ne si discedat, constuprator sit iustitiæ, quæ ideò quasi virgo celebratur, quod Iudicem incorruptum esse oporteat. Octauo, seruare virilem constantiam, ne se in affectus deduci patiatur eloquentia patronorum. Nam, vt rectè notat Quintilianus l.6.Inst.c.2. *Cum irasci, odisse, misereri cœperint, agi iam rem suam existimant, & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ veritatis rationem Iudex amittit occupatus affectibus, æstu fertur, & veluti rapido flumini obsequitur.* Affine est, vt non terreatur multitudine & specie probationum, quia vt scribit idem author: *Non infrequenter etiam optimæ causæ similes sunt malis, & innocens reus multis verisimilibus premitur.* Nonò deponere, & obliuioni tradere priuata odia olim contracta, vt syncere ius dicere possit, & tractare negotia publica. Sic laudantur Aristides & Themistocles, quòd quoties siue Legati, siue Imperatores publicitùs vnà mitterentur, priuatas simultates facilè deprauaturas rectum de rebus iudicium, in finibus agri Atheniensis deponerent, resumpturi, si ita videretur, in reditu. Decimò, suspectas habere

Quintil. l. 12.c.1.

Aristides & Themistocles in quantum odia deponerent.

Fœminarũ accusationes non facilè admittendæ. accusationes fœminarum in materia luxuriæ teste carentium. Rabida est illarum vindicandi se cupiditas, pecuniis velut vecte fortissimo impelluntur ad struendam cuiuis calumniam, citò mentiuntur se vim passas ab his & illis. sic calumniam sustinuit in hoc genere Ioseph ab hera sua prolectatus, stuprúmque recusans, & S. Athanasius, S. Greg. Taumaturgus, S. Brixius, & apud Ethnicos Hypolitus accusatus apud Theseum à Phædra vxore eius, qui Theseus eum discerpi iussit. Vndecimò, abstinere à præcipiti sententia capitis. Sanctus est zelus iustitiæ, sed discretus. Romanis Iudicibus secures & virgas præferebant Lictores, sed vinctas; vt ritu illo significaretur, haud facilè in quenquam expediendas. Non stando, currendo, vel ambulando ius dicit Iudex, sed sedendo; vt intelligat magna cum mentis quiete iudicandum. Idem vices agit Dei, de quo Sap. 12. *Tu autem cum tranquillitate iudicas.* Præcipuè autem cunctatione vtendum, si grauis occurrit cunctandi occasio. Scio præfectum quendam equitum, cuius erat latrones insectari, comprehendisse aliquot in sylua propè Aurelias, & statim iussisse omnes in crucem agi. Tum ex illis vnus sic eum est affatus: Domine, scitote ciuem me esse Aurelianensem, familiæ meæ omnium ferè ditissimæ hæredem, columen domus, & toti ciuitati charissimum, nihil minus profitentem quàm latrocinium, sed heu! cùm antè duas horas inde discessis

Iudex sedẽdo ius dicit.

discessissem villæ cuiusdam nostræ contemplandæ gratia, incidi miser in hos prædones mihi insidiantes, necemque intentantes, nisi eos sequerer. Quod quàm inuitus fecerim vos ipsi cogitate. Obsecro itaque ne præcipitetis in me sententiam, retinete me, Aurelias mittite qui exploret num ita sit. Si deprehensus fuero vobis illusisse, nullum recuso mortis acerbæ genus, tantùm explorate quod dico, & persuasum habetote, si me priùs occideritis, actum iri vobiscum pessimè. Quid ille ad hæc? Contempsit iustissimas preces supplicis, lachrymantis, suspirantis, omni commiseratione dignissimi, præcepitque vt ex arbore penderet cum sociis. Quod vbi rescitum est Aureliis, abominationi fuit omnibus, Rexque ipse de tam iniqua præcipitatione factus certior, confestim remouit eum ab officio. Duodecimò, acquiescere constituto sibi stipendio, nec vlla admittere munera, seu ante prolatam sententiam, siquidem *excæcant prudentes, & subuertunt corda iustorum*; seu post, quantumcumque gratis offerri videantur ab eo, qui euasit in causa superior.; tum quia cum admittuntur facilè, præsumunt homines ad ea collimasse Iudicem; tum quia prohibentur admitti, & offerri solent velut in remunerationem accepti beneficij; cùm tamen non sit beneficium, quandoquidem tenebatur Iudex facere quod fecit: *in necessitate autem nemo existit liberalis*, l. rem legatam, ff. de adim. leg. Adde, quòd his muneribus

Præceps & iniquum iudicium.

Nulla Iudici admittẽda munera. Exod. 23.

præpa

præparatur Iudex ad fauendum datori in causis aliis. Sanè cùm habeat pro immediato scopo bonum vtriusque partis secundum iustitiā; expedit planè, vt nihil ab illis accipiat, ne inclinet ad fauendum alterutri contra eandem iustitiam, vt docet D. Th. 2.2.q.71.art.4. & in hoc differt ab Aduocato vni addicto parti, à qua proindè potest stipendium accipere,(quod totum intelligo cum Molina, tom. 1. de Iust. disp. 84. sub finem, vbi non est præscripta cõsuetudo, vt Iudicibus liceat præter taxatum stipendium Sportulas accipere, hoc est, oblata sibi à litigantibus munera. Nam si sit, non videntur facilè damnandi admittendo ea, cum fortè permittat id Princeps, quia scit constitutum iis non esse sufficiens salarium.) Ex his sequitur, teneri Iudicem ad restitutionem pecuniæ, quam accepit; vt iustam ferret sententiam; vel vt non ferret iniustam. Nam cùm ex officio teneatur gratis & benè iudicare, turpiter accepit. 14.q.5. c. non sanè. Sylu. V. Iudex 1.n.17. Val. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. restituetur autem illi ipsi qui dedit, vt qui coactus dederit, nec sine iniuria obligante ad restitutionem, vt docet Lessius l. 2. c. 14. dubit. 8. Quod si pecuniam acceperit vt malè iudicaret, tenebitur in foro interno restituere illam, non danti, tum quia nullam ei fecit iniuriam accipiendo, tum quia hunc sceleratum datorem & iustitiæ corruptorem puniri potius iura volunt, quàm ei concedi pecuniæ repetitionem; sed pauperibus. Tenebitur, inquam, restituere;

Iudex tenetur ad restitutionem.

restituere; quia eiusmodi pacta improba ipso iure sunt irrita, ob idque ius nullum verum acquirit Iudex in talem pecuniam. Decimotertiò vitæ esse integerrimæ, quia turpe & indignum censent omnes reum ab illo condemnari, qui iisdem vel grauioribus culpis implicatur. Vnde Christus Matth. 7. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo.* Et Ioan. 18. *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Et Rom. 2. *Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Scribit in eandem sententiam de Poëtis vnus: *Integritas vitæ in Iudice.*

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes, Iuuen. Sat. 1.
Quis cælum terræ non misceat, & mare cœlo,
Si fur displiceat Verri, si homicida Miloni,
Clodius accuset mœchos Catilina Cethegum?

Simili argumento vtens S. Basilius in Laicos inuehitur, qui cùm sæpissimè committant cõplura peccata, quæ non nisi rarò fieri vident à religiosis, ad illa sua non attendunt; sed ad ista tantùm, & miseros regulares omni pœna dignos esse clamare non desistunt. *S. Basilius in Const. cap. 6.* Decimoquartò, nimias quasque moras amputare, nec pati abire lites in infinitum. Inter alia procrastinationis detrimenta, facultates exhauriuntur iustè litigantium, refrigescit lapsu dierum tam in Iudice, quàm in Assessoribus & accusatoribus zelus iustitiæ, in inuidia sunt crimina recenti accusatione, & ad vindictam animad

animaduersionemque Iudicum animos solent impellere, languent contrà comperendinata re forensi artificio, frigere incipit ipsorummet accusatorum ira iustissima, exarescunt lacrymæ senatorum, qui priùs orborum & viduarum calamitate ingemiscere videbantur, tandémque vel non fertur in reos sententia, vel lata non datur executioni, vel multum eius rigori detrahitur. Ab his perniciosis procrastinationibus tam procul aberat Traianus, si Plinio iuniori credimus in Panegyrico, tam in tribunali assiduus, vt labore refici ac recreari videretur. Decimoquintò, reum nullum torquere, nisi præuia semiplena probatione aut infamia, & ne his quidem substantibus immaniter adeò in eum sæuire, vt reddatur inutilis, vel exponatur admodum graui mortis periculo; quandoquidem introducta tortura non est ad puniendum, sed ad veritatem duntaxat moderatè ab inuitis extorquendam. Affine est ad eliciendam confessionem nec mentiri, nec quicquam falsò promittere, puta impunitatem, nec dicere iam esse denunciatos ab iis quibus non sunt. Sinceritate delectatur Iustitia, non dolis & fraudibus. Abstinere item ab illicitis quibusque probationibus, cuiusmodi sunt aquæ calidæ non lædentis iniectam manum, aut frigidæ in quam præcipitatæ veneficæ si non merguntur, tales omnino creduntur esse, vt pote à Dæmone sustentatæ, non autem si mergantur. Nam, vt fusè docet Mart. Delrio lib. 4. disquis. q. 4. sect. 4.

Iustitia sinceritate delectatur.

4. vſque ad libri finem, hæ omnes & eiuſmodi aliæ veri diſquiſitiones contrariȩ ſunt ſacris canonibus, & meræ Dei tentationes meritò iudicantur, cùm in iis à Deo petantur miracula abſque vlla ſufficienti neceſſitate, & argumenta in oppoſitum nihil omninò cõcludant. Poſtremò, accurare; ne aut conſolatio ſpiritualis, aut ſacramentalis confeſſio deſit afficiendis extremo ſupplicio, niſi vrgeat neceſſitas, nec niſi his prætermiſſis impleri poſſit iuſtitia: tunc ſufficiet aliquod iis tempus concedere ad eliciendam admiſſorum ſcelerum contritionem.

Spiritualis conſolatio non debet deeſſe afficiendis ſupplicio.

§. 4. Circa executionem ſententiæ iudiciariæ, intereſt per omnem modum, ne facilè aut ſuſpẽdatur, aut prorſus impediatur conceſſione vitæ; ſed aduerſus reos capitis procedatur ſecundùm iura, quandiu in oppoſitum nulla interuenit cauſa grauiſſima, qualis, verbi gratia, fuit interceſſio illa totius populi apud Regem Saul pro ſalute Ionathæ, niſi potius comminatio dicenda videatur ſeditioni proxima, quàm ſupplex interceſſio, ſic enim loquutus eſt populus: *Ergone Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? Hoc nefas eſt, viuit Dominus. Si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus eſt hodie.* Qualis ſimiliter eſſe poſſet inſolita quædam hominis rei pœnitentia, ſeu dolor admiſſi ſceleris, non tam propter inſtans ſupplicium, quo ſe fatetur digniſſimum, quàm ob delicti turpitudinem, & offenſam Dei, aut Principis.

1. Reg. 14.

Cuius

Cuius tanti doloris arguméta esse possunt ingentes lachrymæ, sudor sanguineus, &c. Talibus semel ignoscere fortè expediret, esséque Deum imitari, dicentem: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*; & Troianos, quorum verba fuere:

Virg. lib. 2. Aen.

His lachrymis vitam damus, & miserescimus vltrò.

Bellef. in Clothario. *Iuetotus quàm iniustè occisus à Clotario.*

Carè constitit Clotario Francorum Regi Clodouei filio in simili causa veniam negasse Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat Læsæ maiestatis, cùm verè esset innocens, tantúmque per calumniam ab eius gratia excidisset: Ex eo verò tempore toto decennio contra Saracenos in Africa fortissimè dimicasset. Quo exacto Romam se contulit, impetratisque ab Apostolica sede commendatitiis literis in Galliam rediit, Regem sibi infensum, & in templo apud Successiones versantem eo die, quo Christus in cruce pendens veniam impertiuit suis crucifixoribus, adiit, supplexque obtulit summi Pontificis literas, obtestatusque est, vt communis illius redemptoris ergo in suæ maiestatis gratiam reciperetur. Nemo non sperabat fore, vt venia donatus recederet, sed fefellit Rex expectationem vniuersorum; educto pugione tempore & loco sacro mox supplicem interemit, qua immanitate incurrit in odium quamplurimorum, ab Apostolica sede percussus anathemate, à quo non est antè liberatus, quàm totam Iuetoti familiam libertate donauit, & declarauit

Bellef. in Clothario.

& declarauit nullo vnquam tempore obnoxiā fore regiæ poteſtati, niſi fortè exemptionem illam ſuam venderet.

Hæc de ſupremo Iudice, ſeu magiſtratu ſunt accipienda, quia in eum ſolùm cadit poteſtas eripiendi à morte reos damnatos capitis; & cautè quidem, vt dictum eſt, ſubſtante cauſa grauiſſima, quæ ſi deſit, iram Dei accerſet intempeſtiua hæc indulgẽtia dicturi ſine dubio: *Quia dimiſiſti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Quòd ad inferiores, multò magis debent rigori legis inſiſtere, & in executionem incumbere latæ ſententiæ, nihil addendo de ſuo, nec detrahendo, vbi determinatur in iure pœna, nec relinquitur eorum iudicio. Imò etiam cùm relinquitur, & lata eſt, ſerium poſtulat executorem: aliàs inanis erit, & ridebitur totus ille apparatus forenſis ſtrepitus ſiue iudicij, cuius vtilitatem, atque efficaciam ſola oſtendit executio. Digni præ cæteris ſunt, qui hunc rigorem ſentiant, ſuperbi omnes maieſtatis cõtemptores, malefici, ſortilegi, publicæ pacis perturbatores, & denique peccantes ex deſtinata malitia. Superbos non tulit in cœlo Deus; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos vnà cum Lucifero attollente ſeſe & dicente: *In cœlum aſcendam*, &c. Minimè item ferendos indicauit, qui ſcriptum reliquit:

1.Reg 21.

Quinam intempeſtiuo iudicio puniendi.

Iſac. 14.

Tu regere imperio populos Romane memento, Virg. lib. 6.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Inductis in arenam simiis, ceruis, leporibus & brutis aliis natura infirmis ac meticulosis, non mouebatur canis ille generosus, quem misit Rex Albanus ad Alexandrum; obiectis verò Leone, Elephanto, & superbis aliis ferre non valens illorum fastum, colligebat sese, tantóque impetu in ea insurgebat, vt etiam conficeret. De maleficis scriptum est: *Maleficos non patieris viuere.* Idem dicendum multò magis de sortilegis, qua voce eos hîc intelligo, qui ad sciendum aliquid, diuinandum, efficiendum, vel obtinendum ad Dæmonem se conuertunt, ei se tradunt eiurato Christo, illius vtuntur opera, quæ omnia tam sunt in se grauia, vt vix abominationis huius notam possit effugere, qui eam negligit, cum debet ac potest vindicare. De publicæ pacis perturbatoribus, nota sunt verba Iosue ad Achan, qui sacrilegio suo iram Dei accersiuerat in castra Isral: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Sequitur autem: *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Restant, qui peccant instigante potiùs malitia, quàm mentis, aut carnis infirmitate, ob id digni sunt iudicio Dionysij Syracusani, qui iudicem experiantur in omnibus seueriorem. Is cùm audiuisset adolescentes duos inter potandũ sibi fuisse turpissimè conuinciatos, vtrũque vocauit ad cœnã, eique pepercit quẽ deprehendit post compotationẽ multa garrire alterũ autẽ rarò & cautè bibentem

Exod. 22.

Pacis publicæ perturbatores.

Iosue 7.

Plut. in Apopht. *Dionysius Syracusanus in conuitiatores.*

tem iussit occidi quasi consultò maledicum.

Faciam parágrapho huic finem, si dixero, specialiter à zelo iustitię laudari Iudicē, quando nō indulget affinibus suis, sed in reos & conuictos grauium scelerum constanter fert sententiā, & pœnam decernit, quam iura exigunt delictíque atrocitas, & decretā exequitur. Excelluit multorum iudicio in hoc genere Zaleucus Locrensium Legislator; nam lege lata vt vtróque orbarentur oculo in adulterio deprehensi, filio suo huius conuicto flagitij inferri iussit geminam hanc orbitatem; reclamante autem populo vniuerso pœnam mitigauit, vnicū ei iussit erui; sed ita vt eius loco ipse vno se suo priuauerit, vt sic integrè legi satisfecisse videretur. Nihil certè necesse erat vtroque eum destituere, cùm in gratiam populi totius aliquid fuerit de legis rigore remittendū. Sed neque legi satisfecit, nec rationi. Nō legi, quia nihil tale postulabat. Non rationi, tū quia non videtur rationabile pro amico mori, si is reus sit, scelerosus, & damnatus capitis; tum quia amici causa non licet iniuriam inferre Reipublicæ, vt intulisse videtur Zaleucus Rex, ita se deturpando ac mutilando, cùm intersit Reipublicæ Principem habere nullo captum, sed membris omnibus integrum. Potiùs itaque excelluisse dicamus colonum illum, qui sub Artaxerxe Persarum Rege septem nactus filios, diuque expertus minimum natu planè intractabilem, & continuas sibi creantem molestias;

Valer. lib. 5. cap. 6. *Zaleuci zelus seruanda legis.*

Coloni seueritas in filium.

tandem ira percitus comprehendit illum, & reuinctis in tergum manibus adduxit ad regē, postulans vt neci traderetur. Tum Rex; *Potesne etiam ferre, vt filius in conspectu tuo vita priuetur? Omninò,* inquit, *quia in horto etiam cùm nascentium lactucarum surculos amaros defringo & amputo; tantùm abest, vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, vt magis etiam efflorescat. Sic cùm videro eum qui meam familiam lædit, & vitæ fratrum officit, vitam amittere, habebunt rectè nostra omnia.* Hominem his auditis impensè laudauit Rex, & in Collegiū regiorum Iudicum cooptauit, dicens: *Qui tam iustè & seuerè sententiam de propriis liberis audet pronunciare, omninò etiam in caussis alienis egregium se Iudicem præstabit.* Addo, si multos contingat teneri reos eiusdem criminis, in more esse supremo Magistraui considerare, vtrum hi deliquerint vno vel pluribus adhortatoribus, atque in eo casu sat habere ad necē vocare seditionis, vel alterius eiusmodi mali authores, vt Romæ obseruatū testatur his verbis T. Liuius: *Certabatur, vtrùm in authores tantum seditionis 35. animaduerteretur, an plurium supplicio vindicanda magis defectio esset quàm seditio. Vicit sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret, ad multitudinis castigationem satis esse.* Idem confirmat Cicero in orat. pro Cluentio: *Pœna debita multis simul peccantibus, ab aliquibus tantum luitur: & ita veteres Romani statuerunt, vt si à multitudine esset rei militaris flagitium admissum, sortitione quadam in aliquos duntaxat*

Herodotus.

duntaxat animaduerteretur, vt metus ad omnes, ad paucos pœna perueniret, essetque instar fulminis: fulmina quippè paucorum periculo cadunt, omniũ metu.

De Legislatorum Prudentia in ferendis legibus.

CAPVT VII.

§. 1. *Antecessorum Leges non facilè antiquandæ.*
2. *Quæ præcipuè leges ferendæ.*
3. *Qualis quantáque soleat esse legum obligatio.*
4. *Circa leges pœnales quid rectè obseruetur.*
5. *Quousque obseruari ab authore suo leges debent.*
6. *Quantoperè connitendum vt à subditis leges obseruentur.*
7. *Possintne iure extendi leges ad hæredes præuaricantium.*

§. 1. ELEGANTER Plato l. 1. de legib. *Necessaria est homini cõmunitas, quia non potest solus viuere. Necessaria cõmunitati lex, quia sine lege periret ob iuris ignorantiam. Necessaria legi diuina authoritas, à qua proficiscatur & commendetur. Ad obtinendam verò hanc authoritatem necessaria est legislatori probitas.* Libro autem 8. de Rep. Peius affirmat esse in legibus

Homini necessaria cõmunitas; cõmunitati lex &c.

legibus constituendis errare, quàm hominem occidere; quia eiusmodi error multos per multa secula interficit animos simul & corpora. His præmissis de bonarum necessitate legum, caput aggredior, in cuius limine, nihil dicere attinet quid sit lex; nec quòd abusiuè lex dicatur, quando iusta non est. Non esse autem, si vel non respiciat bonum commune, vel non feratur ab eo, qui habet ferendi potestatem, iisque præest quibus seruanda proponitur. (Rectè enim Baldus in l. omnes populi ff.de Iust. & iure. *Quantum iurisdictionis quis habet, tantum authoritatis condendi legẽ vel statutũ*) vel onera nó imponit per proportionem virium seu facultatum: vel denique iniusta proponit & iuri contraria. Supponuntur ista potius, de quibus latè Sylu. V.lex.q.4.& alij. Praxim hîc quærimus, materiámque Prudentiæ. Quod circa ædificia, idem ferè circa leges accidere viris potentibus, & legum conditoribus solet. Displicent illis passim exstructæ ab antecessoribus fabricæ, nouas meditantur. Facilis error & Reipublicæ haud multum perniciosus: At leges bonas prìus cõditas eleuare, vt locus sit propriis surrogatis, res est quæ incómoda post se relinquit nec pauca nec parua. Non modò bonũ supprimitur, quod ex illis manabat, dũ obseruarentur; sed mutationi præterea assuescunt subditi, nouitatis studium inducitur, & quasi conuulsa arbor disponitur ad ruinam Respublica, quæ aliàs staret.

Legum mutatio quàm perniciosa Reip.

Moribus antiquis stat res Romana virisque. Et 2. Machab. 3. legimus tunc beatam fuisse ciuitatem Hierusalem, *cùm adhuc leges optimè custodirentur.* Nihil dico de iniuria, quæ fieri videtur prisco legis authori, & populo eius coætanæo, à quo recepta fuit & approbata. Addere sufficit, doceri subditos, quomodò similiter possint surrogatam contemnere. Quocirca S. Greg. lib. 12. epist. 31. ait: *Iustitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui voluntatem & statuta custodiat.* Et alibi: *Quod verè dicit nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita, atque custodita sunt, absit à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia iniuriam mihi facio, si fratrum meorum iura perturbo.* Ac rursus: *Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed destructor esse iure cõprobarer, testante veritatis voce, quæ ait; Omne regnum in seipsum diuisum, non stabit.* Ludouicus XI. Galliæ Rex initio regni sui leges ferè omnes Caroli VII. patris sui studuit abolere, (illum enim oderat, nec post secundam ab eo defectionem adduci potuit vocatus, vt rediret Lutetiam, & in aula versaretur) verùm abstinuit dissuadentibus Regni proceribus, pessimíque id exempli esse contendentibus. Apud populum quendam Thurios vocant, cautum olim scribit Diod. Siculus lib. 12. Biblioth. ne quis in concionem prodiret legis alicuius extinguendæ causa, nisi

Lib. 12. epist. 31.

Bellef. in Lud. XI.

Ludouici XI. odium in patrem.

Thuriorum lex & Locrensium.

nisi collo reste circumdato; vt si in mutationem non consentirent comitia, mox strangularetur. Hanc eandem legem fuisse Locrensium sub Zalenco Legislatore scribit Hierocles in serm. quales in patriam esse debeamus. Et Agesilaus suggerenti patri, vt in causa quadam præter leges pronuntiaret: *Imò*, inquit, *abs te pater à pueritia didici parere legibus. Quamobrem nunc quoque tibi obtempero, cauens ne quid faciam præter legem.* Nec tamen idcirco abnuo licere nonnunquam, imò etiam expedire, latam olim legem expungere, quandoquidem leges feruntur tempori, hominúmque moribus conuenientes, quæ omnia mutationi obnoxia sunt. Etiam Romana Ecclesia statuta quandóque mutat sua iuxta temporis exigentiam, 25. q. vltima, c. posteaquam §. his ita. Exemplum, habebant initio Christiani bona communia; at conditio ætatum sequentium non tulit hanc communionem. Huc referamus magni illius Assueri rescriptum: *Nec putare debetis si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.* Hoc solùm contendo, ad mutationem nunquam nisi magno adhibito iudicio, & necessitate vrgente prosiliendum. Si lex antecessoris diuinam aliquam confirmet, aut naturalem, vix vnquam reuocanda erit, ne videatur diuina simul & naturalis aboleri; cùm tamen non debeat, nisi fortè sit ius diuinum iudiciale Israelitici populi dirigendi

Plut. lib. de Verecundia

Statuta mutanda quandoque.

Esther. 16.

gendi proprium. Hoc enim mutari nihil vetat. Vndè cùm olim duo tresue testes ad testamentum sufficerent, Deut. 17. nunc plures desiderantur. Contrà, si lege aliqua non adeò necessaria abuti populus incipiat, occasionem indè arripiens faciendi aliquid menti Legislatoris valdè contrarium, & eliminari posse abusus non videatur, nisi per legis extinctionem; meritò extinguetur, sicut contritus est serpens æneus, quem erigi Deus quidé iusserat; sed quo tempore nondum insanus populus diuinos ei honores deferebat. Similiter si ex lege deprehendatur posteriùs incommoda sequi grauia, supprimendam docet Arist. 2. Polit. 6. Idem iudicium, si valdè mutatus sit rerum status, cuius intuitu aliquid fuerat institutum. Sic prudentes nautæ mutatis ventis paulò aliter sua inflectunt nauigia: & medici affectu mutato ægrotantium recedunt à præscriptis antecedentibus. Eidem tenori non semper insistendum, sed spectanda esse tempora expertus est magno suo damno Cicero, qui inflatus prosperis successibus cõiurationis Catilinariæ, posteà sibi promittens similes, lacessebat Antonium, quasi eadem oppressurus illum esset facilitate, qua Catilinam; cùm interim longè aliter res haberet sub Antonio, cui proindè non ita insultandum fuit, sicut in Philippicis. Censuit Themistocles cingendas Athenas validis arcibus, quò tutiores essent ab hostium incursibus. Post aliquot annos veritus Theramenes, ne

Imò & eliminanda.

Cicero sibi parum prudens.

Cuius tanti doloris argumēta esse possunt ingentes lachrymæ, sudor sanguineus, &c. Talibus semel ignoscere fortè expediret, essétque Deum imitari, dicentem: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*; & Troianos, quorum verba fuere:

Virg. lib. 2. Aen.

His lachrymis vitam damus, & miserescimus vltrò.

Bellef in Clothario. *Iuetotus quàm iniustè occisus à Clotario.*

Carè constitit Clotario Francorum Regi Clodouei filio in simili causa veniam negasse Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat Læsæ maiestatis, cùm verè esset innocens, tantúmque per caluminam ab eius gratia excidisset: Ex eo verò tempore toto decennio contra Saracenos in Africa fortissimè dimicasset. Quo exacto Romam se contulit, impetratisque ab Apostolica sede commendaritiis literis in Galliam rediit, Regem sibi infensum, & in templo apud Successiones versantem eo die, quo Christus in cruce pendens veniam impertiuit suis crucifixoribus, adiit, supplexque obtulit summi Pontificis literas, obtestatusque est, vt communis illius redemptoris ergo in suæ maiestatis gratiam reciperetur. Nemo non sperabat fore, vt venia donatus recederet, sed fefellit Rex expectationem vniuersorum; educto pugione tempore & loco sacro mox supplicem interemit, qua immanitate incurrit in odium quamplurimorum, ab Apostolica sede percussus anathemate, à quo non est antè liberatus, quàm totam Iuetoti familiam libertate donauit, & declarauit

Bellef. in Clothario.

& declarauit nullo vnquam tempore obnoxiá fore regiæ potestati, nisi fortè exemptionem illam suam venderet.

Hæc de supremo Iudice, seu magistratu sunt accipienda, quia in eum solùm cadit potestas eripiendi à morte reos damnatos capitis; & cautè quidem, vt dictum est, substante causa grauissima, quæ si desit, iram Dei accerset intempestiua hæc indulgētia dicturi sine dubio: *Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Quòd ad inferiores, multò magis debent rigori legis insistere, & in executionem incumbere latæ sententiæ, nihil addendo de suo, nec detrahendo, vbi determinatur in iure pœna, nec relinquitur eorum iudicio. Imò etiam cùm relinquitur, & lata est, serium postulat executorem: aliàs inanis erit, & ridebitur totus ille apparatus forensis strepitus siue iudicij, cuius vtilitatem, atque efficaciam sola ostendit executio. Digni præ cæteris sunt, qui hunc rigorem sentiant, superbi omnes maiestatis cōtemptores, malefici, sortilegi, publicæ pacis perturbatores, & denique peccantes ex destinata malitia. Superbos non tulit in cœlo Deus; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos vnà cum Lucifero attollente sese & dicente: *In cælum ascendam*, &c. Minimè item ferendos indicauit, qui scriptum reliquit:

1.Reg 21.

Quinam intempestiuo iudicio puniendi.

Isac. 14.

Tu regere imperio populos Romane memento, Virg.lib. 6.

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Inductis in arenam simiis, ceruis, leporibus & brutis aliis natura infirmis ac meticulosis, non mouebatur canis ille generosus, quem misit Rex Albanus ad Alexandrum; obiectis verò Leone, Elephanto, & superbis aliis ferre non valens illorum fastum, colligebat sese, tantóque impetu in ea insurgebat, vt etiam conficeret. De maleficis scriptum est: *Maleficos non patieris viuere.* Idem dicendum multò magis de sortilegis, qua voce eos hîc intelligo, qui ad sciendum aliquid, diuinandum, efficiendum, vel obtinendum ad Dæmonem se conuertunt, ei se tradunt eiurato Christo, illius vtuntur opera, quæ omnia tam sunt in se grauia, vt vix abominationis huius notam possit effugere, qui eam negligit, cum debet ac potest vindicare. De publicæ pacis perturbatoribus, nota sunt verba Iosue ad Achan, qui sacrilegio suo iram Dei accersiuerat in castra Isral: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Sequitur autem: *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Restant, qui peccant instigante potiùs malitia, quàm mentis, aut carnis infirmitate, ob id digni sunt iudicio Dionysij Syracusani, qui iudicem experiantur in omnibus seueriorem. Is cùm audiuisset adolescentes duos inter potandũ sibi fuisse turpissimè conuinciatos, vtrũque vocauit ad cœnã, eique pepercit quẽ deprehendit post compotationẽ multa garrire alterũ autẽ rarò & cautè biben-

Exod. 22.

Pacis publicæ perturbatores.

Iosu. 7.

Plut. in Apopht. *Dionysius Syracusanus in conuiuiatas.*

tem iussit occidi quasi consultò maledicum.

Faciam paragrapho huic finem, si dixero, specialiter à zelo iustitię laudari Iudicē, quandò nō indulget affinibus suis, sed in reos & conuictos grauium scelerum constanter fert sententiā, & pœnam decernit, quam iura exigunt delictíque atrocitas, & decretā exequitur. Excelluit multorum iudicio in hoc genere Zaleucus Locrensium Legislator; nam lege lata vt vtróque orbarentur oculo in adulterio deprehensi, filio suo huius conuicto flagitij inferri iussit geminam hanc orbitatem; reclamante autem populo vniuerso pœnam mitigauit, vnicū ei iussit erui; sed ita vt eius loco ipse vno se suo priuauerit, vt sic integrè legi satisfecisse videretur. Nihil certè necesse erat vtroque eum destituere, cùm in gratiam populi totius aliquid fuerit de legis rigore remittendū. Sed neque legi satisfecit, nec rationi. Nō legi, quia nihil tale postulabat. Non rationi, tū quia non videtur rationabile pro amico mori, si is reus sit, scelerosus, & damnatus capitis; tum quia amici causa non licet iniuriam inferre Reipublicæ, vt intulisse videtur Zaleucus Rex, ita se deturpando ac mutilando, cùm intersit Reipublicæ Principem habere nullo captum, sed membris omnibus integrum. Potiùs itaque excelluisse dicamus colonum illum, qui sub Artaxerxe Persarum Rege septem nactus filios, diuque expertus minimum natu planè intractabilem, & continuas sibi creantem molestias;

Valer. lib. 5. cap. 6.

Zaleuci zelus seruandæ legis.

Coloni seueritas in filium.

tandem ira percitus comprehendit illum, & reuinctis in tergum manibus adduxit ad regé, postulans vt neci traderetur. Tum Rex; *Potesne etiam ferre, vt filius in conspectu tuo vita priuetur? Omninò*, inquit, *quia in horto etiam cùm nascentium lactucarum surculos amaros defringo & amputo; tantùm abest, vt dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, vt magis etiam efflorescat. Sic cùm videro eum qui meam familiam lædit, & vitæ fratrum officit, vitam amittere, habebunt rectè nostra omnia.* Hominem his auditis impensè laudauit Rex, & in Collegiũ regiorum Iudicum cooptauit, dicens: *Qui tam iustè & seuerè sententiam de propriis liberis audet pronunciare, omninò etiam in causis alienis egregium se Iudicem præstabit.* Addo, si multos contingat teneri reos eiusdem criminis, in more esse supremo Magistraui considerare, vtrum hi deliquerint vno vel pluribus adhortatoribus, atque in eo casu sat habere ad necẽ vocare seditionis, vel alterius eiusmodi mali authores, vt Romæ obseruatũ testatur his verbis T. Liuius: *Certabatur, vtrùm in authores tantum seditionis* 35. *animaduerteretur, an plurium supplicio vindicanda magis defectio esset quàm seditio. Vicit sententia lenior, vt vnde orta culpa esset, ibi pœna consisteret, ad multitudinis castigationem satis esse.* Idem confirmat Cicero in orat. pro Cluentio: *Pœna debita multis simul peccantibus, ab aliquibus tantum luitur: & ita veteres Romani statuerunt, vt si à multitudine esset rei militaris flagitium admissum, sortitione quadam in aliquos duntaxat*

Herodotus.

duntaxat animaduerteretur, vt metus ad omnes, ad paucos pœna perueniret, essetque instar fulminis: fulmina quippè paucorum periculo cadunt, omniũ metu.

De Legislatorum Prudentia in ferendis legibus.

CAPVT VII.

§. 1. *Antecessorum Leges non facilè antiquandæ.*
2. *Quæ præcipuè leges ferendæ.*
3. *Qualis quantáque soleat esse legum obligatio.*
4. *Circa leges pœnales quid rectè obseruetur.*
5. *Quousque obseruari ab authore suo leges debent.*
6. *Quantoperè connitendum vt à subditis leges obseruentur.*
7. *Possintne iure extendi leges ad hæredes præuaricantium.*

§. 1. ELEGANTER Plato l. 1. de legib. *Necessaria est homini cõmunitas, quia non potest solus viuere. Necessaria cõmunitati lex, quia sine lege periret ob iuris ignorantiam. Necessaria legi diuina authoritas, à qua proficiscatur & commendetur. Ad obtinendam verò hanc authoritatem necessaria est legislatori probitas.* Libro autem 8. de Rep. Peius affirmat esse in

Homini necessaria cõmunitas; cõmunitati lex &c.

legibus constituendis errare, quàm hominem occidere; quia eiusmodi error multos per multa secula interficit animos simul & corpora. His præmissis de bonarum necessitate legum, caput aggredior, in cuius limine, nihil dicere attinet quid sit lex; nec quòd abusiuè lex dicatur, quando iusta non est. Non esse autem, si vel non respiciat bonum commune, vel non feratur ab eo, qui habet ferendi potestatem, iisque præest quibus seruanda proponitur. (Rectè enim Baldus in l. omnes populi ff. de Iust. & iure. *Quantum iurisdictionis quis habet, tantum authoritatis condendi legē vel statutū*) vel onera nō imponit per proportionem virium seu facultatum: vel denique iniusta proponit & iuri contraria. Supponuntur ista potius, de quibus latè Sylu. V. lex. q. 4. & alij. Praxim hîc quærimus, materiámque Prudentiæ. Quod circa ædificia, idem ferè circa leges accidere viris potentibus, & legum conditoribus solet. Displicent illis passim exstructæ ab antecessoribus fabricæ, nouas meditantur. Facilis error & Reipublicæ haud multum perniciosus: At leges bonas priùs cōditas eleuare, vt locus sit propriis surrogatis, res est quæ incōmoda post se relinquit nec pauca nec parua. Non modò bonū supprimitur, quod ex illis manabat, dū obseruarentur; sed mutationi præterea assuescunt subditi, nouitatis studium inducitur, & quasi conuulsa arbor disponitur ad ruinam Respublica, quæ aliàs staret.

Legum mutatio quàm perniciosa Reip.

Moribus

Moribus antiquis stat res Romana virisque. Et 2. Machab. 3. legimus tunc beatam fuisse ciuitatem Hierusalem, *cùm adhuc leges optimè custodirentur.* Nihil dico de iniuria, quæ fieri videtur prisco legis authori, & populo eius coætaneo, à quo recepta fuit & approbata. Addere sufficit, doceri subditos, quomodò similiter possint surrogatam contemnere. Quocirca S. Greg. lib. 12. epist. 31. ait: *Iustitiæ ac rationis ordo suadet, vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui voluntatem & statuta custodiat.* Et alibi: *Quod verè dicit nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita, atque custodita sunt, absit à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia iniuriam mihi facio, si fratrum meorum iura perturbo.* Ac rursus: *Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed destructor esse iure cõprobarer, testante veritatis voce, quæ ait; Omne regnum in seipsum diuisum, non stabit.* Ludouicus XI. Galliæ Rex initio regni sui leges ferè omnes Caroli VII. patris sui studuit abolere, (illum enim oderat, nec post secundam ab eo defectionem adduci potuit vocatus, vt rediret Lutetiam, & in aula versaretur) verùm abstinuit dissuadentibus Regni proceribus, pessimíque id exempli esse contendentibus. Apud populum quendam Thurios vocant, cautum olim scribit Diod. Siculus lib. 12. Biblioth. ne quis in concionem prodiret legis alicuius extinguendæ causa, nisi

Lib. 2. epist. 31.

Bellef. in Lud. XI.

Ludouici XI. odium in patrem.

Thuriorum lex & Locrensium.

gendi proprium. Hoc enim mutari nihil vetat. Vndè cùm olim duo tresue testes ad testamentum sufficerent, Deut. 17. nunc plures desiderantur. Contrà, si lege aliqua non adeò necessaria abuti populus incipiat, occasionem indè arripiens faciendi aliquid menti Legislatoris valdè contrarium, & eliminari posse abusus non videatur, nisi per legis extinctionem; meritò extinguetur, sicut contritus est serpens æneus, quem erigi Deus quidē iusserat; sed quo tempore nondum insanus populus diuinos ei honores deferebat. Similiter si ex lege deprehendatur posteriùs incommoda sequi grauia, supprimendam docet Arist. 2. Polit. 6. Idem iudicium, si valdè mutatus sit rerum status, cuius intuitu aliquid fuerat institutum. Sic prudentes nautæ mutatis ventis paulò aliter sua inflectunt nauigia: & medici affectu mutato ægrotantium recedunt à præscriptis antecedentibus. Eidem tenori non semper insistendum, sed spectanda esse tempora expertus est magno suo damno Cicero, qui inflatus prosperis successibus cō- iurationis Catilinariæ, posteà sibi promittens similes, lacessebat Antonium, quasi eadem oppressurus illum esset facilitate, qua Catilinam; cùm interim longè aliter res haberet sub Antonio, cui proindè non ita insultandum fuit, sicut in Philippicis. Censuit Themistocles cingendas Athenas validis arcibus, quò tutiores essent ab hostium incursibus. Post aliquot annos veritus Theramenes, ne

Imò & eliminanda.

Cicero sibi parum prudens.

potentiores quidam indigenæ iis occupatis tyrani fierent, sui consilij dixit esse, vt omnes subruerentur.

§. 2. Sicut prudens Medicus præscripta sua non præterito aut futuro, sed præsenti ægrotantis morbo accommodat : Ita perspicit Legislator solers, quid maximè suo tempore non fiat, quod deberet fieri, aut contrà ; & legem illud præcipientem, istud interdicentem, si iam lata sit, sed quasi sepulta neglectáque iaceat, pristino vigori restituit; sin nondum sit, authoritate condit propria. Iuuerit exempla aliquot ab ætate nostra accipere. Considerat, si Christianus sit, nihil esse debere subditis suis vero ac syncero Dei cultu antiquius, à quo pendet prosperitas etiam temporalis; vndè proficiebat Dauid pietate insignis, & seipso semper euadebat robustior : domus autem Saul contraria de causa quotidiè decrescebat, 2. Reg. 3. Videt prætereà eiusmodi cultum interturbatum valdè, & adulteratum per zizania, quæ nostro seculo per stolones suos superseminauit inimicus homo Diabolus. Quid itaque melius faciat; quàm si legem ferat efficacem, ne quis subditorum aliud se credere profiteatur, aliterue Deum colat, quàm receptum est superioribus seculis, & à Catholica prædicatum Ecclesia, quæ columna & firmamentum cum sit veritatis 1. Tim. 3. doctáque à Spiritu sancto omnem veritatem Ioan. 14. & 16. errare in definitionibus suis

Ecclesia firmamentum veritatis.

suis nullo modo potest? Talem tulit his verbis Iustinianus Imperator: *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali religione volumus versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio adhuc ab ipso insinuata declarat, quámque Pontificem Damasum sequi claret.* Vt idem faceret, non obscurè commonefecit Leonem Imperatorem Leo Pontifex istis aliis: *incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè statuta sunt defendas, & veram pacem his quæ turbata sunt, restituas.* Maria Henrici 8. Regis ex Catharina vxore filia vix regnare cœpit, cùm virilem veréque regium induens animum, fecit eiusmodi sanctionem; vt nempè subditi omnes à neoterica religione & fide, ad veterem seu orthodoxam sese transferrent. Aggressa est fortiter, quod sui erat muneris miserta subditorum, quos siccis oculis videre non poterat opinionibus nouis circumuentos ruere in interitum; coercuit pereuntes legis efficacia, absterrita nõ est inani metu & rumusculis, breuíque fauente numine vniuersos in viam rectam, summamque concordiam reuocauit. Cernit secundò magnam vbique blasphemandi licentiam, indigna loquendi de Deo & Sanctis eius, interponendi in iuramentis, cor, caput, ventrem, carnem, & alias Dei partes; ac si verè iis constaret vt Deus, cùm tamen non constet:

C. de summa Trin. L. 1.

Leo Papa in epist. ad Leonẽ Imperat.

Maria Henrici 8. filia quomodo expulerit hæreses è regno.

Similes

Similes autem Christo vt homini conuenientes per summum contemptum, & sine vlla prorsus reuerentia in testes adducere. Si edictis suis reprimat tam effrenem audaciam, ostendet se non frustrà portare in capite coronam, in manu sceptrum, supra femur gladium; sed ad vindictam malefactorum. Magnam hìc laudem habet Philippus Valesius Francorum Rex; nam blasphemos in Deum, aut Virginem Mariam & diuos alios, constitutione sua primùm ad torquem, seu numellas versatiles publicè adiudicari voluit, aliquot horarum spatio per mensem. Quod si iteratò in crimen incidissent, statuit, vt retractis ad easdem numellas die nundinarum coram frequenti populo suprema labia candente ferro finderentur, ita vt dentes apparerent; tertia vice abscinderetur labium inferius; quarta vtrumque; quinta autem lingua. Idem posteà sanciuerunt paucis immutatis Carolus VII. Franciscus I. Henricus II. Sanctus autem Ludouicus fronti notam inuri voluit candente lamina, vt scribit Palus Æmil. l. 7. hist.

Philipi Valesij statutum in blasphemos.

Item S. Ludouici.

Audire item potest de diuinis, magis, veneficis, & sortiariis nefanda plurima hoc infœlici seculo post natas hæreses frequentibus numen eiurantibus, Diabolo se prostituentibus: & quicquid ipse iusserit, aduersus Deum, atque in perniciem humani generis exequentibus; cúmque audiat, absit vt indormiat, vt non ferat in quisquilias illas omnes edicta seuerissima, & gladium distringat publicæ

blicæ poteſtatis verbis illis admonitus: *Maleficos non patieris viuere.* Exod. 22.

Monomachiæ, ſeu duellorum graſſantē inſaniam, qua nobiles propè innumeri de medio tolluntur, vtiliſſimi futuri Reipublicæ, ſi ſuperuiuerent, ægerrimè ferunt, quicumque ſapiunt, amántque patriam, cuius ſunt membra. Nec abs re profectò, cùm directè aduerſetur ſexto præcepto decalogi, *Non occides*, & naturæ communis omniū matris iuribus. Quid enim magis contra naturam, quàm vt in cauſa propria idem actor ſit, Iudex, & executor? vtque id vſurpet in argumentum innocentiæ & cauſæ bonæ, quod æquè commune eſt ſontibus & inſontibus? Monomachus poſthabito iuris ordine & Principe, ac conſtitutis ab eo Iudicibus iniuria ſe affectum prætendit ac iudicat, arbitrum alium non quærit, Iudicis ſibi partes arrogat, aduerſarium non accuſat ſolùm, ſed citat prouocátque ad ſingulare certamen, quaſi iā à ſe damnatum capitis, occiſurus illum ſi poſſit. Viciſſim aduerſarius ſe iure niti profitetur, iudicio ſuo ſtat in cauſa propria, conſentiendò in prouocationem reus fit peccati prouocantis, & dum æquè primò vbi peruentum eſt ad certaminis locum, impetum facit, æquè rationem habet aggreſſoris. In arenam vtrinque deſcenditur, eximuntur gladij, præmittuntur contumeliæ quæ iram exacuant, ruitur furore ardentiſſimo in mutua vulnera, & victor ſæpè abſcedit, non qui cauſa, ſed qui viribus artéque

Monomachiarum deteſtatio.

artéque præualuit: cadit contra moribundus non qui iniustior aut vsura lucis indignior, sed qui digladiandi imperitior. Audita nece miscetur domi lamentatio, lachrymantur orbati filij, longa trahit vxor suspiria, familiæ totius cithara in luctum vertitur, vnius membri sui iacturam Respublica patitur, de qua proindè meretur pessimè qui fecit homicidiũ. Non potest hîc non esse perniciosissima Legislatoris conniuẽtia, tutoris Reipublicæ, patris patriæ, ideóque durissimam feret legem in eum maximè qui lacessiuit, quin etiam in ipsos locorum Præfectos, si quos audiat Monomachiam concedere; quandoquidem nec ij, nec ipsius duces exercitus habent concedendi potestatem à lege negatam: *Non licet*, ait S. August. *priuata authoritate alicui hominem occidere vel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit.* Gladij ius à Principe seu alio supremo Magistratu acceperunt; sed ea conditione, vt in hostes solos verteretur; non autem vt priuatis concederetur se mutuò iugulaturis: Ita fit vt Monomachiam permittendo reos se maiestatis constituant, nempè iniussu principis gerentes & promouentes bellum interdictum, delectum habentes militũ, plus sibi arrogantes, quàm possit princeps ipse concedere, quæ omnia pertinent ad legem Iuliam maiestatis. At non potest interdũ aliter decidi ius controuersum duorum inter se rixantiũ, metuendúmque est aliquid duello deterius, si interdicatur. Imbecilla est vtraque

S. Aug. l. 1. Ciu. c. 17.

que excusatio, quandoquidem ad dubij iuris decisionem hæc via minimè est accõmodata, vt demonstrauimus, eadē in Tridentina Synodo sub pœna anathematis, hoc est, seuerissimè prohibetur: sique omni exclusa misericordia punirentur, qui vel duello vel ex improuiso seu per assassinatum, vt loquuntur, aliquē interficiunt, citò vtrique sceleri occurreretur, atque ita nihil opus foret ad istud auertendū illud concedere. Miserrima denique experitur esse tēpora, in quę incidimūs, ob effrenē quorundā licentiā in concinnādis spargēdísque famosis libellis, & bonis quibúsque viris per eos traducendis. Quia licet vitam nō petant eorū, quos criminantur & lancinant, bono nihilominus nomini multū officiūt, quod à multis vitæ anteponitur, eius verò iactura ingentibus etiam doloribus. Quapropter cū dixisset Cicero, *dolorē existimo maximū malorū omnium*, actutū subiunxit, *etiamne maius quàm dedecus? Non audeo id quidē dicere, & me pudet de sententia tam citò esse deiectū.* Improbā hanc libidinē in tanta præsertim hominum credulitate profligabit prudens Legislator, nisi velit & ipse tandem configi talium scriptorum aculeis nemini parcentium. Etiam in Alcibiadem Principem Atheniensem, post perstrictos priuatos plurimos, ausus est mordacissimos scribere versus Eupolus, quos ille non ferens quodam die deprehensum demersit in mare; dicens: *Tu me in scena sapè mersisti Eupole, ego te semel.*

C. Trid. S. 15. c. 19.

De famosis libellis, & de iis qui eos seminant.

Philippica 3.

Albiciades mergit Eupolum.

In

In Ptolomæum quoque Regem scurriliter multa exarare non erubuit Sotades Cretensis, propter quod plumbeo inclusus vase in mare quoque actus est præceps. Maior fuit Romanorum prudentia, quàm vt tantum malum in Republica sua sustinerent. Ex senatusconsulto libri Labieni, quod famosi essent, combusti sunt ipso etiam viuente. Sancitum prætereà lege 12. tabularum, ne quis maledicum carmen in quenquam ederet sub pœna capitis.

Sotades demersus in vase plumbeo.

Labieni libri combusti.

Si mala condiderit in quē quis carmina, ius est Iudiciumque.

Edixit Carolus V. Imperator, vt libelli author eàndem pœnam sustineat, quam meretur libello diffamatus, si contenti in eo criminis conuinceretur: Typographus autem in carcerem compingatur, mulctetúrque ademptione officij. Codex Iustiniani longè antiquior sic loquitur: *Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, siue quocumque loco ignarus reperit, aut corrumpat illum priusquam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Quod si non fecerit, vel non combusserit, vel si manifestauerit, vt author capitali sententia damnetur.* Annalistarum alia est ratio, quādiu nō produnt peccata occulta defunctorū aut superstitū; sed notoria tantùm, & probata in iudicio, qualia scribi posse cōstat ex l. *si ita vulneratus* ff. ad l. Aquil. vt habeatur historia superiorum temporū, & metuāt vniuersi peruersè agere presentiētes se scripto similiter diffamatū iri apud posteros.

Caroli V. edictum in libellatores.

C. de fam. lib. l. vni.

Iudex

Iudex certè reum condemnans priuat illum fama sua;indeque fit, vt illum hora & loco publico plecti iubeat, vt infamiam inter pœnas alias sustineat. Non ergo ei iam damnato fit iniuria, dum narratur crimen,vel scribitur propter quod est punitus. Alia item eorum est ratio, qui in Scotia & Mediolani schedas accusatorias mittere dicuntur per foramen in vrnam expositam in templis præcipuis, cuius clauis est penes Magistratum. Hæ quippè schedæ nihili fiunt: nisi in iis exprimantur locus, tempus, complices, & testes criminis. Cùm autem exprimuntur, non potest charta propriè dici libellus famosus; sed denunciatorius, occasionem duntaxat præbens Iudicibus inquirendi, & vtiliter detegendi mala quamplurima. Iam si interdicendi seuerè sunt & abolendi libelli famosi, cur non etiam impudici eò nocentiores, quò pronior est humana fragilitas ad peccatum, cui patrocinantur, quàm ad alia? Quomodò pœnas acerbas non luunt authores ipsi viris principibus,quibus non verentur talia ignominiosa scripta dedicare? An non prætereà multò magis expungēdi sunt libri, qui errores continent contra religionem fidemque Catholicam? Vtique sanè,quia illi priuatis duntaxat damnum afferunt obscurando nomen bonum quo antè clarebant:hi verò fidem oppugnādo, sine qua impossibile est placere Deo, toti Reipublicæ perniciosi sunt, & inter ciues ferunt capitales discordias. *Qui talia scripta habere & legere su-*

Scheda missa in vrnā in Schotia & Mediolani ad detegenda crimina.

C. de summa Trin. l. 3.

Arij libri combusti in Concilio Niceno.

stinuerit, ait lex, *vltimum supplicium subeant.* Arij libros cõbustos in Nicæno Concil. testantur Soc.l.1.c.9.Sozom.l.1.c.21.Et cũ aliquãdo Numæ Pompilij sepulchro reperti fuissent libri receptæ religioni contrarij, edicto senatus mandatum legimus Q. Petilio prætori, omnes vt flammis aboleret. Malum est falsa dogmata ore proferre; peius adhuc scribere, cùm scriptura permaneat, sitque ex hoc capite scripto seu locutione nocentior. Adde, quòd nominis sui rationem non satis habere videatur, qui lege non cauet,cùm potest,hosce libros contagiosos euulgari. Verba apponam Innocentij Papæ in Epistolis. *Non caret scrupulo societatis occultæ,qui manifesto facinori desinit obuiare*, terribiliora adhuc sunt Apostolica. *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quem locum glossa exponens ait: *Consentire est tacere, cùm possis arguere.* Hoc denique circa leges ferendas obseruandum, vt non nimis multiplicentur.Deus certè ad decem duntaxat adstrinxit populum suum in lege veteri comprehensas decalogo, de moralibus loquor, iisque capitalibus; non de cæremonialibus: & sapienter monet quidam:

Rom. 1.

Horat. in Arte.

Quicquid præcipies esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Lex Ciuilis obligare potest & ad pœnam & ad culpam.

§. 3. Posse legitimum quemque legislatorem legibus suis obligare subditos non ad pœnam solùm, sed ad culpam; ita vt infringentes eas in conscientia & coram Deo rei fiant, tradit

tradit Apostolus Rom. 13. scribens humanarum contemptores legum repugnare Deo, & sibiipsis damnationem acquirere, additque; *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Parentibus ipsis factam à Deo potestatem præcipiendi filiis sub reatu culpæ, quod rectum putant, ex quarto Decalogi præcepto omnes credo intelligere. Filiam item familiàs ream teneri voti à patre confirmati, & culpam contrahere, nisi ei satisfaciat, testatur Deus Numer. 30. Iam si priuatis tantum ius concessum est in domesticos suos & familiares, multò certè magis Legislatoribus, seu Ecclesiasticis seu ciuilibus in subditos; idcircò ligare edictis suis suorum conscientias possunt. *Vno siquidem dato id concessum videtur, sine quo prius illud esset inutile.* Sæpè autem inutilis esset præceptio, si facultas deesset obligandi ad culpam, eò quod pœnam plerique non metuunt, & se armorum potentia vel amicorum effugere posse credunt; culpam autem exhorrent, quia etiam in Dei tribunali per illam reos se esse considerant. Tandem pœna, seu reatus pœnæ propriè dictæ necessariò culpam supponit velut correlatiuam, sicut & effectus causam. Vndè cum dixisset Christus: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo*; protinus subiunxit, *sin autem benè, quid me cædis?* Ac si diceret, cędi non debet, qui in culpam hac pœna dignam non incidit. Abundant sacri codices eiusmodi sententiis, quibus docetur à pœna supponi culpã, nec

L. 2. ff. de iure omn. gent. L. ad legat. ff. de procurat.

nec in inculpatum pœnam decernendam, vt Exod. 23. *Innocentem & iustum non occides*, (nisi fortè is vltrò obsidem se constituerit sontis non satisfacientis; tunc subit eius vicem & secundùm leges puniri potest. Nam vt dicitur in cap. ex scripto de iureiur. Obsides sic tradu ntur etiam nunc, vt si dator obsidis à fide recedat, possit recipiens sæuire in corpus & vitam eius, qui datus est obses) & 1. Reg. 20. *Quid feci? quæ est iniquitas mea? & quod peccatum meum in patrem tuum, qui quærit animam meam.* Cùm ergo legislator quilibet obligare ad pœnam possit propriè sumptam, reipsaque obliget quando contrarium non exprimit, eò quòd pœnæ nomen absolutè positum pro ista supponit, sicut nomen hominis pro viuo & vero, fit vt obligare consequenter ad culpam valeat. Id si non facit, & se nolle declaret, pœnæ vocem impropriè accipit pro pœnalitate, qualem infligi posse à Legislatore ei, qui culpa vacat, indè probatur, quod qui obligare ad plus potuit, ad culpam, inquam, & pœnam; multò magis ad minus potest: hoc est, ad pœnam solam, vt feudi Dominus imponere Vasallo suo onus aliquod reale, qui potuit personale.

Scire quis optabit, vtrùm ad culpam obligare semper expediat, & quid hac in parte consilij. Quod ad Dei & naturæ leges nulla est difficultas. Dignum & iustum est, vtrique vt exactè mos geratur: negare seipsũ Deus non potest, zelotes est, iure suo petit ei vt pareamus;

Deus seipsum negare non potest

mus;secus rei simus delicti coram ipso,pœnæque obnoxij propter conteptum& inobedientiam. Idem de communibus Ecclesiæ præceptis sentiendum. Grauia sunt, de rebus dico grauibus, cúmque in more non habeat filios suos ad parendum instigare exterioribus pœnis propositis, necesse ei fuit ad culpā & censuras recurrere.Quod ad particulares eiusdem Prælatos,siue Episcopi sint, siue Præpositi Regularium,abundat in sensu suo quilibet. Iudicantes nonnulli ad perfectionem Spiritualiū acquirendam in statutorum quæ condunt obseruatione multum esse positum, subditos ad culpam obligare intendunt;ac mortalem quidem in materia graui,vt sic attendant sibi, inque obseruationem illam impensius incumbant. Alij nolentes consulere solùm perfectioni suorum, sed conscientiæ; ita cupiunt, studentque diligenter fieri ab illis, quæ præscribit regula, vt nolint eam sub onere culpæ saltem lethalis obtrudere;quæ proindè regula ad culpā nō obligat,quia *actus agentiū in moralibus vltra intentionem non operantur*;nec propriè præceptum est, sed consilium:aut si est,ad id duntaxat adstringit non obtemperantes,vt certam pœnam ob præuaricationem admittant, peccaturi si subire detrectent,vtque non effugiāt culpam grauem, si ex contemptu legis vel legislatoris fiat, vt non obediant. Quod ad seculares rariùs de culpa condendo leges cogitant, siue quia conscientiæ subditorum curam propriè non suscipiunt, sed corporis & rerum

temporalium; siue quia in promptu habent media alia, quibus permouere eos ad obseruationem legis non ægrè possunt; pœnas videlicet corporis & exteriores, quas valdè reformidant. Possunt tamen, si volunt, etiam ad culpam obligare; vt liquet ex c. 13. ad Rom. quin etiam expedit aliquandò, ne id facere prætermittant.

Iudices seculares possunt ad culpã obligare.

§. 4. Licèt imponendæ sint pœnæ per proportionem delictorum, sicut dicit Scriptura, *pro ratione delicti erit & plagarum modus*; nec imitari conueniat Draconẽ Atheniensiũ Legislatorem, iubentem capite plecti eum, qui olus surripuisset: propter quam non ferendam seueritatem oppressus à populo est petasis ingestis & tunicis; non tamen semper in rebus eiusdem ordinis. Exemplum: excæcauit Titius Semproniũ vnoculũ, ita vt vtroque orbatus oculo nihil iam videat. Nõ iustè punietur Titius; si oculus ei vterque eruatur, quia nimis puniretur: nec itẽ, si vnicus; quia nõ satis; quãdoquidem oculus vnus habentis duos minus valet, quam vnicus ille vnoculi (quæ causa est cur hic huic erui non soleat, si vno priuauit duos habentem.) Iusta itaque pœna erit, si vno priuetur Titius, vbi hoc lex talionis & personæ conditio patitur: & prætereà tantum in ære luat, quantum requiritur, vt videatur tota pœna illato damno æquiparari. Sed neq; consueuit prudens Legislator promiscuè & pro arbitrio quaslibet criminibus pœnas proponere, sed rationi iurisque consentaneas. Nã vel

Deut. 25.

Rei admodũ dubiæ exẽplum.

vel dãnum afferunt personæ, vel rebus, vel famæ innocẽtis. Si primũ, in corpore vt plurimũ authores puniũtur, aut si excusantur ob seniũ vel imbecillitatẽ, in ære. Si secũdũ, in ære luũt vt tẽporale damnũ reparetur, vel vtcumq; in corpore, si in ære nequeunt propter rerũ penuriã, l. fin. ff. de in ius vocando. Si tertiũ, iubẽtur maledicta & calumnias reuocare, ac corrigere, dicendo se imprudẽter vel falsò loquutos; aliàs ablata fama non sufficienter restitueretur, si v. g. correctionis huius loco pecunias læsis numerarẽt, cum pecunia nec sit fama bona, nec paris ordinis, sed inferioris. Prou. 22. *melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* Possunt interim læsi si volunt, correctionis huius onus remittere, eiusque loco pecuniam acceptare, si præsertim qui læserunt, illud subire absque incommodo suo graui nequeunt.

§. 5. Quod legibus suis edicit faciendũ earũ conditor, expedit vulgò, vt ipse quoque faciat. Nã si leges sunt quæ naturalẽ aliquã, diuinã, vel Ecclesiasticã confirmant; dubitare nõ potest, quin iis obnoxius sit æquè ac subditi; nõ quia suæ sunt, sed quia includũt superiorẽ. Sin autẽ merè humanæ, cogi quidẽ ad eas obseruandas, & propter violatas ad pœnã sustinendã nõ potest; quia sic nequaquã esset superior, sed illorum subditus à quibus cogeretur; ex æquo nihilominus & bono debet ipse quoque illis morem gerere, quamdiu eius dignitati & conditioni non aduersantur, quò meliùs faciliùsq; dirigat subiectũ sibi populũ vltrò sequi

Legislator secularis est obnoxius legibus naturalibus, diuinis, & Ecclesiasticis.

Non autem humanis.

ſolitum præeuntes duces, nec ęgrè ſibi perſuadentem iuſtum, ſanctumque eſſe, & factu dignum, quod ab iis videt obſeruari. Hinc Chri-
Ioan. 20. ſtus de paſtore bono cùm dixiſſet: *Cùm proprias oues emiſerit, antè eas vadit*, mox adijcit, *& oues illum ſequuntur.* Accedit, quod non habeat vndè ſubmurmuret ob legis difficultatem, cui legiſlatorem ſuum videt ſeipſum ſubmittere. Hæret contrà, aut ſaltem in obſeruatione legis teſtudineo procedit gradu deſtitutus duce præuio. Vix credere poteſt proſecutione dignum & obſeruatione, quod notat ab eo contemni, & argumentando potiora eſſe verbis opera, præoptat facere quod ille facit, quàm quod dicit; hoc eſt, latam legem violare, quàm in opus deducere: & violando ſatis tutum ſe arbitratur, dum illum ipſum nactus eſt transgreſſionis ſocium, dicturus pœnam minitan-
Ioan. 8. ti: *Qui ſine peccato eſt, primus in me lapidem mittat.* Et vel iuſtum eſt quod ſanciuit dominatio tua, & à me fuit prætermiſſum, vel non. Si non eſt, cur me punire cogitat eo nomine, quòd iniuſtè non egerim? ſi autem eſt, cur non illud ipſa facit? An decet eam aliter quàm iuſtè, & ſecundum rationis ſtatuta viuere? Præclarè Alexander Imperator: *Nihil eſt tàm proprium imperij, quàm viuere legibus.* Et Theodoſius ac Valentinianus: *Digna vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri.* Nihil Chriſtus magis agit Matth. 23. quam condemnat eos, qui *alligant onera grauia, & imponunt in hu-*

l. ex imperfecto C. de legibus & l. digna ibid.

humeros hominum ; digito autem suo nolunt ea mouere.

§. 5. Vtiliter præterea à Legislatore insisti-tur, vt bonæ leges executioni tradantur ab iis, qui ad illas tenentur, puta Laicorum à Laicis, vel etiam à Clericis vrgendo apud proprium illorum Iudicem, vt puniantur & satisfaciant ob transgressionem, si sint leges Reipublicæ vtiles, & Ecclesi. immunitati non contrariæ. Ad has quippè etiam Clericos teneri volunt sacri Canones. Insistet, inquam, legislator vt obseruentur, ne alias videatur quasi sterilium sator arborum, in quibus nihil præter folia. Aut quasi Ludimagister frigidus, præclara dans Latinitatis præcepta; sed non vrgens, vt ea discipuli loquendo scribendóque teneant: aut velut oscitabundus medicus, ægrotum negligere sinens perutilem potionem. Dei vicem cum gerat legis conditor, omninò rectè faciet, si ei sese conformauerit: Deus autem *mandata sua iubet custodiri nimis*, Psal. 118. Leuit. 26. Deut. 28. Tandem leges instar mœniorum sunt continẽtes populum intra fines rationis, & nemo nescit, in quantum reatum incurrat, qui mœnia perfodit, transilit, aut subuertit; quàm simul aduigilare debeat Magistratus ne violentur. Magis adhuc consulendum esse legibus, docuit Heraclitus Ephesius rationem afferens, *quòd absque legibus nullo pacto possit ciuitas esse incolumis, absque mœnibus possit.* Quia verò causa præcipua cur infringuntur & prostratæ iacent, quorundam est vis atque auda-

Leges bonæ seruandæ, & à quibus

Tanquam mœnia continent populum intra fines rationis.

cia, ἀκολασεῖς Græci vocant, ac si dicas *exleges*, qui velut muscæ grandiores aranearum telam (hoc simili vtebatur Anacharsis) perrumpunt eas, blandientes sibi de clementia Legislatoris, deque sua apud illum authoritate; rectè fecerit, si priuatim potentiores per se, vel per alium commonefaciat, ne contra easdem quicquam moliantur, partim ne cæteris offendiculo sint, partim ne in pœnam omnibus indiscriminatim propositam prolabantur. Peculiaris fauor erit sic admoneri, quem si contemnât, tantò minùs excusatione digni erunt & venia. Huius, quam diximus, obseruationis optimarum legum, grauissima turpissimaque pestis quædam est auaritia, quando earum violatoribus mulcta tantum pecuniaria à publico administratore indicitur fisco suo addicenda. Quid enim si de adulterio, sacrilegio, concubinatu, & aliis agitur diuina etiam lege prohibitis? Quid hoc aliud vulgò est, quàm fouere nequitiam? Pergent vtique violatores illi peccare liberè, quoties sufficientem sibi pecuniam esse intelligent.

Auaritia legum grauissima pestis.

Legis pœna non extenditur ad filios & successores innocentes.
Deut. 4. 2.

§. 6. Legis pœnam corporalem vt mortem, verbera, carceres, &c. non patitur ratio extédi ad filios & successores innocentes, quia scriptum est: *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus.* Addit lex humana: *nemo debet alterius odio prægrauari.* Repetitur ad summum à filiis & hæredibus quantumuis insontibus lucrum; quod ad ipsos ex delicto patris vel testatoris peruenit; ne turpiter atque ex scelere acqui

quisitum, cedat in illorum compendium, vel per accidens ad inopiam redigantur parentis sui bonis fisco adiudicatis ob crimen maiestatis; sic tamen vt habeant vndè vtcumque viuant. Quod ad pœnas alias, quæ in negatione magis consistunt, quàm in positiua mali alicuius inflictione, potest interdum lex iis subiicere posteros criminosi, quasi ingenium eius participantes; à quibus proindè sibi meritò timet Respublica, & timendo arcet illos à publicis muneribus, 6.q.1.c. quæro, & C.l.quisquis ad l. Iul. maiest. Alia est Dei ratio, cui licet pro summo iure suo temporales quasque parentum pœnas in filiorum capita deriuare, atque vt verbis eius vtar, *visitare peccata patrum in tertiam & quartam generationem*, Exod. 13. Fecit id puniens ciues Sodomæ,& vniuersalis cataclysmi tempore humanum genus. Nempè sicut in filiis viuunt parentes, sic puniri in iis etiam morte possunt, prodestque id plurimùm ad exemplum cæterorum,vt obseruat his verbis Plutarchus: *Vindictam verò, quæ ob maiorum facinora in filios, ac vniuersum debacchatur genus, manifestè aliquando cernimus, quandoquidem multos à sceleribus auertit, ac ne similia audeant, deterret & admonet.* Æternis autem pœnis propter parentes numquam addicit filios Deus,sed obseruat quod ait per Ezechielem cap. decimooctauo. *Anima quæ peccauerit,ipsa morietur.* Quod ad bruta & res inanimatas,nec culpæ sunt capaces,nec pœnæ; quádoque tamen destrui iubetur cum scelerosis,

Deo licet temporales pœnas patrum in filiorum capita deriuare.

Plut. lib. de Sera. Num. Vind.

Bruta destrui iussa.

ad

ad circumstantes magis perterrédos, & maiorem animi detestationem illorum animis ingenerandam. Sic Leuit.20. occidi pecus iubetur quocum quis coierit. Probatissimum Platoni fuit genus hoc seueritatis lib.9.de Legib. & Romæ in canes animaduersum est, quòd adueniente hoste nõ allatrassent, ac si proditioni perfidiæque silentio suo consensisse, ansamque præbuisse viderentur, omnes suspensi sũt. Sed & Athenis lapides, qui cadendo hominem occidissent, exterminabantur, teste Æschine contra Ctesiphontẽ, vt indè ratiocinarentur homines, quantum supplicium maneret ipsos simile quid admittentes, cùm ne inanimatis quidem parceretur. Nec desunt leges, quæ dirui & solo æquari domos iubent, in quibus vel admissa sunt crimina, vel continẽtur quæ criminosorum sunt.

Canes Romæ suspensi.

Lapides exterminati Athenis.

Quid de rebus in bello obseruandis sacri, profaníque authores censuerint.

CAPVT VIII.

§. 1. *Nullum prorsus Bellum facilè suscipiendum.*

2. *Aliquando tamen vt suscipiatur Bellum, iustitia exigit, necessitas cogit.*

3. *Iusti Belli conditiones quæ.*

4. *Ante Bellum quid agendum.*

5. *Ad quid in progressu Belli par est attendere.*
6. *Quid obtenta vel amissa victoria faciendum.*

§. 1. BELLVM, non dico iniustum, sed ne iustum quidem geri absque multis incommodis potest, vt proindè non abs re solis inexpertis dulce appelletur, & ita vocatum sit per antiphrasim, quòd minimè Bellum sit; sicut Parcæ, quòd minimè parcant,& lucus, quòd minimè luceat,& montes quòd minimè moueantur. Quæ quidem incómoda auertendi gratia,optandum planè,vt circumspectus sit Magistratus, ne temerè vllum aggrediatur, & classicum canat, si amat Rempublicam,cuius tutor est & sponsus. Exerceri in quouis solent latrocinia propè infinita, rebus suis spoliari innocentes,præsertim rustici, etiam qui à parte stant deprædantium, mirè perturbatur eadem Respublica, vitam viuit inquietissimam,continuo metu percellitur, cinerem tanquam panem manducat,miscet cum fletu potum suum, lamentis cœlum petit ob mala præsentia, mille odia concipit, mille iacit maledicta in Belli authores, orbatur propriis ciuibus, præda & fabula fit exterorum. sique Bellum Ciuile sit, consurgit pater aduersus filium, perit cum fide beneuolentia mutua.

Bellum vnde dictum.

Non temerè suscipiendū.

Quot trahat incommoda.

Non socer à genero, non hospes ab hospite tutus. Ouid. 1. Meta.

Iacet Dei cultus, impeditur, adulteratur,confunditur, propter quod orant orthodoxi: *Ecclesiæ*

clesia tua quæsumus Domine preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate. Fœliciter propagant dogmata sua hæretici, & in sagenas suas admittunt, comprehenduntque leues corde, velut turbato flumine pisces; facilè item contingit, vt Dynasta vno inuadente alterum, superueniat tertius quidam potentior vtrumque deuorans; sicut iuxta apologum rapuit miluus murem & ranam inter se rixantes, & de paludis certantes imperio: aut rem inter duos controuersam sibi vendicans, sicut summũ sacerdotium eripuit Iulius Cæsar Lutatio Catulo & Isaurico, viris clarissimis, illud ambiẽtibus, illiusq; causa grauiter inter se cõtẽdẽtibus. Nõdum malorũ exitus bello adhærentium; exercitia cessant bonarum artiũ, cessant iudicia forẽsia, & sensim in armis Turcico more ius totum ponitur. *Notũ est,* Valentiniana verba refero, *post fatalem hostium ruinam, qua Italia laborauit, in quibusdam regionibus & Causidicos, & Iudices defuisse hodiè gnaros iuris & legum, aut rarò, aut minimè reperiri.* Quid plura? Nisi auersaretur Deus, quotquot facilè, temerè, leui de causa ad arma prosiliunt, & tales vexari vellet, vt saperent, ac perturbare humanum genus desinerẽt, aliundè satis quietum, nõ oraret Propheta: *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Nempè si viri quique sapientes cum de priuati alicuius nece agitur, non festinandum, sed valdè cunctandum censent, multásque solennitates prærequirũt, vt citationes, dilationes, interrogationes

Plut. in Iulio Cæsare.

In Nouell. Constit.

gationes, commissiones testium mutuas, &c. iuxta illud Poëtæ:

Pone crucem seruo, meruit quo crimine seruus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi, Iuuenal. Sat.6.
Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est.

quantò magis diu multúmque pensitandũ, priusquã ad lanienam veniatur infinitorũ hominũ, ex quibus nunquã redituri ad orcum descẽdunt, qui iniustè Bellum gerunt: atq; vtinã nõ etiam ex reliquis plurimi ob peccata alia, quæ prius expiare neglexerunt? Si tãtum est bonum pacis, vt August. reste, *nihil gratius in terris audiri soleat, nihil desiderabilius cõcupisci, nihil melius inueniri*, restat vt Bellũ ex aduerso res sit miserrima, miniméq; expetibilis, nec facilè credendũ eius suasoribus, cùm sępenumerò inutile sit, infaustum, iuri contrariũ; quod tamen interdũ quidã cum Turno feroci virtute exuperantes, cupiditate incensi prædæ & gloriæ ad propria potius commoda collimantes, quàm Reipublicæ; vel desperabundi propter exhaustam rẽ familiarem, vel minas vindictamque spirantes immodicè vrgent, suadent, suscipiunt. Deplorandus sanè impetus, & mens prosequenda lachrymis iniustæ causæ sibi conscia, pergens; nihilominus sponte furere, & per odiosissimum armorum strepitum immortalitati nomen suum consecrare. Non est hoc munus studentis commodis publicis, cum sit in summum discrimen adducere Rempub. propter incertos exitus, de quibus 2. Reg. 11.

Pax quantũ bonum. S.Aug.l.19. Ciuit.c.11.

Bellum res miserrima.

Varius est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Et apud Thucydidem lib. 1. conc. 3. *Multa malè consultata, eò quòd hostes inconsultiores fuerint, fœliciter euenerunt: & plura quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium euentum relapsa sunt. Nullus enim eadem factis præstat, quæ inter deliberandum sibi promittit: nam consultamus securi; in opere autem cum timore deficimus.* Cum rursus imitari sit Nauclerum insipientem, qui arte moliretur in mari quod nauigat, excitare tempestatem. Expedit propter hæc in dubio interrogare viros iuris diuini humaníque peritissimos, serióque eosdem adiurare, de belli argumento diligenter librato ingenuè vt proferant quod sentiunt, semper ad pacem magis propendere, quàm ad immanes illos strepitus, mediocrem satisfactionem habere ratam; pecunia si opus sit, redimere potentioris hostis ingentem vexationem; Plus enim damni patriæ affert trimestre Bellum, quàm pecuniæ exactio etiam numerosissimæ. *Vbi vinci necesse est, expedit cedere*, & iuxta Christi consilium legatos præmittere, qui rogent quæ pacis sunt. Qui bella declinant, hoc nomine sunt Deo chariores, cui singulariter placuit Salomon, quòd esset pacificus. *Filius*, inquit ad Dauid, *qui nascetur tibi, erit vir quietissimus; faciã eũ requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius. Ipse ædificabit domũ nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem.* Alibi

Consultatio quàm diligens & sedula.

Pecunia redimenda vexatio.

Quint. l. 6. cap. 5.
Luc. 14.

1. Paral. 11.

Alibi sic legimus: *Quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomonem, & Dominus dilexit eum, misitque in manu Nathan Propheta, & vocauit nomen eius amabilis Domino.* Vix denique diligi à populo solet belligerandi cupidus, quia vt similitudo amoris, ita dissimilitudo causa est odij: populus autem pacis auidissimus est; execratur & sustinere vix potest belli nomen vel amatorem, nihil probat, nihil libenter prosequitur plenum periculis, aut quod cum quiete pugnat domestica. 2. Reg. 12.

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoueas, vt trabe Cypria
Mirtoum pauidus nauta secet mare.

Horat. lib. 1. Carm. ode, 1.

Carolus VI. Franciæ Rex adhuc iuuenis defuncto patre Carolo V. veniens Meldas, indeque profecturus Rhemos, vt inauguraretur, libentissimè vidit & contemplatus est instructissimum vrbis illius armamentarium: quod cùm resciuisset populus, ægrè tulit, quasi diuinans fore, vt hic eius Princeps bello delectaretur, & magnis illis calamitatibus aliquando regnum premeret, quæ sunt à bello inseparabiles. Respondit suspicioni euentus, vix sub alio Rege maiores vel etiam pares procellas sensit Gallia, ob continua penè bella & dissidia cum Anglis & Belgis. Indè concludo Prudentiæ specimen dare rectorem populi, si cauet leui de causa pacem interturbare, ne tardius quàm vellet posteà bono eius perfruatur, similis Atheniensibus, qui nunquam

Bellef. in Carolo 6.

Athenienses non nisi pulsati pacem decernebãt.

quam nisi pulsa, hoc est tristes, & post accepta damna grauissima, pacem decernebant.

§. 2. Multa vicissim geri bella iusta, licita, necessaria, & laude digna, indè patet, quòd is in quem nihil vitiosum, nihil censura dignum cadere potest, multa geri iusserit: Pleraque item à viris integerrimis, vt à Iosue, Dauid, Iuda Machabæo suscepta sint, à quibus indubiè abstinuissent, si ex se adiaphora esse non credidissent, bona videlicet vel mala, prout meritò, aut perperam suscipiuntur. Iustum, licitum, necessarium, & laude dignum est, patriam, socios, innocentes defendere, iniurias propulsare, propria iniustè ablata armorum vi ab iis repetere, qui pertinaciter sibi seruant, ac retinent; Huiusmodi autem causæ non raro occurrunt in hac lachrymarum valle, vbi à plerisque miluorum more & accipitrum ex rapto viuitur, quamplurimi de inuadendis iuribus alienis cogitant, de restituendis paucissimi. Abigail prudens solersque fœmina apud se cogitans, quæ & qualia bella Dauid gereret, quo modo innocentem ac fidelem Dei populum tueretur; iuratos autem eius hostes profligaret, infaustum ei nihil à Deo interminata est, sed diuino afflata spiritu

1.Reg. 25. factum collaudans ait: *Faciens faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini Domine mi tu præliaris.* Et vt ipsum in singulari Dei tutela esse ostenderet, adiecit: *Si surrexit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi*

si in fasciculo viuentium apud Dominum tuum. Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu,& circulo fundæ. Nec valet argumentum petitum ab affinitate malitiæ & militiæ; quia vicinitas vocum non necessariò probat vicinitatem rerum, sicut nec contrà: & militia dici potest nomen habere malitiæ finitimum, non quatenus malitia culpam significat; sed quatenus pœnam & laborem.

§. 3. Requiritur autem primò ad belli iustitiam, vt non geratur authoritate priuata, sed publica, seu eius qui legitimè præest toti Reipublicæ. Nam de priuatis illud motu proprio inferentibus ait Dominus: *Qui gladium acceperint, gladio peribunt.* Accipere dicuntur qui sibi vsurpant,vt Petrus in Malchum,cuius amputauit auriculam,& in quem aliàs ius nullum habebat. Alia proindè est Iudicum ratio gladio vtentium:quia,vt scribit B. Paulus, illorum potestas à Deo est, non sine causa gladium portant, vndè non peribunt eo vtentes, quia non abutuntur; alij autem gladio peribunt secundùm dictam legem, & secundùm hanc aliam: *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius:*aut si non peribunt, digni erunt qui pereant. Deindè bellum odiosissima res est propter incommoda, de quibus supra §. 1. Ad talia autem quomodo non requiritur consensus eius, cuius est Rempublicam in pace conseruare?Nōne *quod omnes tāgit approbari ab omnibus debet?* Approbatur autem, quādo Princeps qui repręsētat omnes,instarq;

Bellum non authoritate priuata gerendum.

Matth. 26.

Gen. 9.

l. f. c. de author. prę sid.

est omnium, bellum sancit & ratum habet; cuius gerendi libertas si priuatis concederetur, Deus bone quàm fluctuaret Respublica, quàm continuis motibus laboraret. Concludamus itaque cum S. Augustino: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas atque consilium penes Principem sit.* De supremo Principe loquitur; qui scilicet in ditione sua, superiorem non habet in tẽporalibus, vel eius loco de Magistratu in Aristocratia, aut specie alia Reipublicæ,

S. Aug. l. 20 cont. Faustum c. 7. 5.

Requiritur secundò iustus titulus, seu iusta causa; quæ si desit, nullius consensu aut mandato iustificari bellum poterit, hinc illud ex c. Iulianus 11. q. 3. *Iulianus Imperator quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat, Producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei; cum autem diceret eis, Producite arma in Christianos, tunc cognoscebant Imperatorem cœli,* quia videlicet nulla erat iusta causa impetendi Christianos eo nomine, quòd tales essent; sed tuendi potiùs & fauore prosequendi. Curare non solent præscriptum hoc sanctum Hæretici & infideles à-lij; arripiunt magis occasiones gerendi bellum sibi vtile, nihil interrogantes propter conscientiam, ibique ius comminiscuntur vbi nullum est. Sic lupus bibens ad caput fontis, causabatur sibi aquam turbari ab agno, qui longè infra bibebat. Quam calumniam cùm refutasset agnus ostendens non posse id fieri propter decursum aquæ, intulit lupus: *Quicquid*

Causa iusta belli suscipiendi.

Hæreticorum mos.

quid sit, nunquam hodiè effugies. Impegerunt aliquandò ad hunc lapidem quidam etiam Christiani, hoc est leui nimis de causa, nec satis i.. sta classicum cecinerunt. Guilielmus Angliæ Rex cognomento Acquisitor in mentem induxit Philippi primi Franciæ Regis hortatu & impulsu factum, vt in se rebellaret Robertus eius filius, tantúmque inani huic suspicioni tribuit; vt ingenti coacto exercitu in Galliam venerit, vlturus quam prætendebat iniuriam, obuia quæque incenderit, templa euerterit, occiderit quamplurimos, infantes etiam & sacerdotes; sed quo tandem exitu? quem fructum ex tumultuario bello isto reportauit? Cespitante quo vehebatur equo irruit ventre in ephippij capulum, eoque grauissimè læsus, & quasi perfossus exhalauit animam, per triduum iacuit derelictus, nemine curante eius sepulturam. Delatus tandem est Cadunum (ciuitas est Normandiæ) sed cùm infertur, ecce tibi conflagrare incipiunt ædes aliquot, quasi in pœnam quod illum intra mœnia sua ciues admisissent; ad quod incendium restinguẽdum accurrunt omnes deserto cadauere: nec adhuc posteà defuit rusticus, qui negauit se consensurum in eius sepulturam, quousque ab eius amicis vel hæredibus sibi refunderetur agri pretium, quem ille deuastauerat. Erit fortè qui dicat, Iniustitiam decreti à me belli iam quidem video, & resilirem non illibenter. Sed quid? iam conduxi pretio militem non redditurum repetenti mihi pecuniam. Respondeo,

Bellef. in Philippo.

Guilielmi Regis Angliæ miserãda mors.

quod in re planè simili à Propheta Domini dictum est, 2. Paral. 25. Amasiæ Regi Iuda, qui 100. talenta dederat Iudæis de regno Israel ad gerendum bellum à Deo reprobatum. *Habet Dominus vndè tibi dare possit multò his plura.* Hæc porrò iusta causa, non est illa in bello offensiuo seu aggressiuo (dicamus de isto primum) quam suprà attigi & suggerit carnalis prudentia, ditionis videlicet amplificatio, cuius improbo studio extremam perni-

Isa. 5. ciem denunciat Propheta dicens: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit*

3. Reg. 21. *Dominus exercituum.* Volens Achab Rex vinea Nabuthæ augere propria latifundia, ad bellum profectus telo traiectus occubuit: Iezabel verò vxor eius, quæ opem ad id suam contulerat præcipitata deorsum est, equorumque pedibus conculcata. Quàm abominabilis similiter toti orbi fuerit Alexander Magnus inuadens aliena, testis est Lucanus, vocans illũ:

Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret populos, pariterque & sydus iniquum
Gentibus.

Cicero l. 3. de Repub. *Pyrata audax responsum.* Vndè interrogans adductum ad se pyratam, quid ei videretur, vt mare haberet infestum; responsum accepit libera contumacia: *Quid tibi vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator.* Dicamus potius iusta causa niti bellum offen-

offensiuum, cum instruitur ad recuperandas res proprias iniustè ablatas aut retentas; vel ad puniendos rebelles subditos, vel ad vindicandam iniuriam grauem & manifestam Reipublicæ illatam, aut eius Magistratui (nam leuem contemni ab eo decet qui generosus sit veréque nobilis & Christianus) obscura autem vel dubia ius non tribuit belligerandi, cum prius conuincendus sit reus quàm puniendus. Habet hæc ratio tres partes perspicua ratione subnixas. Siquidem quod ad recuperationem illam postulat iustitia, vt possideat quilibet quod suum est, cui legi cum obstet, qui alienum sine iusto titulo vsurpauit ac retinet, concedit hæc ipsa virtus, & potestatem facit, vi ab eo auferendi. Quod ad rebelles, constat iis deberi supplicia propter admissum scelus; aliàs Moyses vir longè mitissimus nunquam animaduertisset in Core, Dathan, & Abyron in se insurgentes; animaduertit autem seuerissimè, tametsi videri vellent tueri ius libertatemque populi: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quod ad eos, qui iniuriam damnumve intulerunt Reipublicæ, vel eius Magistratui, ideò ad materiam vindictæ bellique iusti pertinent, quòd ex hypothesi nō possunt aliter quàm bello puniri, nec ab alio quàm eiusmodi magistratu: expedit autē vt puniantur, ne vltrà insolescāt,

Be lum iustum quod.

In rebelles.

Num. 16.

cauent verò puniti insolescere. Subditis quia priuati sunt, vindicare non licet acceptas iniurias, cum principem habeant vel eius loco Iudicem, ad quem recurrere debent, ne quicquam temerè in causa propria decernant; ipsi autem Principi seu Magistratui licet contraria de causa, hoc est; quia superiorem non habet.

Ex his manifestum relinquitur, iustum fuisse bellum Abrahæ Gen. 14. quando cum 318. vernaculis insecutus est exploratores Sodomæ, & Loth nepotem suum iniustè abdu-ctum armorum vi repetiit. Item bellum filiorum Israel contra Amorrhæos, à quibus impetrare nequiuerant transitum sibi debitum iure gentium. Num. 21. Item bellum Regis Ioram contra Moab nolentem sibi pendere tributum iustum, ad quod tenebatur 4. Reg. 3. Item bellum totius Israel contra tribum Beniamin, & vrbem Gabaa, quia tradere nolebant, sed nequiter defendebant eos, qui Leuitæ vxorem horrendo libidinis furore occiderant. Iud. 20. Item bellum Dauid contra Syriam Damasci, eo quod Syri ferendo suppetias hosti eius Regi Adarezer, iniuria & damno ipsum affecerant. 2. Reg. 8. Item bellum eiusdẽ contra Regem Ammonitarum, qui eius legatis barbam per ludibrium vestesque raserat 2. Reg. 10. Bellũ denique Christianorum cõtra infideles, qui vel terrã sanctã & alias nullo iure à se subactas vi detinent, vel Cócionatoribus Cathol. iniurij sunt saluberrimã Euãgelij lucẽ in ditiones illorũ inferre conátibus obte-

obtectas caligine. Cuius Euangelij liberè promulgandi, licet non adigendi vi aliquem ad illud amplectendum, cum à Christo, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, ius licentiamque acceperint, dicente: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, iniuriam vtique cum eodem patiuntur, quoties legitimo iure sibi concesso prohibentur vti. Marc. 14.

Quod si bellum sit defensiuum, tunc iustè suscipitur, cùm refertur merè ad propulsandam vim illatam Reipublicæ, vel iam iam inferendam. Hinc contra Antiochum iniustum inuasorem terræ Israel, pro libertate sua & legibus, & veri Dei cultu in tot bella incubuerunt Machabæi. Dixi vel iam iam inferendam; quia si iniusto inuasori resisti non potest, nisi impetum eius præueniendo, omninò licet preuenire; eritque Bellum aduersus illum reipsa aggressiuum; sed moraliter defensiuum, vt docet Sylu. V. Bellum 2. n. 2. *Bellum defensiuum.*

Vt numeris suis constet hic §. adiicienda sunt quæ sequuntur. Primùm, socij seu confœderati loco sunt Reipublicæ, propter vnionem seu coniunctionem, quam eis fœdus cōciliat. Sicut ergo Reipublicæ pro se licet in casibus supra expressis bellum gerere, ita omninò pro sociis. Hoc sensu 3. Reg. 22. dicit Iosaphat Rex Iuda ad Regem Israel. *Sicut ego sum, ita & tu, populus tuus & populus meus vnum sunt, & equites mei equites tui.* Ne tamen subrepat error, ita distinguamus, Aut sociorum ius dubium & obscurum est, aut manifestum, *Socij loco Reipublicæ.*

aut euidenter nullum. Si primum, adiuuari possunt ac etiam debent in Bello defensiuo, quia tunc melior est illorum conditio. Si secundum, multò magis. Si tertium, nihil tentandum est illorum gratia, nec iuramentum ferendi eis suppetias vim aliquam obligandi habere in hoc casu potest, cum vinculum esse non debeat iniquitatis. c. non est obligatorium, de regul.iuris & l. Iuris gentium §.si paciscar ff. de pactis. Iniquitas autem est aduersus eum, qui certò scitur innocens, pro sociis arma capessere, quibus proindè dicere præstat hoc efflagitantibus: *Prima lex amicitiæ est, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati*, & pactum initum de mutuis ferendis auxiliis intelligendum cum exceptione, si nec iniusta sit causa belli nec turpis. Secundum, innocenti populo aliàs non confœderato præbendum est auxilium, si præberi commodè potest, seu citra graue detrimentum. Dictat hoc diuina lex Ps. 81. *Egenum & pauperem de manu peccatoris liberate*, & naturalis iubens aliis, vt faciamus quod nobis fieri volumus, & ciuilis l.cum seruus ff.de seruis, vbi dicitur, *quòd homo homini officium debeat*. Adest præterea exemplum Abrahæ, qui vt suprà vidimus, ad arma confugit & milites, repetiturus vi ab hostibus Loth innocentem, à quibus abducebatur: Exemplũ item Moysis, qui videns virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis, percussit, id est, occidit, illum & abscondit sabulo. Accedit ratio, quod licet innocens non

Cicero in Lælio.

Gen. 14.

Exod. 2.

non sit fortè nobis confœderatus peculiari fœdere, est tamen communi. adeò vt proximus & frater noster appelletur in sacris paginis, cui sanè communi societati satisfacere . . dicemur, nisi patrocinio ei simus opera nostra indigenti. Estque id verum, non modo si expressè tutelam nostram accersat & flagitet, vt flagitauit Ioram Rex Israel à Iosaphat Rege Iuda aduersus Masan Regem Moab 4. Reg. 3. sed etiam si præsumatur tacitè postulare. Nam nec Abraham à Loth rogatus expressè fuerat, nec à Iudæo illo Moyses, cuius occidit hostem. Alia fuit Petri ratio gladium exerentis, vt innocentissimum Christum defenderet, ob idque obiurgati; tum quia sciebat & scire poterat ratum fuisse Christo mortem oppetere, qui idcircò ne tacitè quidem alienam opem implorabat: sed magis volebat supprimi, idque clarissimè docet illa eius sententia: *Mitte gladium tuum in vaginam suam; calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* tum quia contentus esse non debuit consensu tacito, cum daretur occasio habendi expressum: de expresso autem Christum non interrogauit; vel si interrogauit, responsum non expectauit, quippè cùm dixisset: *Domine si percutimus in gladio?* Mox percussit seruum principis sacerdotum. Adde, quòd Christus nec illius, nec alterius cuiusque opera indiguerit, qui omnes verbo vno in terram prostrauerat, eodémque interficere millies poterat, quique dixit: *An putas quia non possum rogare patrem,* &

Petrus exerens gladiũ cur obiurgatus.

Ioan. 18.

Luc. 22.

Matth. 26.

& exhibebit mihi modo plusquam 12. legiones Angelorum? Expostulanti contra te, quòd aduersus illum susceperis innocentis patrocinium, dicentique te nulla ab eo affectũ iniuria, propter quã insurgere debueris; idẽ respõde quod rusticus accipitri retibus intercepto, dũ insontẽ columbã insequerètur. Accipitris verba fuere, *nihil te læsi, cur me irretiisti?* Rustici autẽ, *nec ista te læserat, quam tamẽ ad internecionẽ vsque persequebaris; meritò per eadem puniris, per quæ deliquisti.* Tertium, si Respublica post seriam consultationem de iustitia causę seu belli inferendi, & aliquem de possessione sua eiiciendi, nihil certi possit inferre, non ei licere videtur ad arma prosilire, seu illum de possessione sua deturbare, cùm in dubio melior conditio sit eius qui possidet; sed secundum Couar. in regul. Possessor p. 2. §.7.n.4. non vetabitur oratores suos ad illum mittere, vt eruatur rei veritas: quos si nolit admittere, hoc ipso irrogabit mittenti iniuriam, & suspectam reddet causam, fidemque propriam; ob idque poterit ille in eum vires suas conuertere. Quod si iure dubio stante res, seu ditio à neutra adhuc parte possidetur; tunc vna oppugnare non poterit alteram ad totam obtinendam, sed partem duntaxat æqualem vel inæqualem, prout par vel impar ius ad illam habuerit, vt docet Gregor. à Valentia tom. 3. disp. 3. q. 16. p. 2. Quartum, si iustum quidem bellum geritur, sed intentione mala, v. g. fundendi humanum sanguinem, nocendi hosti, indulgen-

Iure dubio stante quid.

di concepto in eum odio, &c. corrigendus prius erit prauus hic animus, quàm initium bello detur, iuxta doctrinam S. Auguſt. *Cupiditas vlciſcendi, crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ iure in bello culpantur.* Si tamen non corrigatur, nulla idcirco reſultabit obligatio reſtituendi damnum, quod ex bello ſequetur. Quintum, ſi ex eodem ſeu offenſiuo, ſeu defenſiuo maior pernicies, quàm vtilitas profectura ſentiatur, vt fit, v. g. quando tam potens eſt aduerſarius, vt ſpes nulla affulgeat vincendi eum, tunc iuuerit à bello abſtinere, & cum hoſte conuenire minori detrimento, quàm ſit Reipublicæ ſeruitus ac deuaſtatio. Nam ſimiliter ſecundùm iura non tenetur, aut debet tutor pupilli ſui ius proſequi, quando eius proſecutio maiores ſumptus poſt ſe relictura eſt, quàm lucrum. Id ſi fieri non poteſt, vt contingit quando hoſtis ille multò potentior nec pecuniam, nec aliquid aliud vult in vexationis iniquæ redemptionem admittere, obiici ei poterunt forti animo, & cum Spe diuini præſidij vires omnes, vt experiatur, quàm periculoſa ſit deſperatio, & iniuſtè oppugnata vrſæ ſimilis, quæ ſæuit in ſaltu raptis catulis. Exemplum erroris huius ſanè luctuoſum, belli inquam geſti, ex quo maius detrimentum ſecutum eſt, quàm vtilitas ſequi parta etiam qualicumque victoria valuerit, ſumi poteſt ex facto & conſilio, quod nō tam concepit Franciſcus ipſe I.

S. Aug. lib. 22. cont. Fauſtum c. 74. & 75.

Gal

Bellef. in Franc. 1.

Galliarum Rex, quàm ei ſuggeſtum eſt à nonnullis plus ſapientibus quæ mundi ſunt, quàm quæ Dei. Diſſidebat ille grauiter cum Imperatore Carolo V. cúmque in Italiam aduerſus illum copias ſuas vellet tranſmittere, à Carolo Sabaudiæ Duce tranſitum petiit, quem cum negaſſet Dux, inquiens fœdus ſibi eſſe cum Imperatore, ſe ſacri Imperij Principem à gradu ſuo facilè deiectum iri, ſi aliquid Cæſareæ maieſtati contrarium concederet: offenſus Rex ſatis indicauit in animo ſibi eſſe, repulſam hanc vindicare. Quid hîc Dux faciat? Cóſcribit militem, partim vt ſe ſuoſque tueatur, ſi fortè in ditionem ſuam irrumpat exercitus Gallicus; partim vt Geneuam, quæ paulò antè nouæ religionis œſtro percita rebellauerat, ſub iugum mittat. Non defuerunt qui Regi ad aurem dicerent, proſtare occaſionem Bello quodam defenſiuo potius quàm aggreſſiuo creandi Duci negotium, moleſtiamque grauiſſimam, & ſic iniuriam vlciſcendi, quæ illata ab eo prætendebatur. Suſcipiat ſua Maieſtas, inquiunt, Geneuæ patrocinium, mittat eò ſelectos milites, qui repugnando Ducis conatus reddant irritos, obſtentque ne optata vrbe potiatur. Dictum factum. Miſit eo Rencium de Cery, militaris artis peritiſſimũ, multiſque copiis præpoſitum, qui dimicando fortiſſimè tandem coegit Ducem ſeſe ad ſua recipere, deque manu eius capiendam alias ciuitatem, ſentinam nidumque Caluinianæ perfidiæ, & lernam malorum, liberauit. Quod ſi

Geneua qua ex cauſa patrocinium habuit à Rege.

non

non fecisset, elisa fuisset in semine suo nequitia, stirpitus euulsa radix, quæ innumeros lethales ramos fructusque incipiebat producere. Itum esset obuiam tot erroribus, qui inde prodierunt, & consultum Catholicæ fidei diuinoque cultui, cui infamis cloaca illa detrimentum non paruum attulit; & auersæ ingentes illæ procellæ, quibus ex eo tempore agitari & fluctuare Europa, in primis autem Gallia ipsa non destitit. Rencius porrò biennio pòst miserrimè fecit viuendi finem. Com- *Rencij mors misera.* morabatur in arce quadam sua non procul ab vrbe Roma, cùm vocauit ad se nobiles aliquot Italos, vt venatione cum illis post lautum prandium, relaxaret animum. Incidit venando in capram Syluestrem, quam toto impetu insequens optimo vectus equo ad fossam peruenit, in qua hærebat præda cum canibus, equumque eo sese inferre nolentem adegit fortissimè calcaribus, qui mox in pedes sese attollēs resupinus in eum corruit, & oppressum interfecit.

§.4. Priusquam Bello detur initium, de illius iure certò constet necesse est, quod vt iam semel dictum sit, denuò tamen iuuat inculcare. Inuitus ad arma fertur vir bonus, vti Deus ad supplicia infligenda, non se sinit in transuersum agi desiderio improbo dilatandi fines suos, & adiectione commendandi nomen suum posteris. A S. Ba- In Const. silio didicit, quòd *Bellum vltroneum sibi ac-* cap. 4. *cersere, absurdissimum est.* Si non sustinet. Quint. lib. 12. c. 7.

Quinti

Princeps non sit supremus, quò felicius res sibi cadent, eò modestia & circumspectione indigebit ampliore, qua apud supremum dissipet suspitiones omnes affectati principatus vel affectandi. Scio, quicquid faciat, interdum non valebit omnes dissipare, vt non potuit Dauid apud Regem Saul, nec Bellissarius apud Iustinianum Imperatorem, cuius mandato post deuictos Persas in Oriente, Gothos in Italia, VVandalos in Africa cum Gilismere eorum Rege, crudeliter est excæcatus; nec nostro seculo, id est anno 1552. Mustapha apud patrem Solymanum Turcarum Regem, qui inuidens gloriæ ipsius redeuntis è Perside, vbi de Persis magnificè triumphauerat, infœlicem natum iussit à septem mutis strangulari. Contra tamen sæpè hoc modo obuiam illis ibit. *Dauid, Bellissarius & Mustapha, inuidia vexati.*

Expediatne Principem ipsum bello interesse, authoribus, qui de bello aut Republica ex instituto scripserunt, vel scripturi sunt, disputandum relinquo. Sufficit dicere, tunc maximè si vnquam, præsentiam ipsius esse necessariam, cùm inter primarios tanta exoritur æmulatio, vt periculũ sit, ne vno præposito cæteris in belli totius administratione, in eo perfidè versentur cæteri, aut retrocedant congressus tempore. Simili periculo vt occurreret Carolus VI. Franciæ Rex in conflictu cõtra Belgas descendit in prælium & ducem egit, cùm natus esset annos tantum quatuordecim. Tunc contrà, minimè consultum

videtur vt adsit, quando aut prole caret, aut periculū est ne occumbente illo, valdè perturbetur Respublica. Hinc verba illa populi ad Dauid 2. Reg. 18. *Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: tu vnus pro decē millibus computaris.* Aliud longè exploratius est, excludendos ab exercitu facinorosos quoad commodè fieri poterit, ne præsentia sua illum inficiant, & iram Dei potius quàm fauorem è cœlo deducant, sicut & Achan, qui eousque sacrilegio suo turbauit

Iof. 7. castra Israel, vt diceret Dominus: *Non poterit Israel stare ante hostes suos, quia pollutus est anathemate. Non ero vltrà vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Vnius iusti gratia multos plerúmque seruat Deus, Genes. 19. *Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos, dimittam omni loco propter eos.* Ita vnius nequitia exitio sæpè est sociis, Num. 16. *Recedite à*

1. Reg. 15. *tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Et, *Recede ab Amalech, ne inuoluam te cum eo.* Et rursus: *O Rex ne egrediatur tecum*

2. Par. 25. *exercitus Israel, quia non est Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim.* Deum item valdè indignatum fuisse legimus Asæ Regi Iuda, eò quòd ad tuendū sese cōtra Basan Regē Israel,

2. Par. 16. cōduxisset infideles. *Quia habuisti fiduciā in Rege Syriæ, & non in Domino, idcirco euasit exercitus Regis Syriæ de manu tua. Nonne Æthiopes & Lybies multò plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cū Domino credidisses, tradidit*

didit in manu tua. Et infrà: *Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tēpore aduersū te bella consurgent.* Nihilò minùs excludenda scorta sunt & fœminæ aliæ, quia illarum vsu fletuque militare robur frangitur. *Sardiani,* ait Plutarchus, *castris positis circa mœnia Smyrnaorū, legatos miserunt, se nō antè discessuros, quàm Smyrnai vxores suas eis ad coitū concessissent. Tū Smyrnai necessitate adacti non vxores quidē, sed ancillas miserunt vestitu liberali, quarū congressu defatigati Sardiani & somno obruti capti sunt.* De Scortorū vsu & deliciis loquens T. Liuius ait: *Hæ deliciæ Capuæ Annibalis copias eneruarunt.*

§. 5. Sicut seuerè adigendi sunt milites ad obseruationē disciplinæ militaris, ita omninò laborandū, vt fideliter & suo tēpore numerētur eis promissa stipendia (ex quibus quicquid sibi retinent qui præsunt, restitutioni est obnoxiū, reos facit peculatus, indelebilē inurit notā auaritiæ) & cōuehatur annona diligenter. Quod quia tunc præcipuè obseruatur, quando aut præsens est ipse Princeps, aut non procul abest, optandū valdè, vt nō procul versetur. Accedit, quòd tūc Chiliarchæ & cæteri longè vigilātiùs in officio sunt, in hostē milites cōfidentiùs insiliunt, eo vidente pro quo decertant, in quo totius Reipublicæ salus & maiestas periclitatur; à quo denique virtutis laudē expectant & præmiū; sollicitiùs pro victoria Deo supplicatur, magis discit Princeps, quanta sit belli calamitas, quàm cautè id suscipiendum, quanti pax facienda, & strenui

Stipendia numeranda suo tempore.

milites æstimandi: magis denique diligitur, quia magis vitam suam exponit pro Republica, 1. Reg. 18. *Omnis Israel & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos*, & nescio quo modo magis Deus cócurrit. Vndè cùm Carolus V. & VI. Franciæ Reges vix vnquã de Anglo triumphauerint, cum quo per suos tantùm bella gerebant: Carolus VII. contrà semper præsens, intra annum & dies sex eripuit eis Normandiam totam, Prouinciam vastissimam, præsidiisque munitissimam. Confert in primis ante conflictum per sacram exomologesim expiari milites; quia nihil dubium, quin multò alacrius pugnaturi sint expiati, seu quando conscientiam suam verisimiliter piéque credent in tuto positam, & ab omni grauiori culpâ liberam; cuius reatu reformidant futurum Iudicem, & pœnas illas æternas, in quas statim post obitum ruunt, qui ad futurum sæculum sine expiatione transeunt: & quia reformidant, mortem refugiunt mortisque pericula, aut frigidè aggrediuntur. Cófert præterea instante pugna aliter quoque iisdem animum addere; hoc est, non pæana canendo; sed proposita causæ æquitate, cœlestisque magnitudine præmij, de quo Apostolus, 2. Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Et infrà: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Repositam dixit

Confessio ante præliũ.

Animus quomodo addendus.

dixit, quia non solùm causam iustam pro-pugnauerat; sed propter Deum id fecerat, cui placent tutores iustitiæ. Si præsidio sint innocentibus; si in re iusta amicis opitulentur, si laboranti patriæ opem præstent. Huius generis erat illa Machabæi ad suos adhortatio, non petita à sola gloria seculi, à spe prædæ & manubiorum; aut eiusmodi aliis, quæ gentes inquirunt; sed à necessitate, ab officio pugnandi fortiter vi sacramenti præstiti & accepti stipendij, à diuino auxilio, à causæ sanctitate. *O filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum. Mementote operum quæ fecerunt in generationibus suis; & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Isti veniũt ad nos in multitudine cõtumaci & superbia; nos verò pugnabimus pro animabus, & legibus nostris; & Dominus conteret eos ante faciem nostram.* Orans autem addebat: *Et tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui; & metuant qui cum blasphemia veniunt aduersum sanctum populum tuum.* Inter complures partes disciplinę militaris admonendi seuerè milites sunt, ne Reipublicæ rusticos lædant, pro qua decertant. Eleganter Plato l. 2. de Rep. *milites, ait similes esse debere cani generoso, qui aduersus familiares & notos mitissimus est; contra verò aduersus fures & ignotos.*

1. Mach. 2. & 3.

Adhortatio ad pugnam.

Oratio.

Si pugnandum sit cum hostibus antè con-

flictum vociferari solitis, moris est aut vicissim clamores in cœlũ tollere, aut milites falsẽ admonere, nihil esse cur clamoribus illis terreantur, cum validiores non reddant hostes, & sint tantũ ad perterrefaciendum comparati, ac pusilli potius argumenta animi, quàm fortis & strenui, iuxta Parœmiam: *Canes timidiusculi plus latrant, quàm mordent.*

Veterani miscendi tyronibus. Tyronibus, infirmioribúsque militibus vtilissimè admiscentur veterani, quorum exẽplo discant certandi artẽ, ardorémque concipiant. Apud Homerũ Nestor imbecilliores in medio collocat, & Orator prudens infirmiora argumenta, nec prima ponit nec vltimà; sed media, cauétque diligenter à melioribus ad deteriora procedere. *Ne à potentissimis*, inquit Quintilianus, *ad leuissima decrescat oratio.* Vtiliter quoque admonentur, vt prius studeãt nõ lædi quàm lædere. *In armorũ ratione antiquior cauẽdi, quàm ictum inferendi est cura.*

Quint. lib. 5. cap. 12.

Idem lib. 4. cap. 2.

Peritissimi more sagitarij statim scopũ ferientis bello finem imponit Dux optimus quã potest citissimè, ne miseros subditos põdus eius sustinentes, & clamantes in cœlum ob procrastinationem lento adurat igne. Pari profectò passu ambulant, & in eadem damnatione sunt Iudex, medicus, & belli administrator; si primus causarum forensium decisionem, secundus infirmorum curationem, tertius belli finem tam multos prementis, & ad desperationem penè redigentis, producat æquo longiùs, tenentúrque omnes ad reparationem

Similitudo.

tionẽ superfluorũ sumptuum. Imò tertij tantò maior est culpa, quantò plures grauãtur oscitantia eius & indiligẽtia. Scribuntur plurima in laudẽ Q. Cincinnatis; sed illud instar omniũ, quòd ab aratro ad belli Romani vocatus administrationẽ, intra dies plus minus quindecim rẽ totã perfecerit, hostes profligauerit, vrbi pacem attulerit, & ad stiuam redierit quam reliquerat.

Q. Cincinnatus.

Idẽ in vrbis obsidione singularẽ gerit curã obsessorũ, qui meritò præsumuntur innocentes, hoc est, puerorũ, mulierum, senũ, & sacerdotũ, edicitque suis, ne in tales gladium furorémque conuertant. Ante partã omninò victoriã, omniáque in tuto constituta; milites nõ sinit in prædã sese effundere, cuius præcox, inordinata, intẽpestiua cupiditas de cõpluriũ manibus illã eripuit, vel in suis ordinibus cogit stare; vel cùm ita expedit, immittit in fugientes. Nã etiã hoc modo arripienda est rei benè gerendæ occasio, cuius prætermissionẽ risit aliquando in Pompeio subsistente Cæsar fugiens, dixitque: *Hodie penes hostes erat victoria; at non habent Ducem, qui victoria norit vti.* Partam autem victoriam nec industriæ ascribit suæ, nec copiis, sed omnipotenti Deo, qui idcircò Dominus Sabaoth seu exercituum dicitur, quòd bello præsit, & cui vult, victoriam largiatur: *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* Et, *Dominus non secundùm armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.*

In direptione vrbis qua seruãda.

1. Mich. 3.

2. Mach. 15.

Cantat eidem ex animo, *Te Deum laudamus*, &c. in actioné gratiarum, & exemplo Iudithæ non suam, sed eius appellat victoriam. Sic e-
Iudith. 13. nim Heroina illa sancta loquebatur: *Per manũ fœminæ percussit illum Dominus Deus noster, & reuocauit me gaudentem in victoria sua.* Idem antè illam fecit Moyses, Deum semper agnouit mirabilium, quæ diuersis præliis gessit po-
Deut. 32. pulus: *Quomodò*, inquit, *persequebatur vnus mille, & duo decem millia? Nonne ideò quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Addit autem ideò Deum negare sæpè victoriam præliantibus, quòd futurum præsentiat, vt indè superbiant, & se virtute duntaxat pro-
Ibid. pria credant euasisse superiores. *Propter iram inimicorum distuli* (sic eum inducit loquentem) *ne fortè superbirent hostes eorum & dicerent: Manus nostra excelsa, & nõ Dominus, fecit hac omnia.* Curat prætereà curari gratis læsos milites quibus præest, sique strenuè in bello versati vulnus acceperunt, quo ad victum sibi posthac comparandum, reddantur inepti, siue ex membri ad id necessarij luxatione siue amputatione, consulit iis in futurum. Quod quia non sperant fortes valdè multi, pugnare detrectant, nõ detrectaturi si sperarent. Parta aut amissa victoria, si adhuc milites valdè sint necessarij, non facilè concedit illis etiam postulantibus discedendi facultaté, ne citò cogatur maximis sumptibus nouos conscribere, & deducere. Vicissim quando iis ampliùs non valdè indigebit, non se præbebit in hac parte

admo

admodum difficilem, ne difficultas eam impetrandi occasio sit, ne milites nolint ad militiam accedere. Id denique cauet, ne quibus hostibus victor semel vitam dederit, posteà auferat: *Tigrim narrant, quo tempore diatã certam præstituerat obiecto hœdo, cùm quo aliquam iam consuetudinem habuerat, biduum totum abstinuisse; tertio die esurientẽ postulauisse aliud, felémque datum discerpsisse, cùm hœdo ceu domestico iam & familiari parceret.* Sed & attendit, ne vspiam videatur deuictis hostibus, ingenuis præsertim & nobilibus insultare; miseretur eorum potius humanæ conditionis memor, & mœstos per se, vel suos consolatur, nisi fortè illi pergant insolescere, tunc sanè digni futuri, qui tractentur asperiùs; vt damno suo sensit Baiasithus Turcarum Rex; quem in bello captum cùm ad se adduci iussisset Tamerlanus Tartarorum Imperator, & iuxta se in throno magnifico cõsidere fecisset, interrogauit modestè, & adiurauit per magnanimitatẽ, Geniũque principis, apertè diceret quid sibi deuicto, si fortè ipse reportasset victoriam, facere decreuisset. Respondit mox superbè Baiasithus, adductóque supercilio; *Ratum mihi erat, mittere te in caueam ferream, cum ludibrio per loca omnia circumducere, & ad conscendendũ equũ dorso tuo quasi scabello vti.* Tamerlanus vicissim n iram assurgens, nec tantum fastum ferre ustinens: *Ex ore tuo iudico te*, inquit, *idem lanè superbia crudelitásque tua sentiet, quod mihi estinauerat.*

Plut. lib. de industr. an.

Chalcocondylus. l. 3.

Baiasithus imprudens sibi sententiam dicit.

Subacto item hoste non idcirco tuta credit omnia, non indormit: nam reuerà

Claud. de 4. Hon. Consula.

——multis damnosa fuere
Gaudia, dispersi pereunt, somnoque soluti:
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.

Fiducia non absimili periisse Rutulos, testis est Virgilius lib. 9.

——passim vino, somnoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos littore currus
Inter lora, rotásque viros, simul arma iacere.

Votum soluendum.

Si denique ad impetrandam à Deo victoriam rationabili voto aliquo sese obstrinxit, quod certè facere admodum laude dignum est & vtilissimum; prima occasione magnáque fide ei satisfacit, exemplo Clodouæi Fráciæ Regis deuictis Alemannis. Religioni siquidem Christianæ fideliter redux nomen dedit, & à S. Rhemigio baptizatus est, iuxta votum, quod ea de re in prælio illo periculosissimo mente conceperat.

De Prudentia circa Fœdera.

CAPVT IX.

§. 1. *Nunquam, aut rarò ferienda fœdera cum Infidelibus.*
2. *Contra fœderatos nihil mala fide agendum.*
3. *A fœdere abstinendum, quod vinculum sit iniquitatis.*

§. 1.

§. 1. FAMILIARE vel Sacris paginis, fidelibus interdicere fœdere cum infidelibus, Exod. 23. *Non inibis cum iis fœdus, nec cum Diis eorum.* Et cap. 34. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Et Deut. 7. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis eorum, nec miscebis cum eis coniugia.* Addit B. Paulus 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autẽ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quibus certè verbis non coniugia sola, sed quascumque etiam arctas cum illis familiaritates prohibet tanquã periculosas. Aut enim morum & sermonum suorum profanorũ contagio fideles inficiunt, quibuscum vi iuncti fœderis versantur, & consuetudinem habent; non secus atque: *Fœdera interdicta cũ infidelibus.*

Dum spectant lippos, oculi læduntur & ipsi,
Multáque corporibus trãsitione nocent. Ouid. l. 2. de remed.

Aut insolescunt admissi, tumultuantur, accipere legẽ nolunt; sed dare, & vbique præferri (ericio similes, qui vt habet apologus, hospitio susceptus à Vipera, cœpit ei se affricare familiariter, quæ se sentiens spinis eius grauissimè lædi, rogauit vt discederet. Enimuerò impetrare nunquam potuit, sed responsum accepit: *Exeat qui hîc habitare non potest,* atque ita coacta est loco cedere) aut iræ Dei iam per se obnoxij, fideles quoque ipsos faciunt obnoxios quasi vnos eosdem secum: atque hinc illud Iehu ad Iosaphat Regem Iuda.

Impio

2. Par. 19. *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Dei merebaris*, &c. aut denique perfidia sua circumueniunt innocentes, metiuntur omnia suo commodo:

Iuuenal. Sat. 3. *Quantū quisque sua nummorum continet arca, Tantum habet & fidei.*

Dant bona verba, promissionibus sunt locupletes; sed quid mente gerant, loquuntur opera, non sine damno sociorum, quorum serà sapientia ad hoc solum prodest, vt instruant cæteros, ne tales sibi quærant, quibus manus dent societatis. Hocce damno alieno cauta olim facta Vulpes à Leone ad se inuisendum inuitata; nihil esse cur sibi timeret, animalia cætera venisse iampridem salutatum: Respōdit: non possum non metuere, cum ex iis nulla videam à te redire.

Horat. l. 1. ——*me vestigia terrent Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.*

Elizabetha Regina & Caluinistarū in Anglia caput, vt falsam colebat fidem, ita Carolo IX. & Henrico III. Franciæ Regibus sub specie fœderis persæpè fucum fecit occultè patrocinando subditis in eos rebellantibus. Mahumetus II. imperij sui amplificandi cupidissimus, nec ferrre valens deesse ambitiōni suæ vnā Constantinopolim, potentia, splendore, sitúque toto orbe celeberrimam, oppugnare illā aggressus est, reipsaque expugnauit quadragesimoquarto obsidionis die, qui fuit quartus antè Cal. Iulij 1453. Cúmque de fœdere

Constantinopolis oppugnata.

dere admoneretur, respondit: illud non secum, sed cū Amuratho antecessore suo ictum nihil ad se pertinere; quasi verò pacta non etiam cū posteris in persona præsentium celebrentur. Eidem Mahumeto II. (interiectis Baiazeto II. & Selymo) successit Solymannus, cuius copias cùm accersiuisset Franciscus I. Galliæ Rex ea spe & cautela, vt in Galliam pedē non inferrent absque expresso Regis mandato; sed in mediterraneo mari subsisterent propè Massiliam, vtque iussæ discedere statim discederent, nec molestiā cuiquam afferrent; non ita multò pòst in concordiam venit cum Imperatore Carolo V. qua confirmata copiis illis peregrinis donatis promissa pecunia mādatum dedit rectà ad suos reuertendi; illæ autem oberrantes per oram totam Italiæ, diripuerunt, vastarunt, depopulati sunt omnia; onerarunt captiuis quotquot habebant naues, ita vt illorum aduocationem execrationibus & maledictis prouincia illa tota prosequeretur. Solymannum sequutus Selymus Veneros numerabat inter confœderatos, quibus nihilominus perfidè Cyprum abstulit anno 1573. miræ fertilitatis insulam, & omnium rerum ad humanos vsus copiosissimam. Cumque emporium insulæ præcipuum, quod olim Salamina, siue Constantia, hodiè Famagusta dicitur, oppugnasset per menses 11. ac tandem se dedere coegisset, & M. Antonio Bragadino strenuissimo vrbis præfecto iurasset se eius vitæ parciturum; vix illum in potestate habuit,

Turcarum crudelitas.

Cyprus à Venetis ablata.

Bragadinus quàm crudeliter occisus.

habuit, cùm innumeris affecit ludibriis, & per incredibilia tormenta coegit ex hac vita discedere: inter alia ter ceruicem præcidendam iusso porrigere aures & nares amputauit, & pellem viuo detraxit. En tibi fidē ingeniúmque infidelium, dignum scilicet quibus multum credatur, quorum societas ambiatur. Rarissima sanè est vera necessitas, quæ Christianos meritò cogat id facere, videndúmque est, ne dum talium ope mala quædam à ceruicibus nostris studemus auertere, proruamus in grauiora, & famæ iacturam faciamus & conscientiæ, aut cum publico detrimento quæramus priuato remedium.

§. 2. Nemo est, qui si tutelæ se commiserit fœderati, non mali consulat inuadi ab eo terras suas quasi affecto iniuria, quòd eo nescio fecerit cum hoste amicitias. Quæ enim iniuria, inquiet? an rebus meis consulendo via pacis idcircò res tuas feci deteriores? An ea mente fœdus tecum ferij, vt non liceret mihi quouis tempore rebus meis attendere? Et cum nihil tale sit expressum aut subauditum, cùm nihil in te peccauerim, prodis fidem tuam malam, quando fis de socio direptor, de tutore spoliator, de amico aduersarius. Est itaque cur, quod sibi fieri nollet, alteri non faciat, quisquis cum aliis in fœdus coire cogitat. Sufficiat si præstent quæ sponderunt, non quærat in scirpo nodū; tollat quod suū est & vadat; de reliquo intelligat iis integrum esse quod volunt facere, indebitum nihil

nihil extorqueat prætextu fœderis & societatis: meminerit sententiæ iuris in cap. ex parte, titulo de priuil. *confœderatio non inducit subiectionem, nec dat iurisdictionem vllam & potestatem collectas colligendi.* Recogitet, quàm male audierint apud complures Romani, quòd sub specie societatis iugo suo presserint Latinos, Achæos, Samnites, nec tam sociorum ingenium, quàm Dominorum in seruos induerint. Latinorum pecuniis arma, classes, atque exercitus comparabant, ipsorúmque auxilio totius ferè orbis dominiū adepti sunt: donec tandem fatigati Latini pronunciare coacti sunt, teste Liuio: *Absistant imperare iis quorum egent auxilio.* Iisdem propè querelis aduersus illos vsus est Lycortas Achæorum Imperator, cùm diceret: *Fœdus Romanorum cum Achæis specie quidem esse, re verò precariā libertatem.* Nec aliam ob causam Samnites aduersus eosdem tam diuturnum bellum gesserunt, vt notat Ioan. Boterus l.8. de politia c.13. quàm quòd sub vmbra Societatis imperare Samnitibus vellent, quæ libido subiiciendi eos sibi, & socios alios apparet non obscurè in imperiosis quibus vsi sunt, verbis fœderis socialis cum Ætolis: *Imperium, maiestatémque populi Romani gens Ætolorum conseruato, hostes eosdem habeto quos populus Romanus, armáque in eos ferto, & bellum pariter gerito, obsides arbitrio Consulis quadraginta, & talenta quingenta dato.*

Romani sub specie societatis inuaserunt Latinos, &c.

Vehementer quoque aduersatur legi fœderis

deris ac bonæ fidei occultè fauere hostibus sociorum; est hoc laborare deterrima hypocrisi, qua se inquinauit quondã Ioannes præfectus oppido Giscalæ Galileæ à Tito excisō. Nam vocatus Hierosolymam à Pontificibus, nobilibus, & populo contra zelotas, simulabat se illorum valdè studiosum, occultè autẽ fauebat zelotis, consilio, modisque aliis; ita vt in causa fuerit, cur multa millia è populo & nobilibus sint ab illis interfecta, vt scribit Iosephus lib. 4. de bello Iud. Neque verò se satis purgauerit huius farinæ hypocrita, dicendo sociis: Ad hostes vestros recipiunt se clanculùm de subditis meis aliqui, non iussi modo, sed etiam prohibiti. Duræ ceruicis sunt & peruicaces, interdicta mea contemnunt, pereant malè, si capi possunt: imputandum mihi non est, quod faciunt. Quærenda certiora bonæ fidei argumenta, & vel transfugæ illi ab hostium castris reuocandi proposita omnibus pœna graui, nisi intra legitimum spatium reuertantur; vel dolor ille concipiendus, ex quo facilè sit ratiocinari inuito te ac nesciо eos transfugisse. Sic Dauid Rex, vt se probaret nullatenus consensisse in cædem Abner quo cum fœdus inierat, & quem proditoriè Ioab seruus Dauid peremerat, dedit se totum lamentis & lachrymis. *Leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner.* Et infrà: *Iurauit Dauid dicens: hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem, vel aliud quicquam.* Audi

Hypocriseos & traditionis exemplum.

2. Reg. 3.

Audi iam quod sequitur: *Cognouit omne vulgus & omnis Israël in die illa, quoniam non fuisset actum à Rege, vt occideretur Abner filius Ner.* Vel denique vocandi ad pœnam constitutam, legitima excusatione destituti, post præscriptum illud spatium in patria deprehendantur. Fecit hoc prudentissimus Lotharingiæ Dux Carolus III. Literas accepit à Philippo II. Hispaniæ Rege, in quibus grauissimè expostulabat, quòd Tremblecurtium nobilem quendam suum cum tribus armatorum millibus occultè immisisset in Comitatum Burgundiæ, (quem horrendè afflixit) vel saltem permisisset irrumpere. Excusauit se mox bonus Princeps, & sanctè affirmauit se prorsus inuito id contigisse, nobilem illum ferum diu militando in Gallia omne ferè iugum excussisse obedientiæ, & militari arte opibusque fretum, imicis item plurimis, interdictum, quasi ad se nihil pertineret, contempsisse: Sed vbi primùm rediret in patriam, non defuturum à tergo vltorem, cui simul agglomerata omnia lueret, atque ita factum est. Rediit ille ad suos tandem, & dum apud Moniales quasdam securas se latebras putat inuenisse, circumuallatur ab inexpectata cohorte Principis, diligenter quæritur, tandemque comprehensus foras abducitur, & ad cuiusdam ripam fluminis pugionibus sclopisque traiicitur. Sic innocentiam suam Princeps iste nunquam satis laudatus Catholico probauit Regi, & qua dignus erat, pœna publicum affecit grassatorem. *Tremblecurtius occisus.*

Denique à fœdere non recedit primus, nec occasiones quærit recedendi; vt in se verum probet esse, quod scriptum est: *Omni tempore diligit, qui amicus est*: non infringit datam fidem necessitatis tempore, non negat promissum auxilium; causas non fingit impotentiæ; nec confugit ad inanes excusationes alias, non deserit mediis in periculis hærentes socios; Metio Sufferio Albanorum duci relinquit detestandam hanc perfidiam, quam exercuit in bello Tulli Hostilij Romanorum Regis contra Fidenates. Pugnante enim Tullo; quem adiutum venerat, pugnam deseruit, sensim ad montes secedens eo consilio, vt fortunam belli experiretur, & vires ad partẽ inclinaret, quæ vinceret. Victor nihilominus euasit Tullus desertus, & quidem Metij milites nihil peccasse censuit, etenim Ducem sequutos esse, & Imperatori suo paruisse; Metium autem ipsum ruptorem fœderis ac perfidum horribili puniuit supplicio, corpus eius in partes duas discerpsit, in argumentum, quòd diuisum perfidumque gessisset animum. Duabus itaque admotis quadrigis in currus earum distentus & alligatus Metius, in diuersum iter concitatis equis laceratur. Tit. Liu. lib. 1. dec. 1. At nonne scribit idem Liuius lib. 7. Campanis negatum fuisse auxilium à Romanis, qui tamen in fœdus cum illis coierant? Negatum quidem est; sed contra Samnites quibuscum pacta intercedebant vetustiora; vt perspicuè sonant illorum verba: *Auxilio vos, Campani, dignos*

Prou. 17.

Metius Suffetius seuerè punitus.

Auxiliũ negatum & cur.

censet

censet Senatus; sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere iuncti sunt. Itaque arma Deos prius quàm homines violatura vobis negamus. Tantùm posset esse difficultas propter innocentiam Campanorum, qui iniustè à Samnitibus opprimebantur: decet autem innocentes, maximè si rogent, contrà nocentes defendere, etiam contra fœderatos (si perspicua sit innocentia, & defendi absque graui damno possit) quia fœdus vinculum non debet esse iniquitatis; esset autem si defendi prohiberet innocentes. Sed responderi pro Romanis potest, aut non fuisse illis exploratam satis Campanorum innocentiam, aut non eis affulsisse tantùm lucis, vt intelligerent fas esse opem ferre innocentibus aduersum socios.

§. 3. Vt in alio quouis iuramento, ita in eo, quo firmantur fœdera publica, vitanda in primis sunt periurium & iniustitia. Est siquidem vtrumque peccatum mortale ex genere suo. Periurium committitur, quando non faciunt fœderati, quod se facturos iurarunt, & licitè ac commodè possunt; & contrà, quandò faciunt quod non licet, nec se facturos in se iurati receperunt. Iniustitia verò quando paciscendo iurant se facturos quod iustitiæ aduersatur, verbi gratia, pugnaturos pro inuicem in bello quouis etiam iniusto, etiam aduersus innocentes, Ecclesiam, patriam, aut proprium legitimúmque Principem, nunquam in gratiam *Periurium & iniustitia vitanda in fœderibus.*

 recepturos

recepturos eum qui læsit, quantumuis supplicem; nunquam recessuros à secta & errore semel amplexato, &c. nefaria sunt eiusmodi iuramenta, millies, recidenda, nullam habentia vim astringendi, improbè concepta, improbius adhuc in opus deducuntur; quò spectat illud S. Augustini de Herodis inreiurando concessuri puellæ saltatrici quicquid postularet: *Inter delicias & lasciuias conuiuantium temerè iuratur; & impiè quod iuratur, impletur.*

Serm. 116.

De Prudentia in imponendis Oneribus.

CAPVT X.

§. 1. *Ærarium Reipublicæ necessarium.*
2. *Quis Ærario præficiendus.*
3. *Vndè colligendum, amplificandumque ærarium.*
4. *Quàm cautè expendendum ærarium.*

Magistratus caput Reip, eiusque officium.

§. 1. Cvm Magistratus caput sit Reipublicæ, debeátque eius maiestati, commoditati, necessitati consulere, atque in promptu habere media, quibus suo tempore id faciat: hæc autem inter cætera sint pecuniæ; patet non posse non esse penes illum ius tributa colligendi. Quocirca Tacitus libro 4. *Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis esse possunt.* Christus item ad propositam sibi quæstionem: *Licet censum dare Cæsari, an non?* Respondit;

dit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* In eandem sententiam sic scribit beatus eius Apostolus: *Ideò enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Tributum distinguit à vectigali, quòd illud soluatur ex facultatibus propriis vniuscuiusque, aut ex personis ipsis: Vectigal autem ex mercimoniis & negotiationibus. Vtrumque debetur Principi: distinguitur nihilominus vnum ab altero, quia illius exactores ab exactoribus huius differunt. Sed & probat diuinus codex tributum prouinciis iure subactis impositum, Deut. 30. *Seruiet tibi sub tributo:* & Salomon 3. Reg. 9. tributarios fecit eos, qui remanserant superstites à gladio Israelis de Amorrhæis, Iebusæis, Hethæis, & Pheresæis, vt sic humiliarentur, & subiectos se esse intelligerent. Scire interim prodest in exactione tributi sequendum morem patrium. Quosdam Principes videas, qui ne belli quidem tempore tributum colligunt; sed iure tantùm suo subditos accersunt suis sumptibus militaturos. Pacis verò tempore vel necessaria tantùm exigunt ad honestam sui status conseruationem iuxta leges patrias, vel pauca quædam in recognitionis argumentum: sed neque desunt, quibus aliquid pendere nisi ex consensu comitiorum generalium, non obligantur qui subsunt.

Matth. 22.

Rom. 13.

Tributũ & vectigal quid differant.

§. 2. Nihil dubium, quin fidei viri boni committendi sint hi thesauri publici; hoc est, viri

viri timentis Deum & iudicia eius,cui curæ ſit præter commune bonum fama & conſcientia propria, quas nouit totius mundi lucro longè præferendas.Talis indubiè fuit Eunuchus ille, quem Candaces Regina Æthiopum ſupra omnes gazas ſuas conſtituit. Erat enim pius ac religioſus, adeò vt religionis ergò longiſſimo emenſo ſpatio adoratum venerit in Hieruſalem.

Actor. 8.

Apud Romanos quinam præficerentur ærario.

Videntur Romani apud Dionem l. 43. hiſt. præfeciſſe tantum huic muneri Ædiles, Prætores,& viros alios eminentes. Neſcio tamen quid obſtat, quominus aliqui licet non illuſtres genere, at fide, iudicio, prudentiaque inſignes aſſumi potuerint aut modo poſſint; tum quia in his & aliis virtutibus ſita eſt vera, prima, præcipuáque nobilitas; tum quia opulentia, claritudo generis, & eiuſmodi alia nihil aut parum faciunt ad rectam pecuniæ publicæ contrectationem. Non eſſe nouum inferioris notæ homines ad ſuperiores efferri gradus,quando iis dotibus inſtructi ſunt, quæ ad illos ſunt neceſſariæ, patet ex Cincinnato, Fabricio; Curio Dentato & aliis. Sunt in hac parte Turcarum Imperatores cautiſſimi, Perſarum item, Abyſſinorum & Sinenſium, ad dotes & virtutes quas diximus, vnicè reſpiciunt, quæ quia in Eunuchis videntur magis elucere ob vxorum proliumque carentiam, creare illos conſueuerunt ſui cuſtodes ærarij, abſtrahuntque prorſus ab amicis & conſanguineis,quo ab omni occaſione auaritiæ,rapinæ, fraudis, importunarumque precum ſegregati

Eunuchi vt plurimum præfecti ærario, & apud quos.

gregati magis fidem colant, Principiſque animum ab omni anxietate, ſuſpicione, metúque liberent.

§. 3. Veſpaſianum Imperatorem nemo non vituperat, quòd etiam ex vrina, ex infami quæſtu, negotiatione, fœneratitio redditu cenſum colligeret. Nec pulchrè, nec purè exiguntur, admittunturque talia, aut poſteà diſpenſantur ſiue militibus ſiue aliis. Donantem decet habere mundas manus, quas fœdari ex illiberali prouentu neceſſe eſt. Sed neque ab exemptis rectè exigitur, cùm exactio directè pugnet cum exemptione illorum ac priuilegio. Etiam in lege naturæ & ſcripta, quæ vmbræ fuerunt Euangelicæ de exemptorum numero fuerunt ſacerdotes, Gen. 47. *In vniuerſa terra Ægypti Regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem, excepta terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* In graui, perſpicuáque neceſſitate peti poteſt ab Eccleſiæ Rectoribus facultas exigendi aliquid; ſed citrà conſequentiam, vim, & iniuriam ſemper infauſtam ſuis authoribus. In ſuorum odium incurrit Emmanuel Luſitaniæ Rex ob importunitatem, quacum viſus eſt impetraſſe à Leone X. Pontifice maximo collectam quandam bonorum Eccleſ. & quamuis vt optimus aliàs Rex erat, hoc obſeruato odio, bullam mox Clero ſuo reſtituit, poſterius tamen res eius quæ procedebát prius fœliciſſimè, peſſũ iuerunt. Quãuis rurſus idem Clerus ei addictiſſimus recepta bulla vltrò

Veſpaſiani auaricia.

Exempti à tributis pẽdendis.

Eccleſiaſtici Niſi ob cauſam.

Io. Boterus l. 7. de Polit. c. 6.

obtulerit centum quinquaginta millia coronatorum; bullam tamen libenter accepit, ne per eam Ecclesiastica immunitas læderetur.

Laici quidam. In albo quoque exemptorum sunt Laici, qui id præclaro suo facinore ad publicum relato bonum meruerunt, vt Dauid; de quo 1. Reg. 17. *Virum qui percusserit eum, ditabit Rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absque tributo in Israël.*

Pauperes. Pauperes & miserabiles personas, quæ vix habent vndè vel tenuissimè viuant, ad tributum conferendum cogere, humanitati repugnat & iustitiæ, nec aliud est quàm extorquere velle ab ouo pilos, à pumice aquam, ab incude butyrum & oleum. Sed & vicini qui ea conditione vltrò se dediderunt, vel à proprio Domino dediti sunt, vt ab omni lege tributorum essent liberi, debent exemptione gaudere: Si tamen labentibus annis expresse aut tacitè consentirent in hoc onus, nec contra imponentes mussitarent vel exigentes, posset id Magistratus ab iis sicut ab aliis exigere. Nam similiter cùm regnum aliquod per bellum iniustum inuaditur; tunc quidem non acquiritur, nec vera potestas, nec legitimè possidetur, cùm titulus iustitiæ desit; successu verò temporis contingere potest, vt populus liberè consentiat, vel vt à successoribus regnum bona fide præscribatur: & tunc cessabit tyrannis, & incipiet verum dominium regiáque potestas.

Ne à populo quidem pro bello exigendum aliquid censet Menochius Iurisconsultus clarissimus

clarissimus Consil. 75. n. 86. & seq. quousque in illud collectas iam pecunias idem Magistratus expenderit, cùm in hunc finem eas antè collegerit (casũ ni fallor diceret excipiendum, in quo nouæ in necessitate haberi statim nequeunt, nisi ante exigantur) exemplo M. Aurelij qui in bello contra Marcomannos prius supellectilem suam omnem diuendidit, quàm ad nouorum onerum impositionem confugeret. Sed & boni Magistratus est, in exigendo à tyranni moribus planè dissidere deglubentis populum, qualibus non indignari tantum solebat Tyberius Imperator; sed etiam maledicit Deus, Mich. 3. & ait: *Audite Principes Iacob, & duces domus Israel, nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum? Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes desuper ossibus eorum?* Maledicit similiter populus ipse, de quo dicere solebat Henricus III. Castellæ Rex: *Diras & execrationes populorum magis reformido, quàm arma hostium.* Cùm S. Odoardus Angliæ Rex ingentem pecuniam à Quæstoribus suis collectam admiraretur, diabolum simul vidit illi insidentem, & gaudio subsilientem, quo obiecto perterrius, omnem confestim populo iussit restitui, vt scribit Polyd. Virgil. S. Ludouicus Galliæ Rex Philippum filium regni hæredem sic in testamento suo alloquitur: *Fili mi, ante omnia in eam curam incumbe, vt Deum cultu & amore prosequaris. Animo sis pio & humano erga mendicos & ærumnosos homines, illisque*

Diabolus insidet pecuniis male exactis.

Verba S. Ludouici regia.

pro viribus opem feras; iustas regni tui leges obseruа. Ne subditis tuis tributum imperes, aut imponas onera, nisi necessitas vrgeat, teque manifesta regni vtilitas compellat, idque non vltrò, sed graui de causa facias. Si secus faxis, non Rex, sed tyrannus habeberis. Plurimum quoque laudatur apud Cassiodorum Theodoricus Gotthorum Rex, quòd diceret: *Opes nostras cupimus thesauro pietatis augeri execrantes commoda, quæ nobis fuerint vexatorum calamitatibus acquisita.* In confesso est, expedire vt prouincia abundans sit & diues; quia si inops, egensque fuerit, & velut abstracta pelle nuda, quomodo lanam dabit, qua se vestiat Magistratus; & cætera largietur quibus præsentem depellat necessitatem? Cùm puteus plenus est, facilè hauritur aqua; sin venæ & occulti meatus per quos influit humor exsiccentur, & fons ex quo dimanat exarescat, nulla arte aut industria restituetur. Exsiccantur autem venæ prouinciæ per immodicam tributorum exactionem, infamatur idem Magistratus, amittit non paucos subditos aliò emigrantes, vbi norunt actum iri secum humaniùs. De Dauid Rege legimus, 2. Reg. 24. quod ingentem populi sui iacturam perpessus sit, postquàm imperauit, vt à Ioab censeretur. Sed quorsum, cùm dinumerare populum non sit ex se malum, vt liquet ex cap. 1. Num. An quia in facto illo vanam sibi gloriam præstituit? At vix videri potest hæc vanitas fuisse in eo lethalis, & tanto digna supplicio. Verisimile sanè, quod docent aliqui,

Cassiod. l. 2. epist. 38.

Dauid quomodo peccarit censendo populum.

vt

vt notat Azor tom. 2. lib. 11. cap. 4. q. 1. recensitum fuisse populum more Romanorum: hoc est, tributo imposito, idque sine vlla necessitate, cùm tamen sola necessitas ius tribueret exigendi. Notum denique quomodò à Roboamo Salomonis filio defecerit populus propter tributa immania.

Variis modis mitigari & suppleri potest tributorum exactio, vti donariis, hostium spoliis, & fisci pecunia. Nam quod ad donaria, occurrunt interdum viri prædiuites, qui publicorum commodorum studio in thesauros regios multa conferunt, idque insinuat illa Amani pollicitatio: *Decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Esther. 3. Quantam pecuniam ex iustis prædis & manubiis conflauerit Rex Dauid, docebit te summa illa immensa, quam Salomoni filio suo ad templum Domini Hierosolymis ædificandum reliquisse legitur. *Præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; æris verò & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine.* 1. Par. 22. Nempè non ita olim sicut hodiè pugnabatur. Nunc milites quicquid possunt, eripiunt hostibus, sibique seruant. (hinc tanta tamque perniciosa prædandi libido nondum perfecta victoria) olim autem rapta omnia in commune conferebantur, vt postea diuiderentur per proportionem meritorum, 1. Reg. 30. *æqua pars erit descendentis ad* *Prædæ omnes in cõmune collatæ.*

præ

prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident; & factum eſt hoc ex die illa quaſi lex in Iſrael. Vel communi conſenſu, aut edicto Principis ad inſigne opus ſeruabantur. Semper autem ipſi Duci velut authori victoriæ inſigne & peculiare aliquid deberi, primóque decerni nemo ignorabat. Vndè *Dauid*, hoc ſuo vtés iure, *tulit coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & precioſiſſimas gemmas; fecitque inde ſibi diadema.* Et Iudic. 8. cum Gedeon poſt occiſos Reges Zebee & Salmana dixiſſet populo: *Date mihi inaures ex præda veſtra*, reſpondit, *Libentiſſimè dabimus, expandenteſque ſuper terram pallium proiecerunt in eo inaures de præda, & fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti auri ſicli.* Atque hæc fortè cauſa eſt, cur Princeps dictus ſit, quòd videlicet primus capiat, vt notat S. Auguſtinus lib. de Grammatica, ſeu primus ſortiatur in diuiſione prædæ. Idem liquet ex hiſtoria Clodouæi Franciæ Regis, qui partiendo ſpolia vendicauit ſibi authoritate propria ſacrum calicem, quem ex templo quodam Chriſtianorum milites eius adhuc pagani abſtulerant; & militi cuidam, qui vendicationi huic repugnare viſus fuerat, ſecuri quam tenebat manu, caput diſſecuit. Et in lib. Iudith. c. 15. legimus: *Per dies autem triginta vix collecta ſunt ſpolia Aſſyriorum à filiis Iſrael. Porrò vniuerſa quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro, argento, & veſtibus, & gemmis, & omni ſupellectili, tradita ſunt illi omnia à populo.*

1.Par.20.

Princeps unde dictus.

Bellef. in Clodouæo.

Et Iosue cap. 6. Spolia omnia Hierichuntina cedere voluit iubente Deo non in lucrum militum, sed in Dei cultum; vndè illos ante monuit: *Cauete ne de his quæ præcepta sunt quippiam contingatis, & sitis præuaricationis rei. Quicquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum aureorum ac ferri, Domino consecretur repositum in thesauris eius.*

Quod ad fiscum ditatur ex pœnis & pœnalibus compendiis. Nam vt ea taceam, quæ nonnullis tantùm in locis recepta sunt; vbique, ni fallor, fisco cedunt bona eorum, qui reì aguntur læsæ maiestatis diuinæ & humanæ. Immò generali constitutione Galliæ, confiscato, vt loquuntur, corpore, confiscantur & bona, excepta parte exigua seruanda vxori & liberis. Ad fiscum item pertinent bona, quæ ei lex facit obnoxia; si quis se occidat, si merces conuehens vectigali fucum faciat, si pecuniam ad proprios sumptus non necessariam extra regnum prohibitus deferat, si contra concessum alicui priuilegium excudat libros. *Confiscato corpore, confiscantur & bona.*

Est & negatiuus quidam, vt ita dicam, idemque optimus eundem amplificandi modus, abstinere à prodigalitate & superfluis sumptibus. *Opes amplæ*, inquiebat Mœcenas Imperatoris Augusti familiaris, *melius colliguntur paucis expendendis, quam multis accipiendis.* Et iuxta Ciceronem: *Magnum vectigal est parcimonia.* Cic. lib. 4. de Republ. Nimiæ largitiones liberalitatis ac beneficentiæ fontem exhauriunt, & exhausto fisco citò ad extorsiones fit transitus. Nero certè cum

eo

eo dissipato non haberet vndè luxui & impensis inutilibus more suo indulgeret, latrocinijs, aliisque sceleribus animum adiecit.

Enimuerò quia vix vllus eiusmodi fiscus à nobis descriptus talis tantúsque esse cõsueuit, vt par sit sumptibus omnibus necessariis, permittit ius ad tributa recurrere, quæ modum non excedant. Vt námque sint mediocria, per aliquot nihilominus annos collecta, & cautè asseruata euadent in aceruum maximum, vixque belli tempore opus erit insolita quædam & magna subditorum fortunis imponere. Ex tributariis contingit nunquam ditissimos quosdam creari nobiles, atque ita eximi à lege tributi; sed vnà videndum vt per proportionem minuatur onus tributarium. Clarum est pugnare cum iustitia, si onus eius portent cæteri, præsertim pauperiores, cùm multum sit si patienter & non gementes proprium sustineant. Hunc errorem velut publico bono & rationi valdè repugnantem sæpè iura reprobant, l. fi. C. si contra ius. l. 1. C. de precib. Imper. offer. l. iubemus. C. de sacros. Eccles. l. actione ff. pro socio. Insuper procul est à iustitia & fide bona, non aptare tributorum onus facultatibus tributariorum, ita scilicet vt de summa quæ exigitur, plus soluant locupletiores. Procul item indicto tributo ad põtis structuram, ad debita iam contracta dissoluenda, vel ad aliud eiusmodi plus exigere, quàm sit necessarium, exactionémque producere iusto longiùs. Relinquatur Cu-

manis

manis dolosum & turpe istud artificium, qui prætextu ædificandi ciuitatem suam, exegerunt per annos ducentos tributum portus: ea verò ædificata, non desierunt exigere, vt scribit Arist. l. 2. de re famil. n. 14. Ad subalternos insuper Quæstores iuuat attendere, quia talium exactionum authores interdum sunt, ignorante Principe, vt Candalus Mausoli Cariæ Regis legatus, de quo narrat idem Philosophus, quod cum Licios animaduerteret capillo impensiùs gaudere, literas mentitus est à Rege venisse, quæ iuberent capillos ad capitum ornamenta ex iis cóficienda ad se mitti. Itaque sibi à Mausolo esse imperatum, vt eos tonderet. Se tamen, si certam pro singulis capitibus pecuniam velint pendere, aduecturum ex Græcia Capillum. Illi verò libenter quod petebat, tribuerunt, multæque ex ingenti turba coactæ sunt pecuniæ. Quam fuerit paratus Constantinus magnus in tales ad se delatos animaduertere edicto isto suo satis declarauit: *Si quis est cuiusque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque Iudicum, Comitum, Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidat, quod non integrè ac iustè gessisse videatur; intrepidus & securus accedat, interpellet me; ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo de eo, qui me hucusque simulata integritate deceperit: Illum autem qui hoc prodiderit & comprobauerit, dignitatibus & rebus augebo.*

Candali turpis exactio.

Ad

Vectigalia de quibus soluantur.

Ad tributa reuocantur vectigalia, pedagia & portoria. Vectigalia soluuntur pro rebus quæ exportantur vel importantur in ciuitatem aut prouinciam. Nam potestas, quæ datur inferendi aliqua vænalia, vel efferendi, pretio est æstimabilis, pro qua idcircò non abs re pecunia aliqua postulatur; & quidem meritò maior ab extraneis, quàm indigenis. De mercibus Alexandrinis peregrini decem pro centum, subditi verò quinque duntaxat Turcæ pendunt. Quo loco notandum, expedire vt potissimum exigantur vectigalia de mercibus communi vitæ non necessariis, sed curiosis, superfluis, & diuitum propriis, v. g. de pannis aromatibus, lapidibus preciosis, &c. hoc modo onus opulenti soli sentient, discent tot inanes sumptus contrahere; extra prouinciam nō efferetur copiosa pecunia. Pedagium soluitur à transeuntibus per aliquam viam, seu locum, vt indè sustententur, qui eum custodiunt, & tutum reddunt. Portorium est, quod soluitur pro transmissione mercium per pontes & flumina. Quam exactionem iustificare non est difficile, quando de pontibus agitur, & qui transeunt aurigæ sunt, vel equites non priuilegiati: nam tales pedetentim multùm pontes destruunt. Difficilè contrà quando sunt pedites, aut per pontes non transeunt; sed flumina transmittunt, aut nauigant, nisi flumina sint artificialia magnis indigentia sumptibus, vt in alueo suo conseruentur.

Pedagium à quibus soluatur.

Portorium à quibus.

De

De loco ad custodiendum ærarium opportunissimo nihil dicere attinet, cùm constet debere esse munitissimum, vt olim apud Romanos erat ædes Saturni, de qua Plutarchus in Problemat. 41. *Valerius Publicula exactis Regibus hanc ædem ærarium declarauit loci opportunitate deductus, quæ & apertum, & ab insidiis tutum, & in primis munitum animaduertit.* Censent alij præstare, vt non extet totum simul, sed in diuersis locis, tum quia non sine magnis sumptibus in vnum & eundem comportari totum potest, si amplissimus sit principatus: tum quia quãdo est indiuisum, perit totum simul; per partes verò, quando diuisum. Hinc Iacob rediens è Mesopotamia, audiensque venire sibi in occursum Esau fratrem suum, à quo sibi non parum metuebat, diuisit vxores & filios suos ab inuicem, dicens: *Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma quæ reliqua est, saluabitur.* Rectè, si Principatus Monarchicus sit, distinctúsque à Turcico; huius namque alia est ratio, sicut & Rerumpublicarum à Monarchia differentium. Turca nec ciuitatem arcemque munitam habet, excepta Constantinopoli, & extremis imperij sui finibus, nec vult habere; sed eiusmodi omnes demolitur, ne præsidio sint rebellibus: ob idque Roma illa sua indiget, ad thesauri totius sui custodiam. Respublicæ quoque aliæ vnicam fermè patiuntur instructissimam; & multis variisque constant capitibus; priuato nulli ita fidentibus, vt ei procul à se posito committere

Ærarium in æde Saturni.

Gen. 32.

rem velint tanti ponderis, quanti est ærarium; circa cuius vsum peccatur dupliciter.

Inutiles expensæ ac vanæ. §. 4. Primò per excessum prodigendo illud temerè, in res vanissimas, alendo nimios seu immensos inutilium palatinorum greges, vxorum, venatorum, saltatorum, musicorum, equorum, canum, simiarum, accipitrum, &c. vt aluit Salomon, qui præter septingentas

Salomonis quantus apparatus. concubinas, & trecentas vxores Reginas, id est, præcipuas, quarum cuilibet regius erat apparatus; numerabat quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium, 3. Reg. 4. tametsi ab omni bellorum strepitu liber pace maxima frueretur. Item farciendo pecuniis mimos, histriones, assentatores, lenones, tragœdos, Comœdos, Apotelesmaticos, & alias id genus pestes viro-

Marc. 7. rum principum, dignas planè quæ audiant; *Non est bonum accipere panem filiorum, & dare canibus.* Item non conformando impensas conditioni status. Sic enim minus cautè ageret Baro, qui Comitis vel Marchionis sumptus vellet facere; ita, ni fallor, minoris notæ Princeps, si faciendis sumptibus in vestes, munera, legatos, ædificia, æquare tentaret aut vincere munificos Reges & Imperatores. Populi

Populi sanguis ærariũ. sanguis est ærarium, incredibili eius labore comparatur, ob idque nunquam malè, absque magna iustaque eius offensione profunditur.

Hinc tot odia in Heliogabalum, quem non pudebat inuitatis ad cœnam fœni loco cro-

Heliogabali profluitates. cum sternere, iubere naues pretiosis onustas

mercibus

mercibus à se comparatis in pontum mergi, vt recrearentur, aureo vti vase ad excrementa corporis; in calceamentis quæ nunquam iterabat, gemmas ferre nobilissimas, ludi gratia concidere vestes pretiosas, in myrrhinas & onychinas matulas lotium mittere, &c.

Secundò, congerendo semper nummos, nec quicquam erogando. Nullorum magis est virtutem colere magnificentiæ, quàm Principum, & insignium quorumcumque Magistratuum; at profectò nunquam colent sine magnis impediis. Bonũ est in futuros euẽtus coaceruare pecuniam: sed vicissim, bonum, vel etiam melius occasiones præsentes arripere honestorũ sumptuum. Aliàs omni culpa vacarent auari simili se clipeo contegentes, *nihil iam expendendum, ne fortè desit quo subueniatur futuris necessitatibus*, ante quas quàm facilè contingere potest, vt pereat pecunia illa vniuersa? Quid item si à posteris effundatur in res inanissimas, vt quondam à Caio Caligula, qui dilapidauit intra vertentis anni curriculum sexagies septies millies, quæ ipsi reliquerat antecessor Tyberius? Coacetuauit Dauid & seruauit ingentes thesauros hæredi suo Salomoni; sed ideò quia voluntas Dei non fuit, vt ab eo qui multum sanguinis belligerãdo fuderat, templũ ædificaretur; aliàs ædificasset ipse libẽtissimè, nec tãtũ religiosissimi animi specimẽ filio reliquisset; quo excepto specimine, quid nõ fecit sumptu dignũ regio? Auxit diuinum cultum amplissimis

Ac C. Caligula.

Dauid quã diues.

Sed magnificus.

plissimis muneribus, inopiam subleuauit miserabilium personarum, de Republica benè meritos vt filios Berzellai Galaaditis, præmiis affecit; liberalium artium, vt Musicæ, magistros fouit & studia; ciuitates, arcem Sion, aliasque patrias communiuit, &c.

Ad Reipublicæ, Magistratusque conseruationem quæ valdè conferant.

CAPVT XI.

§. 1. *Superiorum quorundam documentorum recapitulatio obseruationi huic perutilis.*
2. *Ludouici XI. Franciæ Regis salutaris præceptio relicta filio ad eundem finem.*
3. *De intestinis seditionibus tempestiuè anteuertendis.*
4. *De administratione perfecta publici muneris.*
5. *De Præsidiis seu fortalitiis quid authores senserint.*
6. *De occultandis consiliis propriis, explorandis alienis.*

§. 1. Quasi mare magnum latè patet capitis huius argumentum, ego me nihilominus intra iustas metas continebo. Cùm à nullo magis quàm à Deo pendeat tutela omnis, conseruatióque Reipublicæ & Psalm. 126. Principatus, sicut dicit Psalmus: *Nisi Dominus*

nus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Nulla autem re magis induci possit ad tantum beneficium erogandum, quàm si pura mente colatur; nulla magis ad negandum prouocari, quàm si secus fiat; sequitur, ei qui Rempublicam, & magistratum suum saluum velit, nihil esse debere diuino cultu antiquius, nihil commendatius. Huc velut ad causam primariam reuocauit Achior tam aduersos quam prosperos successus filiorum Israel, dicens ad Holofernem: *Nunc ergo, mi Domine, perquire: si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei, ascendamus ad illos, quia tradens tradet illos Deus eorum tibi; & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis; quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* A quo est res omnis, ab eodem pendet vt conseruetur, vt lumen à sole, genitum ab humido radicali, creatura ab influxu creatoris, vita corporis ab anima; A Deo autem sunt status omnes superiores, per ipsum Reges regnant; non ergo subsistunt nisi eius nutu, vt testatus est Daniel, c. 2. cùm diceret: *Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna & constituit.* Ideóque impensè colendus est, vt quod conferre dignatus est, constabiliat. Sensit hanc prouidentiam Dauid cultor eius egregius; secus autem Saul impius, 2. Reg. 3. *Dauid proficiens, & seipso semper robustior: Domus autem Saul decrescens quotidiè.* Fieri potest, fateor, vt qui

Cultus diuinus in primis habendus.

Iudith. 5.

A Deo status omnes superiores sunt.

seriò colit Deum; deseratur ab hominibus, & multis odio sit; sed non derelinquetur à Deo, habitabit in adiutorio altissimi, dicentis, *ne timeas: bellabunt aduersus te, & non praualebunt; quia ego tecum sum vt liberem te:* emerget tandem, & cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam; vbique in eodem gloriabitur his verbis: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Vel si quis deseratur ab eo in mediis angustiis conseruandi principatus, verendum est, ne muneri erga ipsum suo aliqua in parte defuerit, ne diuisum cor habeat, ideóque pereat. Vicissim fieri potest, vt rector populi scelerosus, nihil minus satagens quàm Deum colere, ventis feratur secundis; sed tandem iusto Dei iudicio humiliabitur, & euanescet. Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani: & transiui; & ecce non erat.* In primis itaque curæ sit Religio, qua præeunte nihil valdè est metuendum, non potest deesse munimentum necessarium.

Hier. 1.

Psal. 117.

Religio colenda.

Hor. lib. 1. Carm. ode. 22.

Integer vitæ, scelerisque purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec venenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra.

Præter religionem adsit oportet, administrandæ iustitiæ zelus efficax, qua præmiis boni afficiantur, suppliciis mali. Hinc factum, vt Dauid Salomonem filium suum erudiens, hæc duo coniunxerit, & post verba illa, 3. Reg.

Reg. 2. *obserua custodias Domini Dei tui*, admonuerit, vt Berzellai de se optimè meritum honoraret in filiis: Ioab verò (qui Absalonem prohibitus confoderat; & tam Abner quàm Amasan proditoriè occiderat) necnon Semei virum nefarium ad instam pœnam vocauerit; quos sine dubio puniuisset ipse, nisi reformidasset potentiam Ioab nondum satis in regno confirmatus; vnde dicebat: *Ego autem adhuc delicatus & vnctus Rex*, & nisi supplici Semei promisisset, quod illum non interficeret, supple, manu propria, nec dum viueret. Carolus IX. Franciæ Rex sapientissimus pro symbolo habere voluit columnas duas coronam sustinentes inscriptione addita *Pietate & Iustitia*, vt his maximè virtutibus fulciri regna qui legerent, intelligerent. 2. Reg. 3. *Caroli IX. symbolum.*

Multùm præterea facit ad stabilimentum Imperij, reprimere insanum eius amplificandi desiderium, quo qui tenentur, Deo displicent, cuius iusto iudicio per quæ quis peccat, per hæc punitur; inuaditur, qui inuadit; diripitur qui diripit; infestatur qui infestat, spoliatur qui spoliat, conuertitur dolor in caput inferentis, & impletur sermo Prophetæ: *Væ qui prædaris: nonne & tu prædaberis?* Nunquam Isa. 33. excidat memoria, quid protoplasto contigerit: extendere manum præsumpsit ad interdictam sibi arborem, non contentus tot aliis, quas in sua habebat potestate: & ecce harum quoque vsu fuit destitutus, eiectusque ignominiosissimè de paradiso voluptatis.

Percontantur non pauci, quam maximè ob causam secundùm Deum per tot annorum centurias steterit Respublica Veneta? Id factum respondent Bodinus & Io. Boterus lib. 1. de Polit. c. 6. quòd alienarum ditionum minimè fuerit auida; sed duntaxat de conseruanda sua curam susceperit, quo pacto exteros in se non prouocauit, plus item otij nacta est ad attendendum sibi. Idem de Abyssinorum, deque Sinarum regno iudicium, quod vt est ab ambitione & immodica cupiditate remotissimum: ita fruitur pace maxima, non fluitat, nec à quibusquam nisi interdum à vicinis Tartaris infestatur. Habet ad occasum finitima quædam regna, quæ omninò negligit seipso contentum, & tamen posset statim sua facere. Certè quisquis jam per se potens iuribus alienis rebusque insidiatur, miram sibi conflat inuidiam, omnium in se odia conuertit, hocque ab illis impetrat, vt in ipsum velut in communem hostem, coniunctis animis copiisque insurgant, depositis ad tempus, si quas prius inter se exercebant, simultatibus; qua coniunctione euadunt sæpè potentissimi. Difficile tam multis resistitur, ne Hercules quidem contra duos. Canis ille Æsopicus auidè captans & prensans carnis vmbram, quam ore portabat, carnem ipsam amisit; os namque aperiens quasi vmbrā apprehensurus, cōseruationi eius non cōsuluit. Testudo vbi collecta in suū tegmen est, ad omnes ictus tutā se exhibet: vbi exerit partes aliquas,

Pace optima cur fruatur Status quidam.

quod

quodcumque nudauit, obnoxium atque infirmum habet. De bellis non facilè gerendis propter incertissimum illorum exitum sicut & litium forensium, & propter perturbationes grauissimas, à quibus sunt inseparabilia, dictum est superius. Dentem nullum mihi dabis tam radicatum, qui si tentet vim afferre alteri, seipsum simul non quatiat, & quandóque prior excutiatur. Quos ætas & rerũ vsus prudentes fecit, nullum facilè suadebunt. Consilium hoc relinquunt inexpertis, & iis, quibus nec ampla domi res est, nec nummus in arca. Illi se Alcidas Entellosque fortissimos, hostes verò muscas aut lepores nullo negotio debellandos somniant. Hi piscatorum more libenter tranquillam turbant aquam patriæ, & ab imo exagitant, vt ranam aliquam piscentur vndè viuant; miserabile sanè hominum genus tam parui æstimantium pacem, bonúmque publicum.

§. 2. Sequitur actus alius Prudentiæ, quem Ludouicus XI. Galliæ Rex Carolo VIII. filio suo commendasse de meliore nota legitur, velut conseruando statui præsentissimum. Vixit ille iudicij proprij semper tenacissimus, & vniuersis penè diffidens regni proceribus, ex quo ingenio acerbos sanè collegit fructus; motus, inquam, & perturbationes penè continuas, & suorum à se alienationes grauissimas, quibus tandem factus cautior, vocauit ad se sub finem filium, & commonefecit verbis grauissimis, contrariam vt iniret imperádi ra-

Bellef. in Ludou. 11. Ludouici XI. Praecepta regalia ad filium.

tionem, ne si secus faceret, ad eundem lapidem impingeret; Vt caueret iudicio vti proprio, præceptore pessimo, aut contemnere, & facilè suspectos habere Dynastas, quasi statim erecturos cornua, & inuasuros principatum, si moderatè opibus ac muneribus augeantur. Non enim decere, nec iustum esse obtentu incerti cuiusdam metus inurbanè agere, aut iure suo quenquam destituere, arte nulla humana occurri posse periculis vniuersis, collocandam in Deo tutelam, spemque præcipuam, fauere solito causis bona fide venientium. Non solos promotos ad dignitates amplissimas excitare posse tempestatem, sed eos etiam qui ab iisdem dignitatibus & honorum culminibus nullo errore, nulla culpa sua excluduntur.

§. 3. Sicut neminem facilè suspectum habet magnanimus, generosus, syncerus animus; ita vbi ex sufficiētibus cōiecturis intelligit plus æquo audere aliquos, insolescere, & periculosa quædã meditari, in more habet exoriēte debellare superbiam, procellarum matrem, & maturè insolentiam circumcidere, vt olim apud Athenieses libertus arrogãs, & ingratus de gradu suo his verbis deiiciebatur: *Seruus esto, quia liber esse nesciuisti.* Insolentia omnium ferè capitalissima est seditio, per quam vel in caput ipsũ insurgitur, vel subditorum pars vna inuadit alteram. Si primũ, euidenter se prodit periculũ subuersionis publicæ, si rebelles euadant capite illo suo superiores. Si secundum, in discrimen

Seditio capitalissima insolentia.

men nihilominus res adducitur, quia pars victrix potest impulsu leuissimo caput ipsum armis suis impetere; si subodoretur tulisse eũ deuictę suppetias. Prior illa seditionis species vt deterrimà est, ita manifestè indiget præsenti remedio, sique ad effectum processerit, crimen vulgò habetur morte dignum tantò acerbiore, quantò dignior est Magistratus, in quem insurgitur, vt patet ex insueta, horribiliq; pœna inflicta seditiosis Core, Dathan, & Abyron, Num. 16. Modus vtrique occurrendi est, turbulentiora ingenia præmonere, non esse sapiẽtum honori & Famæ suæ consulentium idem facere, quod solet qui anguillas piscantur. Nã si stagnum constiterit, nihil capiunt, vt itaque capiant sursum deorsum cœnum vertunt. Imitantur autem qui vt lucrentur, & vincant, perturbant ciuitatem. Et præterea iis attendere, certáque omittere negotia, in quibus occupẽtur, vt abstrahi cogantur ab inuicem. Sic Palamedes tabulam inuenit lusoriam ad comprimendas ociosi seditiones exercitus, teste M. Varrone apud Seruium, & vt scribit Seneca: *Magni Imperatores cũ malè parere militẽ vidẽt, aliquo labore cõpescũt, & expeditionibus detinẽt. Nũquã vacat lasciuire districtis.* Corycæis denique vti fidis ac solertibus, & à Cõcionatoribus impetrare vt in tãtũ malũ acriter sępéq; inuehãtur.

Indiget præsenti remedio.

Tabula lusoria Palamedis.

Sen lib. 7. epist. 57.

Quod si iam erumpere incipit seditio primi generis, vi statim agi solet cum seditiosis, si coerceri comprehendique posse videantur, ac saltem cum authore illorum præcipuo, quo

quo intercepto vel de medio sublato, cadat animus cæteris. Ecce tibi exemplum opportunissimum. Cùm deuicto Absalone accepisset Dauid in se rebellasse Sebam, ait: *Nunc magis afflicturus nos est Seba filius Bochri, quàm Absalon*; & confestim iubente eo egressi sunt cum Abisai Ioab, Cerethi quoque & Pheleti, & omnes robusti exierunt de Hierusalem ad illum persequendum; oppugnarunt autem latentem in Abela, nec ante fecerunt oppugnandi finem, quàm eius caput miserunt primores ciuitatis. Tunc finem habuit bellum periculosissimum. *Ioab cecinit buccina, & recesserunt ab vrbe vnusquisque in tabernacula sua: Ioab verò reuersus in Hierusalem ad Regem.* Sin autem præualeant, vsu receptum est, vt vel prodeat in medium vir grauis occultè, stans à Principe, qui eorum componat motus, frangat consilia; si non condemnans quam tuentur causam, suadens saltem, rem totam pensiculatiùs vt considerent, & prætentum ius suum via prosequantur moderatiore (quo modo Chusai amicus Dauid dissipauit consilium nefarium, sed præsentissimum quod Absaloni dederat Achitophel 2. Reg. 17.) vel postulentur induciæ ad deliberandum, quibus labentibus remittent indubiè de furore suo aliquid, audientiores fient rationis, & cauere ac prospicere sibi Princeps melius poterit. Interdum etiã auertendi maioris mali gratia votis eorũ, quãuis iniquis annuitur; sed ita vt nisi pactus sit veniam dare, postea iure suo vti possit; hoc est, in

2. Reg. 20.

Ibid.

Qua arte molliendi seditio fortũ animi.

in eos à se diuisos animaduertere, quandoquidem ei conuentio illa facultatem non tollit faciendi, quod tenetur facere, seu pœnas repetendi à publicis Reipublicæ perturbatoribus. Cùm porrò idem Princeps, siue Magistratus medicus quidam sit eiusdem Reipublicæ, fit vt quemadmodum periti Medici non attendunt ad præsentes duntaxat infirmitates; sed causis etiam obuiam eunt futurarum, prudentem se probat, quoties occurrit seditionis occasionibus, quarum pars magna est ociositas. Vndè Iphicrates, vt scribit Polyænus, *non permisit milites suos otium agere; sed cum bellum nõ esset, semper aliquid negotij dedit, & iussit aut cuniculos in terram agere, aut fossas ducere, aut arbores secare, aut castra transferre, aut vasa transmutare; quòd in otio res nouas moliri existimaret.* Poly l.8.

Sin autem ad posteriorem ordinem spectet seditio, citò dissipabitur authoritate superuenientis Magistratus, vt dissipata Ephesina aduersus Paulum est à sapiente illo Proconsule, cuius verba fuere: *Viri Ephesij, quis est qui nesciat,* &c. & infra: *Oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere.* Et rursus: *Si Demetrius & qui cum eo sunt, artifices habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt; accusent inuicem*, &c. Idem sibi vult illud Virgilij: Act.19.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus:
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat: Lib.2.Aeneid.

Tum

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.
Ille regit dictis animos, & temperat iras.

Hic fortè volet quis seditiosis patrocinari, ac contendere non vulgaribus modò dandam veniam, exemplo Ioab, qui 2. Reg. 18. *cecinit buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini:* sed ipsis etiam authoribus, qualis in eodem bello contra Dauid erat Absalon, cui nihilominus adeò ignosci Dauid voluit, vt palam edixerit: *Seruate mihi puerum Absalon.* Sed & B. Paulus, quem insimulare peccati nemo facilè debet, seditionis cuiusdam origo fuisse videtur. Sciēs quia vna pars Sadducæorum, altera esset Pharisæorum, exclamauit: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, & filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* Ad quid in hæc verba erupit, nisi vt alios alienaret ab aliis, atque ita immunis à Concilio discederet? Collimauit eò sanè, vndè sequitur: *Cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.* Respondeo; nihil ista continere iustæ excusationis. Nam quod ad primū, Regis esse filium, quamuis rebellem & rebellium caput, circumstantia est personæ meritò excusans paterna viscera, ne tam seuerè in illum animaduerterent, præsertim cum puniri aliter posset, nec abesset spes omnis eum ad bonam frugem reducendi. Quod ad secundum, non est semper malum multitudinis partem à parte

S. Paulus seditionem parit.

Actor. 23.

parte separare; sed tunc solùm, quando hæc separatio non fauet, sed aduersatur innocentiæ bonoque publico; vt contingit, quando seminantur inter fratres discordiæ. At plurimum ei fauebat ista, qua dissoluebantur colligationes iniquitatis. Ecquid aliud facere debuit Apostolus? Nullam reperiebat æquitatis iurisque rationem apud seditiosos accusatores suos Christiani nominis iuratos hostes. Opportunè itaque ac solerter auertit illos ab inuicem, ne longiùs procederent in concepta nequitia, ne damnarent causam optimam, ne decreto suo tam fidei, quàm gloriæ Christi cursum retardarent, ne innocentem occiderent. *Eripiuntur iusti*, ait S. Gregorius, *dum diuiduntur iniusti, & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborum agmina per discordiã confunduntur.* Plurimùm quoque ad amoliendas eiusmodi seditiones conferet, si lex feratur ne à potentioribus premantur imbecilliores. Differẽtem hac de re Philosophum audiamus: *Superbia & auaricia eorum qui gubernant, homines prouocant contra se, & contra statum eius Reipublicæ, quæ ista fieri patitur.* Si rursus non facilè admittantur exteri ad conditionem ciuium; quod dum fit, citò abeunt in ingentem multitudinem, atque inter se coniurantes quasi iure suo agunt in ciues naturales; admitti petunt ad indigenarum officia (neque enim se illis virtute cedere) tumultuãtur, si non impetrant. *Seditiones quoque*, addo quæ sequuntur ibidem, *concitat peregrinitas, donec*

Et ad quid.

S.Greg.lib. 43. moral.c. 4.

Arist. lib. 6. polit.c.3.

donec in eandem simul conspirationem deuenerint. Et infrà: *Qua propter quicumque adhuc inquilinos susceperunt vel aduenas, omnes ferè seditionibus iactati sunt, ceu apud Sybarim vna cum Trœzeniis incoluerunt Achæi, posteà maiorem in modum crescentes Achæi Trœzenios pepulerunt.* Pergit & scribit: *Zanclæi verò, qui Samnios receperunt, mox ab eis sunt propria ciuitate deiecti. Apolloniatæ, qui sunt in Ponto incolis receptis seditione agitati sunt. Et Syracusani post tyrannos expulsos cū hospites & conductos milites fecissent ciues, in seditionem & prælium inciderunt, à receptis Chalcidensibus pulsi sunt Amphipolitæ.*

Bonus magistratus quot habeat benedictiones.

§. 4. Sicut omnibus gratissima solet esse Musica quoad voces omnes tēperatissima, ita & populo Rector siue Magistratus, qui vbique satisfacit, & fidem suam liberat, pietatem infucatè colit, iustitiam instanter puréque administrat; attentè considerat, vt se gerant subordinati officiales; pacis est studiosus, pater pauperum, publicis studet commodis, tributa moderatur, excellit prudentia, virtutibusque reliquis. Tallium persona venerationi est apud omnes, audet nemo de seditione cogitare; De ore populi nihil auditur crebrius, quàm; *Benedictus Deus cuius beneficio talis obtigit nobis Princeps: viuat viuat ad annos plurimos, habebit vicissim nos obsequentissimos; dignus est quem diligamus ex animo & reuereamur, cui auscultemus imperanti; pro quo denique contra quoscūque decertemus hostes:* Sin contra eueniat, vt aliquam negligat sui partem officij, vel graui alicui

Malus econtra quot maledictiones.

vitio

vitio viuat obnoxius, v. g. si libidine diffluat, si insidietur alienis vxoribus, si ad se non sua rapiat, &c. mirum quàm offendat, & à se auertat eundem populum, quantis se periculis obiiciat; adeò bonum est ex integra causa, malum, ex quouis defectu. Expertus est quæ dico infœlix Galeacius Sfortia Dux Mediolanensis, cuius historia quia trita est, à me silebitur. Dionysius tyrannus cũ inaudiuisset filium cui relicturus erat principatum, ingenui hominis vxori vim attulisse, statim coniecit fore, vt regnaret infœliciter, eique dixit iratus: *An tu in me tale quid deprehendisti?* Respondente autem adolescente; *non equidem, sed quid mirum cùm patrẽ nactus non sim genere principem?* Subintulit, *ne tu quidem filium es habiturus, nisi ab ista perpetratione abstiteris.* *Dionysius Syracusanus ad filium.*

§. 5. Tametsi authores non defuerint qui tutiùs esse iudicarunt, non cingere muris ciuitates; ferè tamen iam ridentur ab omnibus cum suis coniecturis, & ratiocinationibus. Nam vt taceam diuinas literas, ex quibus cõstat plerosque Reges spiritu Dei actos suas inclusisse mœnibus fortissimis, vt Asam Regẽ Iuda 2. Paral. 14. qui eo tempore vir bonus erat, dixit ad suos: *Ædificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris.* Vrbes item muro destitutas fuisse stulto comparatas; ita enim loquuntur: *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Aristoteles in rebus eiusmodi politicis *Vrbes cingenda muris.* Prou. 25.

E e iudicij

iudicij longè acerrimi in eo totus est, vt mutorum vsum persuadeat. *Mœnia verò*, inquit, *qui dicunt non debere adesse ciuitatibus illis, quæ virtutem possideant, nimium priscè loquuntur; & hoc vident per experimentum reprobatum in iis ciuitatibus, quæ sibi id ad gloriam iactabant. Est enim ad pares, ac non multò excedentes multitudine non satis decorum per mœnia seruari velle. Sed cùm aliquando contingat, & fieri possit, vt multò maior hominũ multitudo, & maiori virtute superueniat; si saluos esse oportet, neque perire, neque contumeliis affici, firmissimam munitionem murorum putandum est opportunissimã esse in bello, præsertim hoc tempore, in quo tormenta & machinæ ad obsidiones vrbium cum omni subtilitate sunt inuenta.* Quid ætate hac nostra diceret, cuius bombardas æneas adumbrant quidem prisca illa instrumenta, tantùm abest vt sint efficacitate paria? Audiamus porrò quod sequitur: *Simile enim est ciuitatem non circumdatam mœnibus censere, & regionem facilem ad inuadendum quærere, & deiicere montosa loca, & priuatis domibus non circumdare parietes, quasi viles futuri sint habitatores. Ne id quidem latere oportet, quod qui mœnibus circumdantur, eis licet in vtramque partem vti vrbibus, & tanquam muros habentibus, & tanquam non habentibus; sed eis qui mœnia non habent, non licet. Si ergo per hunc modum se res habet, non solùm mœnia circumdanda sunt vrbi; verum etiam curandum vt ad ornatum ciuitatis se habeant decenter, & ad bellicas opportunitates, tum alias, tum illas quæ nuper*

Arist.l.7. Polit.c.1.

reper

reperta sunt. Ex hac doctrina sequitur, rectè in patriæ finibus incursioni expositis fortissima construi præsidia, & manipulos collocari strenuissimorum militum, vbi perpetuò excubent, & eidem patriæ vice mœniorum sint ac turrium insultibus primis obsistentium, quousque è penitioribus partibus summittantur commeatus necessarij & ampliores copiæ conflaturæ, si opus sit, iustum exercitum, quo inimica vis non retundatur solùm, sed debelletur. Hoc, inquam, ex doctrina illa sequitur, quia patria ciuitas quædam est vastissima.

Ac præsidia collocanda in finibus prouinciæ.

Patria ciuitas vastissima.

§. 6. Perutile esse, ne dicam necessarium, silentio premi consilia Magistratus, ex sententia illa sacra licet intelligere: *Sacramentũ Regis abscondere, bonum est.* Addit Aulus Gellius l. 10. c. 25. *Taciturnitas consiliorum, thesaurus.* Nimirum arcano detecto eludit hostis vel anteuertit, quæ iure cuduntur in ipsum, cognoscit penitiùs Reipublicæ statum, quam oppugnat, eaque sciẽtia vtitur in magnã eius perniciẽ. Hinc tanta perturbatio Regis Syriæ ob detectas insidias. *Cõturbatũ est cor Regis Syriæ pro hac re, & cõuocatis seruis suis ait: Quare nõ indicatis mihi, quis proditor mei sit apud regẽ Israel?* Cõtrà sicut cuniculi sub munitionibus acti, & multũ capientes pulueris tormentarij, ni hostibus prodantur, magnũ habent effectũ ad munitiones illas subruendas; ita Reipublicæ tecta consilia mira operantur. At non æquè vtile est, non expiscari sententias, consilia,

Consilia silentio premenda.

4. Reg. 6.

 molimina

molimina subditorum vel hostium, imò sæpè perniciosum. Equidem non debet eius gubernator suorũ vestigare arcana quæ ipsum nullo modo respiciunt; secus autem alia, inter quæ primum quasi locum tenet opinio siue iudicium, quod de eo ciues, déque administrandi ratione concipiunt. Id scire si studeat per fidos emissarios, eo animo, vt emendet in se quod mendosum videbitur, à prudentia laudabitur. Vix meliore via seipsum cognoscet, statúmque Reipublicæ. Effundit liberè vulgus sui sensa animi, vbi se non credit obseruari, in lucẽ profert veritatẽ sine ambagibus. Ridet, notat, confert inter se vitia præsidentiũ, eorumdẽ administros perstringit cẽsuris libertimis. Vtebãtur hac solerti arcanáque indagine Pompeius magnus, Franciscus I. Franciæ Rex, Philibertus Sabaudiæ Dux, & discebant plurima quibus erubescebant; adeò multa nonnunquam audent ministri Dominis insciis. Ne à Christo quidem mos iste abfuit, discipulos interrogabat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* In die autem resurrectionis suæ iunxit se duobus sub peregrino habitu, multáque cum eis verba ignotus miscuit, & quid occultarent in scrinio pectoris, esto iam satis nosset, ex ipsorum ore voluit intelligere. Sed hîc cauendum, ne exploratores qui mittuntur, fucum faciant; seu falsa pro veris, & à se conficta potiùs, quàm audita renuncient, vt suo munere accuratè solertérque fungi videantur, cùm sæpenumerò mentian

Aduersarij consilia vestiganda.

Matth. 16.
Christus D. discipulorũ arcana vestigat.

mentiantur, eorum ob id fratres:

Qui omnia se simulant scire, & nihil sciunt: Plaut. in Trin.
Quod quisquam in animo habet, aut habituri sunt,
Sciunt. Id quod in aurẽ Rex Reginæ dixerit,
Sciunt. Quod Iuno fabulata sit cum Ioue, quæ
Neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciũt.

ac prætereà teneantur ad restitutionem damni, si quod illis falsò delatis inferre contingat principem. Qui error multò adhuc magis cauendus est in Corycæis destinandis ad exteras prouincias, circa quos duo quæruntur. Alterum, vtrùm tuta conscientia mitti possint & destinari: & videtur quòd non, cùm damnari soleant calculo omnium qui aliena rimantur arcana. *Hos habet mores populus, hos imperitissimus quisque in secreta irrumpere cupit.* Alterum, vtrùm inducere liceat pecuniis, aut precibus alieni Magistratus Consiliarios ad prodendum, quæ in eius consistorio fuerint constituta. Potest ad vtrámque quæstionem responsio vna sufficere. Aliorum arcana quæ sciri nolunt, & nullo modo ad nos pertinent, neque per nos inuestigare debemus, neque per alios, quia indagando rationis metas transilimus, fraternam lædimus charitatem; facimus aliis, quod fieri nobis non sustineremus; ad peierandum inducimus, quos de secretis illis percontamur, si ea se tacituros iureiurãdo promiserunt: Sin autem pertinent licet, propter ius quod quisque habet ad ea quæ intersunt suâ. Inquirunt, odorantúrque paren-

Corycæi an destinandi.

Sen lib. 9. epist. 69.

Arcana aliorum an rimanda.

tes cum Iacob Patriarcha, Heri quoque & Ludimagistri, quid dicant faciántque filij, serui, discipuli. Nemo id vitio vertit, quia illorum interest nosse quænam moliantur, quibus sint moribus, quo ingenio vt benè dirigantur. Est Sempronio iuratus hostis; non prohibetur palam, vel occultè sciscitari quid mente agitet, vt quæ sibi parari deprehenderit mala, opportuno eludat, & anteuertat obiecto remedio. Nec peccat eius Consiliarius ea prodendo; sed tenetur ex charitate, si opus sit, prodere, quando facere id potest sine graui suo dispendio, nec ad eadem nunquam patefacienda potuit se sacramento obligare. Id, si fecit, iniustum fuit iuramentum, miniméque obligatorium. De hoste loquor, cuius erga Sempronium certa & manifesta est iniquitas. Nam si sit dubia, seruare tenetur arcanum sibi creditum peieraturus si violauerit: & Sempronius vnà peccaturus, si ad violandum instigauerit. Habet idem Sempronius rector populi vicinum rectorem alium virum bonum, sua contentum sorte, pacis amantissimum, vt censent omnes, & probauit vsus. Vix culpā effugiet Sempronius perscrutans eius consilia, cùm tunc absit tentandi causa rationabilis, & absque detrimenti vllius periculo ignorari ac negligi posse iudicentur: Sin autem valdè sit inquietus, ambitiosus, versipellis, iuuenis, nouarū rerum auidus, obscuræ indolis vel fidei, aut Consiliariis vtatur parum probis; ad prudentiam

Cōsiliarius an possit secreta molimina detegere.

spectabit

ſpectabit Sempronij, molimina eius explorare in omnem euentum, quo ſecuriùs principatui ſuo proſpiciat; non ſecus ac de vicini ægri ſtatu, morbóque occulto, ſit ne contagioſus: vt ſi ſit aduerſus illum, ſe ſuóſque communiat. Dixi *obſcura indolis*: quia ſicut quietiores aquæ profundiores ſunt & periculoſiores; ita obſcuri, tetrici, cogitabundi cauendi præ minacibus & verboſis.

De communi déque ſpeciali Prudentia reliquorum Præpoſitorum in præſtando quæ ſubditis ſuis debent.

CAPVT XII.

§. 1. *Communia præcepta aliorum Præpoſitorum erga ſubditos.*
2. *Peculiaria parentum erga liberos.*
3. *Peculiaria maritorum erga vxores.*
4. *Peculiaria Dominorum erga Vaſallos & ſeruos domeſticos.*
5. *Peculiaria Præceptorum erga diſcipulos.*

§. 1. QVEMADMODVM ad populorũ præſides, ita ad quoſcumque alios, qui aliquam in hac rerũ vniuerſitate gerunt præfecturam, pertinet diu ſecum meditari à Deo eſſe quam habent poteſtatem Rom. 13. ſe in ſuo genere eiuſdem vices agere, cui oporteat ſub vitæ exitum reddere totius villicationis rationem *Poteſtas à Deo omnis.*

rationem exactissimam, atque ita nihil esse, vndè supercilium attollere debeant, multum vndè sibi metuere. *Rectorem te posuerunt*, ait diuinus codex, *noli extolli; sed esto quasi vnus ex illis*: non vtique quoad exteriorem conuersationem, in qua necesse est moderatam colere grauitatem, atque ad personam propriam attendere, ne contemptui sit apud inferiores, sed quoad interiorem de te sententiam, cuius erit suggerere, imperare te multis melioribus, indignũ esse tali eminentia, agendas Deo gratias immortales, cuius prouidentia dictum est tibi: *Ascende superiùs*; cauendum etiam atque etiam ne aberrans ab officio malè in te repræsentes, & contra te exstimules summum illum mundi rectorem, in promptu habentem vlcisci abusum etiam minimũ acceptæ potestatis: cauendum denique, ne sublimitas illa siue dignitas occasio tibi sit præcipitii, ne sublatus in altum, hoc ipso ruas lapsu grauiore.

Eccles. 12.

Luc. 14.

Imperia faciliora primò tradenda.

Obedientiæ iugo subditos sensim assuefacito per imperia varia, primò faciliora, deinde difficiliora; non secus atque equos assuefacimus frænis, & pueros promiscuis verborum pronunciationibus, iubendo vt initio expedita proferant, posteriùs autem confragosa, iuxta præceptum Quintiliani lib. 1. Inst. cap. 1. Cúmque arduum satis videbitur quod fuerit imperatum, emolliatur verbis suauibus vel addendo animum.

Lucretius lib. 9.

Sic cauti pueris absynthia tetra medentes

Cùm

Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci, flauoque colore.

Iisdem nihil vnquam præceperis diuinæ legi rationique repugnans, ita siquidē transilires tuæ fines potestatis; imperando reus fieres, nullo negotio confundereris ab iis in faciem resistentibus, citóque dicturis; parendum Deo magis quàm hominibus; nullum præposito ius esse præcipiendi, nisi quatenus stat Dei loco: iubendo autem quod malum, quod iuri est rationique contrarium, non subire Dei locū seu vicem, sed Satanæ. Quare sicut eos tibi expetis minimè refractarios, vt non gemens, sed cum gaudio facias quod facis; ita humanum te illis præbe, non valdè imperiosum, ingenuis saltem & facilibus; & da operam in re præsertim graui, vt intelligant ratione conuicti ita esse faciendum. Ægrè paret, qui se suspicatur nō ex ratione agere. Non omnes facti sunt ad proprij abnegationem iudicij. Quamuis de numerosis Laicorum, cæterum curam neglexeris salutis spiritualis commissæ tibi multitudinis conditioni tuæ accōmodatam, non modò quia *vnicuique mandauit Deus de proximo*; sed spectato spirituali fine tui muneris, ad quem sine dubio inflectes illos tantò faciliùs, quantò religiosiores erunt, & probiores: *cùm pietas ad omnia vtilis sit.* Adde, quòd pios facere ideò pietatis argumentū est in Rectoribus, quia innatū cuique est producere sibi simile, ídque te docebunt verba illa Danielis: *Parētes enim illius cùm essent*

Legi diuinæ & rationi contrarium non imperandum.

Ægrè paret qui suspicatur ex ratione non agere.

Eccles. 17.

1. Tim. 4.

Dan. 13.

iusti, erudierunt filiã suam secundum legem Moysi.

Non sermone tantùm seu præceptis ostendes tuis optima; sed vita, & operibus: duabus siquidem opus est rebus ad hominẽ regendum, sapientia & exemplo: sapientia, vt rectum esse credatur quod iubetur; exemplo, vt posse fieri, reipsa itaque præstandum quod verbo edixeris, nisi cum tua id conditione non cohæreat. *Vita non modò plurimum persuadet*, ait Fabius, *verum etiã cogit*. In bello ipso ad militum animos concitandos cohortatione ista nulla est potentior: *Facite milites, quod me videritis facientem*, qua vsos legimus Gedeoné Iudic. 7. & Abimelechũ Iudic. 9. Eadem continuò totum peruadit exercitum, vt nemo sit adeò ignauus, qui non etiã parui æstimet vitam, quã videt Imperatori suo tam vilẽ esse. Hinc est, quòd Christus & Apostoli facilè mundum in suam pertraxerunt sententiam; nempè quia, vt loquebantur, ita viuebant. Sicut pictores cùm nobile exmplar frequenter aspiciunt, facilè ad eius lineamenta & colores imaginem exprimunt: ita planè subditi vix à præfectorum suorum discedentes latere, obseruatas in iis virtutes facilè imitantur.

Exemplum quã potens ad persuadendum.

Persuasum hoc habũit qui scripsit:

In commune iubes si quid, censésque tenendum,
Primus iussa subi; tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat cum viderit ipsum
Authorem parere sibi.

Claud. 7. Panegyr.

Secus euenit cùm notant in iis vitia contraria; etiã saluberrima rident præcepta dicúntque

que: Quid sibi volunt isti? ad quid viam nobis proponunt, quam non ingrediuntur? Iubent quod nō faciunt, interdicunt quod agunt. Si illud bonū est, cur non amplectuntur? Si istud malū, cur prosequuntur? Quo iure habere nos volunt se meliores? An nesciunt prolis proprium esse, parentū sequi vestigia, & existimare, quod exemplo fit maiorū, iure semper fieri? His consentiunt verba M. Tullij ad Plancū, postquam hortatus est, vt exemplo præluceat: *Hæc si ages & senties, tū eris non modò Consul & cōsularis, sed magnus Consul & consularis: sin aliter, tū in istis amplissimis nominibus honorū, nō modò dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas.* Cicero l. 10. epist. fam.

Cùm similes subditi sint impolitis lapidibus, ad quos leuigandos ingenti patientia instructum oportet esse lapicidam; ad magnam se comparare debet quicumque præest aliis, principio nunquam optimis, multùm si non valdè malis; sub finem parum gratis, multùm si non ingratissimis & retribuentibus mala pro bonis. Omni fera efferatior est homo non sequens rationem ducem, sed affectuum propriorū impetum. *Homo non sequens rationem ducem qualis.* Si itaque negotio non caret, cui cicuranda feta vna committitur, quantò magis qui tot aliis præficitur frænum sæpè nullum admittentibus? Animo nihilominus non cadat, qui tales regit, quia sicut nemo bonus de repente fit pessimus, ita nec contra. Et sicut complexionem viciosam corrigere, atque in aliam mutare potest victus ratio, exercitatio, aër, consuetudo:

sic

sic indolem prauam cultura constans & assidua. Teipsum non potes statim qualem vis facere, & mirabere si hoc nequeas ab aliis impetrare. Non teneris Deo repræsentare bonos, modestos, peritos, &c. sed duntaxat vt tales euadant, fortiter incumbere. Equi quò ferociores, eò pluris fiunt cicurati, plus quoque laudis ac præmij habet cicurator. Nihil statim natura ad perfectum deducit; sed neque gratia, quia perfecta cùm difficilia sint & pulchra, longũ tempus desiderant. Et tu ipse priusquam è pueritia emergeres, non statim deposuisti omnem vitiositatem, imò rectoribus tuis diu multúmque cum ea luctandum fuit. Exere tantum vires, fac quod in te est, & omnibus satisfeceris. Quandiu per te non stabit, quò minùs progressus in virtute aut literis faciant ampliores; tristitiam deponito, si non omnem (Angelorum propria est tanta animi tranquillitas, dicentium sine vllo doloris sensu; *Curauimus Babylonem & non est sanata*) saltem nimiã. Tabescere te quandóque faciet zelus tuus, & cum B. Paulo sic ingemiscere: *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Pones interim mœstitiæ tuæ modum eo nomine recreatus, quòd minus malos rudésque post te sis relicturus, quàm sine te futuri fuisse viderentur, nec passus sis industriam tuã in iis probè excolendis desiderari. Quocirca facito quod monet Ecclesiasticus: *Curam illorũ habe, & sic conside, & omni cura tua explicita recumbe, vt*

Hier. 31.

Eccles. 32.

lateris

lateris propter illos. Vnum superest quod adiiciam. Magis timeant qui præsunt, ne quid mali moliantur subditi, quàm ne quid mali patiantur, nec tam sibi quàm illis metuant. Non aliter ac canes nocturnam ac laboriosam agentes ouium in sepris custodiam, simul atque trucem audierint feram, non sibi timent, sed gregi quem custodiunt. *Cura suorũ sedulo habenda.*

§.2. Parentum propria sunt quæ sequuntur. Si cómodè potest mater, nec repugnet consuetudo aut conditio, alat proprio lacte liberos, quos in lucem edidit. Cui non videatur repugnare naturæ, aluisse in vtero suo imperfectum quod nõ vidit; non alere autẽ, sed tradere nutricibus, quod iam videt viuere, iam hominem materna officia implorantem? Est quoque intercidere, atque diluere vinculum illud animorum, coagulúmque amoris quo parentes inter se, & cum filiis præsentibus, corámque versantibus eadem natura consociat. Vnum de placitis Platonis fuisse scio l. 5. de Repub. vt filij adhuc paruuli à parentibus abstraherentur, quò eos minimè agnoscerent. Sed hæc doctrina pugnat cum inclinatione naturali, quæ facit vt etiam oues balando suos sollicitè querant filios, & contrà, &c. Nouerit maritus se post primũ triẽnium prolis, teneri ad eam alendam, nec parum erubescat officij huius præstandi loco bona dilapidare, & miseræ vxori onus istud relinquere. Alat itaque suos, nisi vxore & liberis indignus videri velit, etiam illegitimos & spurios, quicquid in *Mater alat liberos.* *Maritus debet suos alere.*

in oppositũ præscribere videatur ius ciuile, Authent. ex complexu C. de inceſt. nupt.

Inſtituantur maturè ad virtutis normam; quia ſicut enſis curuari ægrè poteſt, eò quòd initio dũ in igne molleſceret, ſortitus eſt rectitudinẽ; Arcus chalibæus contrà frangitur potius, quàm dirigatur, eò quòd ſimili tempore accepit inflexionẽ: Sic prima educatio ſeu bona ſeu mala perſeuerare ad extremũ vſque ſolet. Nemo dicat; bonæ ſunt indolis, cultura non indigent. Poteſt quippè quantumuis bonos prauorum conſuetudo vbique peruia in tranſuerſum agere; & de Angelis ſi ita loqui licet, diabolos ſuſcitare, ſi eos inueniat debita inſtitutione vacuos, qua ſola eis reſiſtitur. Egregiè itaque excollantur etiã qui videtur boni. *Optima quæque*, ait Plato l. 6. de Rep. *ſiue naturæ ſiue fortunæ munera, ſi negligenter culta fuerint, in peſſima tandẽ euadunt.* Nõ fidatur naturæ bonitati, quia nec fiditur tranquillo maricũ inſtar ſolutio; ſed quæruntur remi, anchoræ, clauus, & alia ad ſalutẽ neceſſaria; futuráque præſidio aduerſum tempeſtates nõ ita multò poſt exorituras. Tardè nimis equo frænũ iniicit, qui expectat quouſque incipiat in præcipitia currere. Et quia parentũ exempla vt iam inſinuauimus, in vtramque partem valent plurimum, ſint ipſimet virtuti dediti, & procul ab iis, de quibus Quintilianus: *Vtinam liberorum noſtrorũ mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. Mollis illa educatio, quã indulgentiam vocamus, vires omnes mẽtis*

Bona educatio ab initio.

Quintil. lib. 1. cap. 2.

tis & corporis frangit. Et infrà : *Nostras amicas, nostros concubinos vident, omne conuiuium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur, fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hoc miseri antequam sciant vitia esse.*

Adhæc sicut docendis equis periti agitatores quæruntur, & ager vt benè colatur, vt fructum ferat copiosum, optimo duntaxat colono traditur; ita pueritiæ & adolescentiæ deligantur optimi præceptores, nec honesto ac liberali parcatur stipendio, quo tales inueniantur; maximè si paruulos suos sentiant factos ad nequitiam; quia tales nisi maturè emendentur, euadunt tandẽ nequissimi. Quæ causa fuit; cur puerum damnauerint Areopagitæ accusatum, quòd coturnicum oculos crudeliter confixisset. Inter optimos præceptores meritò numerantur, quicumque gratis docent, tũ quia diligentissimos in suo genere facit charitas, qua sola mouentur ad tot tantósque labores iuuentutis gratia suscipiẽdos: & dubitandum non est, quin Dominus Deus ob eandem virtutẽ, singularem benedictionẽ impertiat piis eorũ conatibus; tum quia præter humanam artẽ quæ quæritur, docent præcipuè adolescentes Dei timorem, pietatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c. Et cùm temporale non curent, nec quærant lucrum, perindè seduli sunt siue plures adsint auditores siue pauciores, cùm à nullo expectent mercedem. Quamquam non sufficit bonos filiis præceptores reperisse;

Idem lib. 5. cap. 8.

Præceptores optimi.

magi

magistrali prætereà authoritati consulendum spretis natorum expostulationibus, agendúmque vt seuerè potius quàm indulgenter à Magistris instituantur. Nam *qui parcit virga, odit filium.* Vix decretum hoc paternum auribus filij vsurpabunt, cùm statim salubriter metuent, & adigentur vtili necessitate ad præstandum quod sui est muneris, scientes se secus indubiè vapulaturos, nec vllum sibi superesse apud patrem matremue refugium. Sat quoque diu alligandi sunt eiusmodi præceptoribus, nec ferendum, vt discedant ab eis, priusquam maturuerint. Lana, vt penitus colorem imbibat, non debet à baphia statim abstrahi, nec sufficit nauiganti peritos initio sortiri nautas; sed indiget iis posteà multò magis nauigatione procedente. Quid autem aliud est decursus vitæ, quam in periculosissimo mari instituta nauigatio? Quid aliud pueritiæ succedens adolescentia, quàm vitæ pars plena periculis, in qua ob crebras tempestates & scopulos citò fit naufragiũ? Quod si filios suos experiantur à studiis abhorrentes, libidine diffluentes, & planè immorigeros, *cõnubio subiugentur*, inquit Plutarchus (vbi primum per ætatem commodè licebit) *hoc siquidem tutissimum iuuentutis est vinculum.*

Prou. 13.

Immorigeri matrimonio copulandi. Plut. lib. de Educat.

Quo amore prosequenda proles.

Ament proles suas, sed amore sancto, non fatuo, quo necessarias vtilésque censuras prætermittant, ad perniciosa eorũ desideria conniueant, & duci se sinant à puerilibus studiis eo modo quo senex & cæci à catulis funiculo alliga

alligatis, quorum ductu sæpè aberrant, impingunt in lapides, in fossas ruunt. Laborauit hac vecordia cum vxore sua Temistocles, dicere solitus ad confusionem propriam, filium suum, qui plus æquo abutebatur matris licentia, & per illam sua, quemuis alium Græcum authoritate vincere. Cæteris enim imperate Athieniensibus, sibi illius matrem, matri illum. Ad castigationem veniendum est, fateor, quasi ad vrendum & secandum: veniendum tamen. *Noli subtrahere à puero disciplinam*, ait Salomon. *Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Amat prolem simia, sed immprudenter, cùm illam perimat complexu nimio. Ita planè quicumque parens nimis indulget filiis & filiabus, qui obseruare non studet innumeras quas in tenera etiam ætate committunt nequitias, luxuriæ maximè, vel quæ deterius est, dissimulat obseruatas, quas sub grauissima oportebat interminatione vetare, & seueritate nihilo minori detectas vindicare. Optas proli fœlicitatem? at profectò fœlix non erit, si peccet impunè. *Nihil est infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.*

Plutarc. in Themistoc.

Themistoclis amor in filium intempestiuus.

Prou. 13.

Castigatio necessaria.

S. August. epist. 5.

Hic tamen tria iuuerit annotasse. Primum, si vtcumque ingenui sint filij, inducantur ad sui rationem officij, non tam metu, clamoribus, minis aut verberibus; quàm paternis blandisque monitis ac munusculis. Scitè pro-

Pueri quo modo ad officij rationem adducendi.

inde Apostolus Col. 3. *Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.* Sed neque defuit è profanis qui diceret: *Pudore & liberalitate contineri liberos satiùs est quàm metu.* Addit Papinianus, *meritis prouocandi liberi sunt ad paterna obsequia.* Et Plut. in lib. de Educat. *Aliena sunt verbera ab honestorum ingenuorumq; filiorum educatione. Exprobratione potius, & laudibus excitari ad optima quaque debent.* Alterum, non facilè exhibeant vni parentes longè maiora amoris argumenta quàm reliquis. Obfuit hoc non parum Ioseph, de quo Gen. 37. *Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.*

Terent. in And.

Papin. in l. si quādo C. de inofficio. testam.

Modus seruandus in castigatione.

Tertium si ad corporis castigationem necesse sit descendere, seruetur in ea modus. Neque enim parenti licet authoritate priuata afficere filium quacúmque pœna, non mutilare, non occidere, atque vt verbo dicam, non atrociter castigare, esto fortè delictum eius tanta esset animaduersione dignum. Tanta seueritate in peccantem vti solus Iudex potest, vt habetur l. vnica §. vlt. C. de emend. propinq. Iniquissimè proindè egit Lacæna illa, quæ suum percmit è bello redeuntem antè partam victoriam, quasi & se indignum & patria.

Plut. in Apoph.Lacō.

Hunc timidum mater Dematrion ipsa
peremit
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

Deuotiones & maledictiones vitanda.

Superscdendum similiter deuotionibus omnibus seu maledictionibus, quibus præterquàm

quàm quòd filij nihilò euadunt meliores, maximam indè perniciem hauriunt, adeò vt deuotionis eiusmodi fulmen ad extremum pertinere malum olim crederetur, eò quòd patris ius in filium proximè ad diuinum accedit, vt notat Plato lib. 13. de legibus. Quid? an horribilius iis contingere aliquid poteſt, quàm ſi excludantur in æternum à regno cœlorum? & irredimibilia fiant mancipa tartarei carnificis? hoc autem in maledictione quandoque contineri, non obſcurè declarant verba illa Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: & quamuis illud non ſibi ſemper maledicendo præſtituant, aliquando tamen ab illis intendi coniectare licet, quòd aliàs verbis vtantur æquipollentibus, vt *Diabolus te rapiat*, vtique in infernum. Et quamuis quoad hunc effectum efficax eſſe non poſſit hæc imprecatio; eſt tamen ſæpè quoad damna minora ſeu temporalia, ſicut etiam pauperum oppreſſorum diris deuouentium oppreſſores, iuſtas querelas ſuas apud Deum ſummum vindicem deponentium, & ius poſtulantium. Quamuis rurſus non peccent imprecando mala quædam minora bono fine, vt videlicet per illa ſapiant; peccant tamen ſi malo, & ex odio id faciant, vt tradit S. Th. 2.2.q.76.a. 3. & 4. Proſtat exemplum terribile apud Ioan. Archipreſbyterum in vita S. Zenobij. Enormiter percuſſa mater quædam à filiis, cœpit genibus procumbere, & terram pulſare manibus, ſimulque peſtes omnes tartareas in natorũ corpora inuocare: *Vltio diuina in filios malos.*

qui statim coepti à Dæmonibus in se inuicem rabidorum instar canum irruerunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens, alij cathenas expediunt, ligantur iuuenes, nec quicquam tamen de rabie remittunt. Huc pertinet quod recitat S. Augus. ex libello vnius de decem fratribus ab imprecante matre diris traditis, cui nomen Paulus, quique ad reliquias S. Stephani ad artuum omnium horrenda conuulsione est liberatus. *Cùm adhuc in patria nostra Cæsarea Cappadociæ moraremur, frater noster natu maior grauibus atque intolerandis communem matrem affecit iniuriis, in tantum vt etiam ei manus non dubitauerit inferre. Quod nos omnes filij pariter congregati patienter tulimus, vt ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem fœminei doloris stimulis incitata iniuriosum filium maledicendo punire constituit; cúmque ad sacri baptismatis fontem memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tum ei nescio quis in patrui nostri similitudine, vt intelligitur, Dæmon occurrit, & ab ea prior quò pergeret requisiuit. Cui illa ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc ille inimicus, quoniam in mulieris insanientis corde locum facilè inuenire potuit, vt omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis sacrum fontem prouoluta corripuit, & sparsis crinibus, nudatisque vberibus hoc à Deo potissimum postulauit, vt extorres patria, & circumeuntes alienas terras omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas* preces

S. Aug. l. 22 Ciu. c. 8.

preces efficax vindicta prosequitur, eundemque continuò fratrem nostrum ætate & culpa maiorem tremor membrorum tantus inuasit, quantum in me ante hoc triduum vestra sanctitas vidit. Seruato autem ordine quo nati eramus, ante vnum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam peruenisse, impietatis suæ conscientiam & opprobrium hominum diutius ferre non potuit, sed laqueo guttur adstringens luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes opprobrium nostrum non ferentes, & communem patriam relinquentes passim sumus per diuersa dispersi. Respondere solent parentes, obiurgati propter morem hunc imprecandi natis, obrepsisse sibi iram cæcam ac repentinam. Sed non omninò purgat illos ista responsio, quia sæpè vsque eò repentina non est, vt non viderint, aut videre potuerint, facere se quod non licet, irasci more ferarum, non præmeditatâ loqui, laxare habenas iræ. Nam neque excusantur apud Iudicem, qui se dicunt iræ impetu aut linguæ fecisse calumniam. Sed & blasphemiæ rei sunt, qui irati in blasphema prorumpunt verba, esto, non intendant expresse per illa Deo maledicere & conuiciari.

Exemplum aliud.

Quarta parentum præscriptio sit, abstinere ab indulgentia, & familiaritate nimia erga liberos, ac præsertim filias, de quibus Eccles. 7. *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & ne ostendas hilarem faciem ad illas.* Detrahantur illis lautitiæ, dapes copiosæ, vestes deli-

Familiaritas nimia vitanda, filiabus præsertim.

catæ ac fulgidæ, armillæ, cathenæ, annuli, quibus quasi captiuæ Diaboli mundique tenentur. Contrà imponantur eis curæ domesticæ, pensa, acus, colus, & alia quæ suaues indurent mollesue manus. Remoueantur à spectaculis, à choreis publicis, à concursu populi, in primis verò iuuenum. Sique mussitent & causentur minus sibi consuli, quàm aliarum familiarum puellis ab omni fermè labore exemptis, liberè excurrentibus, longè cultioribus: Responsum accipiant, abundent, vt volent, in sensu suo parentes cæteri, ego quid mei sit muneris, quid tibi expediat, quid conditioni debeatur tuæ, apprimè scio. In hac causa nec illorum iudicio stare me conuenit, nec tuo, sed te meo. Veniet tempus, quando meum laudabis arbitrium. Quærere me oportet primùm adolescentiæ tuæ ornamenta præcipua, hoc est animi, quæ te dignam ornamentis corporis efficiant, quibus si te à principio assuefacerem, cum ætate cresceret illorum appetitus, omnémque tandem modum excederet. Mediocritas tibi semper placeat, excessus nunquam. Ornata satis & diues prudentibus procis apparebis, si sis pudica, impigra, & aliis exculta virtutibus. Dixit quidam: *Dummodo morata rectè veniat, dotata est satis.* De laboribus, quos turpis otij loco à te exigo, vtiliores tibi sunt, quam arbitraris. Vires augent corporis, conducunt ad valetudinem, quin etiam ad roseum vegetumque colorem, qui non modica pars est pulchritudinis. Easdem nolen

Dos vera filiarũ quæ.

Plaut. in Aulull.

nolentes cœlibem vitam viuere, non cogant parentes, sed nuptui tradant, & iuxta Eccles. cap. 7. *grande opus fecerint.* Cùm primùm impuberes esse desinunt (idem de maribus iudicium) sui iuris esse incipiunt in grauissimis quibusque rebus, cùm nullo modo expediat, vt inuitæ portent eas, ne afflictionem duplicem sustineant, alteram ob pondus ipsum, alteram ob repugnantiam. Huius generis sunt status regularis, & status coniugalis, vterque ex se immutabilis, vterque arduus. Ille quidem propter abdicationem rerum omnium temporalium, & voluptatum, & propriæ voluntatis: hic verò propter molestias quamplurimas, de quibus, 1. Cor. 7. *Tribulationem carnis habebunt*, & quas solus non credit inexpertus. Ob id priorem illum nemini proposuit Deus, nisi sub conditione, si vellet; his verbis: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.* Et: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Sed & libertati prouidit posterioris, satagens vt Rebeccæ tradendæ in matrimonium voluntas ante quæreretur, Gen. 24. Crudeles proindè sunt, qui filios & filias suas gementes & flentes cogunt huic vel illi Ordini regulari nomen dare; nimisque insinceri, qui diuini cultus amplificandi specie id tantùm spectant, vt numero non grauentur liberorum, aut deformitate. Nimis denique imperiti, qui in animum inducant, placere Deo inuita obsequia: aut parum cedere in tantæ contumeliam maiestatis,

Filia non cogenda ad cœlibatum.

Matth. 19. & 16.

cùm quis seruans sibi meliora, obtrudit deteriora. Seligebantur ab ipsis etiam Ethnicis meliores victimæ ac pinguiores, & ad aras ducebantur, non trahebantur. Si quæ vehementius repugnabat, ab illis remouebatur, vel mali ominis erat argumentum. Cesset itaque vis omnis, non impediantur, nec prohibeantur nubere, quantumuis fortè per parentis votum sint ad regularem ordinem aliquem destinatæ. Tanta sanè quandoque est parentum auaritia, vt ne fortè indigeant, aut cogantur sumptus contrahere solitos numerata dote filiarum, obstent modis omnibus ne nubant. Quod quàm crudele sit ac turpe, quis non videt? Haud dubiè non tenentur in eiusmodi casu filiæ, illorum expectare consensum, quia frustrà expectarent, & inani spe lactarentur. Non etiam vi adigantur ad sponsos quos non diligunt admittendos. Vicissim nec patet interdicat illis vitam amplecti cœlibem, nec mater, in qua seruire Deo possunt tutiùs, tranquilliùs, liberiùs, ac perfectiùs. Non extinguatur in eis sanctum desiderium, sinantur venire ad vocantem se maiestatem, quæ domina est vniuersorum, vt animæ patris, ita filiæ. Sinantur, inquam, vbi satis constiterit vocationem esse à Deo, quod euenire solet, quando id constanter in votis habuerunt per plures annos, & proferre optimas norunt propositi sui rationes: verbi gratia, adspirare se ad vitam religiosam, vt procul viuant ab illecebris mundi & periculis, vt commodiùs &

Non adigendæ ad sponsos quos non diligunt admittendos.

Non interdicenda amplecti vitam cœlibem.

& sine obice Deo præstent obsequium, vt peccent leuius ac rarius, vt ampliora sibi merita congregent in vitam æternam. Tam benè affectas vi retinere in seculo, quanta est audacia? quanta ingratitudo? Si vocaret illos, vel illas Rex, aut Regina mortalis, nemo repugnaret; sed exemplo Isai, cuius filium Dauid secum habere volebat Rex Saul, mitteret voluntate promptissima, plusque sibi promitteret emolumenti ab vtraque maiestate dimissis illis, quàm domi hærentibus. Deus autem Rex est Regum, & Dominus Dominantium. Quomodò in procinctu possunt esse cum Abraham ad vnigenitos suos eidem iubenti immolandos, qui vt viuos commodent, ne persuaderi quidem se sinunt?

Et quandoquidem in matrimonij mentionem incidimus, non quærantur illis coniuges iusto tardiùs (ne respuantur tandem ab omnibus quasi vetulæ, aut exstimulentur victæ concupiscentia facere quod non licet) nec vicissim ante ætatem congruam, nec valdè impares annorum numero, conditione, viribus, aut non orthodoxi. Ex immaturis coniugibus emanant damna, nec pauca, nec modica; vt propria ipsorum tabes & marcor, dilapidatio bonorum ob imperitiam regendæ familiæ, amores congressusque adulterini, eò quòd iuuenis quisque cito iis satiatur, quæ iam habet.

Sublimis, cupidus, & amata relinquere pernix. Horat. in arte.

ac denique continua penè prolis infirmitas.

Neque enim fortes creantur nisi fortibus. In corpore porrò marcido vix potest esse animus vegetus & operationes habere perfectas, cùm à dispositione bona pendeant exteriorum interiorumque sensuum. Taceo, quòd sicut parentes facilè reuerentur filij, cùm eos vident mole & ætate longè superiores, ita contra dum eos considerant sibi penè coætaneos, citò contemnunt & insolescunt. Coniuges dicuntur per metaphoram ductam à coniugio boum arantium, ex quibus si alter altero sit lõgè inferior, vel imbecillior, cùm neutro agetur benè, quia plus æquo laborabit. Quam etiam ob causam ait lex quædam: *Non arabis in boue & asino.* Infideli coniuge maximéque hæretico pestem mihi nullam dabis capitaliorem. Si sit fœmina, seducit tandem virum blanditiis quasi fascinis & præstigiis, vt Adamum Eua, & in errorem suum pertrahit etiam prius sapientissimum, vt profanæ mulieres Salomonem, & Iezabel Achab Regem. Sin autem vir, coget fœminam in suum consentire.

Aetas æqualis esse debet in cõiugio.

Tandem coniux longè ditior minima exorta lite exprobrat alteri paupertatem, & premit illum tyrannide, vt docet muris & Leonis apologus. Abroso leonis laqueo, rogauit mus eius vt filiam in vxorẽ acciperet. Annuit Leo, sed noua nupta ad virum veniens cùm eum non obseruaret obuiam procedentem, casu pressit pede & contriuit. Eleganter Plutarchus: *Qui seipsis longè ampliores capiunt vxores, non earum maritos, verum dotis mancipia fecisse se nesciunt.*

Si alter cõiugum superet diuitiis.

sciunt. Elegantius adhuc Martialis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,
Non aliter fuerint fœmina virque pares.

Mart.lib. 8. Epigr.12.

Nimirum paria dicuntur, quæ aptè inter se cohærent, quia ergo non cohæret viro vxor, sed furias agit, & intolerabilem se præbet, si conditione par sit aut superior, paulo inferiorẽ oportet esse. Concludit Ouidius:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Ou.in Deianira.

Pergamus porrò. Munera nulla publica quærantur filiis, quæ obire pro dignitate nequeunt. Nam quæ illorum industriã, virtutémque superant, similia sunt prælongis vestibus, quæ inficiuntur, & trahuntur per lutum potiùs quàm portentur, gestantésque exponunt risui, incedentes impediunt, & sæpenumerò cur cadant in causa sunt. Ne prętereà artibus addicãtur vel studiis, à quibus vehemẽter abhorrent. Quid enim iuuat naturæ repugnare, & cum ea luctari quasi consertis manibus?

Ad munera publica impares.

Tu nihil inuita facies, dices ue Minerua.

Horat.in Arte.

Sed neque est, cur multo se labore conficiant, vt hæreditatem eis relinquant amplam & copiosam, quia talem parare, ac relinquere nihil vulgò videtur aliud, quàm tricis plurimis illorum intricare conscientias, fatigare curis capita, sarcinis grauare humeros, occasiones item multiplicare luxus, vanitatis & ignauiæ. Solent siquidem locupletum filij esse tumidi,

De diuitiis non nimium satagendum pro filiis.

fastuo

fastuosi, arrogantes. Opibus suis velut alis aureis supra omnes sese attollunt, multo altius sé stare arbitrantur, è sublimi derident minus locupletes, luxu diffluunt, nihil non licere sibi credunt, aggrediuntur temerè & audent plurima, inuidiosè se iactant & venditant, opes suas ad omnia putant sufficere. Ita fit vt virtutes, vt artes, vt studia literarum colere negligant,& dum negligunt,euadant plerumque ignauissimi, & mera pecora Melibæi. Secus fieret, si transmissam ad se tenuem hæreditatem cogerentur marte proprio amplificare. Esset illis tum gratior, tum etiam honorificentior fructus industriæ propriæ, non alienæ diceretur, tantóque æstimaretur pluris quantò filiis adoptiuis anteferre homines solent, quos genuerunt. Magnam partem thesauri maximi sibi à Dauid patre suo relicti in quid impendit Salomon, nisi in luxum, cantores,cantatrices, & suburbana ædificia? Quid itaque facto opus? Opes eis veras ac solidas quærant impigrè genitores, optimam dico à puero conuersationem,fidem,religionem nulla profana nouitate adulteratam, Dei timorem, pietatem, castitatem, modestiam, artes & scientias; quibus fieri non potest quin satis sint opulenti, quantumuis desint cæteræ, ad quas etiam sternunt; sicut scriptum est: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & catera adiicientur vobis.* His autem reliquis solis abundare nego esse diuitem, vtpotè caducis, extra nos positis, à Christo contemptis, corpori

Opes veræ quæ.

Matth 6.

dunta

duntaxat vtilibus, & ærugini furtóque obnoxiis; vt denique prolium suarum concordiæ satis consulant, maturè & solerter sua condãt testamenta, ne mors ex improuiso intestatos abripiens, intestinis odiis ac dissidiis domum repleat. Hîc me scio multis surdis canere: multos enim video adeò à morte abhorrere, vt cùm stultè præsumant accelerari eam, si aut conscientiæ suæ consulant, aut de bonis suis disponant, neutrum omninò præstant summo suo dedecore; aut tunc primum faciunt cùm non abs te ambigitur, sint ne sibi præsentes; quo casu quæ vis pœnitentiæ, ac testamento inesse possit, Deus scit. Oppugnari sanè in foro ciuili tanquam nullum consueuit, & ridetur author velut imprudentissimus.

§. 3. Quemadmodum prudentes Agricolæ delectum magnum habent agrorum, quos colere instituunt, vt expetitos ex iis fructus percipiant; ita maritum oportet eiusmodi vxorem sibi quærere, quæ ad parendum, quæ ad domesticam pacem & negotia, quæ ad susceptã prolem probè educandam sit idonea. Equum vitiosum, inutilem, intractabilem abiicere qui vult potest, aut vendere, aut cum alio cõmutare; non ita vxorem, propter decretum illud ratum; *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Videndum proinde etiam atque etiam cuiusnam vitum te facias, recurrendum ad Deũ, consilia vt tua dirigat, optimámque tibi assignate velit consortem, qualem occurrere pro Isaac filio Domini sui Abrahæ flagitabat Elie- *Vxor quanã eligenda.* Matth.23.

zer

zer Gene. 24. Maritorum pars maxima in aliis forte negotiis non incauta, in isto vno capite humanorum omnium præcipuo, solet esse insipientissima. Currit cæco impetu ad nuptias, vix vllum adhibet mentis iudicium, quod si in omni nostra actione non antecedit, in magna incidimus incommoda. De seruorum qualitatibus ad tempus duntaxat retinédorum non oscitanter interrogant: de vxorum autem moribus, quæ assumuntur in indiuiduam vitæ consuetudinem, vix quicquam sciscitantur. Præposterè amant, nempè antequam iudicent, qui error dici non potest quàm multa in vitam nostram inuehat mala, vt nihil mirum videri debeat, si tot cóiuges diuortium faciunt ab inuicem, quippè quos intempestiuus affectus imprudensque copulauit. Quæ præcipitatio si vitanda est in amicitiis communibus deligendis, multò certè magis in connubialibus. Non ergo statim putemus idoneam, quæ concipere, edere, nutrire potest filios, quæ formosa est, diues, fortis, aut nobilis; sed quæ bonæ indolis, casta, humilis, modesta, solers, morigera seu parendi perita. Et quoniam hę dotes facilè finguntur cùm desunt, obtestandus, vt dixi, est Deus, ne errorem sinat obrepere, seu duci vxorem, de qua vel cogitasse breui pœniteat, & quacum viuere te oporteat damnati vitam; vt potè cupientem, nec tamen valentem ab ea discedere. Sicut enim cælitum vita est, versari quibuscum libeat, & quos ames; ita damnatorum ea est

Consideranda multa ante matrimonium.

Idonea vxor quæ.

Cælitum vita, & damnatorũ.

cala

calamitas, quòd omnes oderunt se mutuò & execrantur. Hîc nolo vnum de multis non attingere. Inuenustam vxorem, sed probam quære tibi potiùs, quàm formosam, sed improbam. Formosissimam si duxeris (nisi fortè simul pia valdè sit & timens Deum) vix vnquam cariturus es solicitudine molestissima. Insidiabuntur ei plurimi, & difficile est, vt quod expetitur à multis & oppugnatur, atque ex se debile est, non tandem expugnetur. Et quoniam vxor dignitatis nomen est, non voluptatis; non secus ac maritus coniunctionis, propinquitatis, vnionis est appellatio; nequaquam hîc illa vtetur quomodolibet si sapit, sed honestè, parcè, verecundè, congruenter ad generationem; nihil circa eam seu repugnantis, seu etiam consentientis contra naturæ legem, seu ordinem tentabit operari, honorabile conseruabit connubium suum, & thorum immaculatum. Non erit velut equus & mulus, quibus non est intellectus. Possidebit iuxta præscriptum Apostoli vas suum, *in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deū.* Ad memoriam passim reuocabit sententiam auream Xisti Pythagorici: *Adulter est in suam vxorem omnis impudicus amator ardentior*, quia nimirum in eâ solam quærit voluptatem; sicut adulter in adultera. Sed neque immemor erit pronuntiati Aristotelici: *Appropinquandum vxori cum magna temperantia atque modestia; sit pudor in verbis;* *in*

Vxor formosa.

Vxor & Maritus qualia nomina.

1. Thess. 4.

Arist. lib. 2. Oecon. c. 2.

in operibus verò fas atque honestum. Et infrà:
Idem c.4. *Manifestè præcipit Poeta virum & vxorem in his quæ improba & impudica sunt, sibi inuicem consentire nequaquam debere.* Non alieno duntaxat vino inebriari quis potest, sed etiã suo. O quàm multi olim polygami tẽperatiores fuere multis ætatis huius monogamis! Nam præterquam quod nunquam vtebantur illis voluptatis gratia, verùm generationis, nunquam eas iam prægnantes inibant ante partum, sed ab illis prorsus abstinebant obseruantes quod scriptum reliquit Athenagoras: *Nobis concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur.* Rectè sanè, quia nec sapiens agri cultor secundò semen iacit in terram germinantem, sed messem ex primo patienter expectat.

Ad hæc qua lege castã, pudicam, fidelem vis experiri; eandem vicissim serua vxori fidem coniugalem, quia quoad hoc par est vtriusque obligatio. Scribit Apostolus: *Mulier sui corpo-*
1.Cor.7. *ris potestatem non habet, sed vir.* Vicissim autem non prætermisit dicere: *Vir sui corporis potesta-*
Arist. supra. c.2. *tem non habet, sed mulier.* Quibus diuinis verbis affinia sunt illa Aristotelis: *Grauiter vnusquisque fert honore suo priuari, nec si aliena quis permulta tribuat, contentus erit, si sua sibi auferantur. Nihil verò magis suum est vxori, nec magis illi à viro præstandum, quàm sancta & intemerata societas. Quapropter non decet hominem sanæ mentis vbicumque contigerit semen exponere, ne de vilibus & iniquis similes liberis legitimis procreentur, ex quo & vxor honore suo priuatur, & filiis iniuria fit,*

fit, ac sibi pro his omnibus decus incumbit. Noluerit illa reddere debitum cùm teneretur, quodque grauius est, polluerit se adulterio; non idcircò adulterare viro conceditur, quia sic à malo vinceretur, malignantem æmularetur, zelaret facientem iniquitatem, castigaret peccato subditam, malo malum medicaretur, violaret diuinum sine exceptione præceptum: *Non adulterabis, non mœchaberis.* Exod. 20.
Reliquorum contractuum alia est ratio, de quibus nihil statuit Deus, sed quos reliquit mutuò hominum arbitrio. Dirimi possunt vtriusque consensu partis, habetque in iis locum quod dici solet:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Ne autem existimet se tunc solùm adulterij crimen incurrere, quando non suam reipsa init vel inire appetit; sed etiam quando vtens propria fingit sibi animo peregrinam, ac si cum ea concúberet. Tunc coram Domino appendente corda hominum adulter efficitur, imò sacrilegus, si aliena illa se Deo dedicauit, stuprator si sit virgo, incestuosus si de numero consanguinearum vel affinium intra quartum gradum. Sed neque blandiatur sibi & credat, quia vxoratus est, licitum extra vsum coniugij libidinosè tangere & proritare carnem suam ad excretionem seminis. Nam certò certius excretio hæc spontanea peccatum lethale est in quolibet etiam coniuge, vtpote contraria fini coniugij, dum frustra & sponte genitura profunditur, quæ ad illum ordinatur.

Adulterium cum vxore propria esse potest.

Excretio seminis spontanea peccatum mortale.

Propter quod subita morte, in ipso flagranti scelere Oniasà Deo percussus interiit, dictusq; est operatus fuisse rem detestabilẽ. *Molles*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. *regnũ Dei nõ possidebũt.*

Gen. 38.

Vsus coniugij suspendendus aliquando.

His non contentus suspendat quandoque eundem vsum, in festis præsertim solennioribus, eorumque vigiliis, vt purius orationi vacet, iuxta consilium eiusdem Apostoli 1. Cor. 7. & probet hac continentia mancipium se non esse propriæ concupiscentiæ, sed habere eam in sua potestate. Idem iudicium si menstrua patiatur vxor, aut vicina sit partui. Tunc, inquam, abstinere à copula expedit, ne in lepram incurrat proles, si mẽstrui tempore concipiatur, aut ne exponatur abortus periculo. *Tempus amplexandi, tempus longè fieri ab amplexibus.* Eccles. 3.

Caueat viuente adhuc vxore cum alia contrahere. Etsi namque id licere doceat carnalis Nouatorum fides magistra licentiæ, negat Catholica subnixa verbis illis ineluctabilibus. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et: *mulier viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Ne quidem excludat eam à thoro aut domo sua, nisi ex causa grauissima, cuiusmodi esset lues, vel adulterium seu fornicatio coniugalis, de qua Matth. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa,* &c. Quod quidem præcipuè locum habet, quando iuuencula est; tunc exponitur manifesto lapsui ætas fragilis: sin autem prouectæ ætatis,

Matth. 13.

Rom. 7.

ætatis, impius nimis maritus esse conuincitur senectutem illius destituens, cui iuueni ademit virginitatem, & proles quam ex ea suscepit, obliuisci discit genitricem suam, vel etiam abominari velut extraneam, cum apud illam non educetur. Obseruant hoc præscriptum ægrè, qui contrahendo præcipuè habuerunt formæ rationem, qua habeunte leui momento de diuortio cogitant.

Si verum excutias, facies, non vxor amatur: Iuuen. Saty. 6.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes oculique minores;
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi;
Iam grauis es nobis.

Eiusdem vxoris suæ pudori consulat, & scandalo occurrat domesticorum, ne cùm ea lasciuiat talibus arbitris. Nam si cum ea verecundari de mutua debet salacitate (cui verecundiæ, vt aliquod esset remedium, noctem Deus instituit, in qua alter ab altero non cerneretur) quantò magis coram eiusmodi testibus etiam paruulis? Nam etiam tales plus obseruant quæ domi fiunt, quàm quis putet. Burdegalæ certè anno 1528. ex his duo sexennis & septennis interrogati à Magistratu, quomodo eorum mater in puteum cecidisset, responderunt: cùm iuisset haustum aquam, veniens à tergo pater subleuauit eã & præcipitauit, hæc causa mortis. Fuit hoc satis, vt torturæ subiiceretur ex decreto Senatus, & quãuis mortem euaserit, quia torturam sustinuit, expertus tamẽ est dãno suo, quã obseruent pueri omnia &

Verecundia in coniugio.

Gg 2 appre

apprehendant. Eleganter proinde idem Poëta:

Iuuen. Sat. 14.

Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos.

Zelotypia fugienda.

Ne sit zelotypus, nisi velit amariorem felle vitam viuere, ne facilè suspicetur impudicam, aliàs non cessabit discruciari tam ipse hoc metuens, quàm illa, de qua iste erit metus. Vxoris est, fateor, attendere etiam atque etiam, ne quid dicat aut faciat, quo in suspicionem venire possit perfidiæ, præsertim si vir natura sit suspicax; sed vicissim ad huius spectat prudentiam, vmbris non commoueri, nec quilibet dictum factumue paulò inconsultiùs interpretari mox in partem deterrimam. Quam credis pœnam luit iusto Dei iudicio Ludouicus Crassus Galliæ Rex, quod de Richarda vxore sua castissima sentiret malè, imò vocasset adulteram, nec tamen posset crimen euincere? Derelictus est ab omnibus, etiam domesticis, tantáque pressus inopia, vt vel tenuem victum emendicare coactus fuerit ab Arnaldo Bauariæ Ducis filio, & non ita multò post mœrore confectus ex hac vita discesserit anno 887. Vicissim sit maritus hac ipsa in parte circumspectissimus, vitet primus quod vxori cupit interdictum, ei suspectum se non faciat, non præbeat se ancillis familiarem, maturè sub noctem in domum se recipiat, &c. Magno eam amore prosequatur, vt Christus Ecclesiam suam, & quasi sui dimidium, cum qua sit vna caro, habetque communes liberos, quos dictat ratio vincula for-

Bellef. in Crasso.

Ludouici Crassi mors miseranda, & cur.

tissima esse debere mutuæ necessitudinis. Et quoniam amor verus & sanctus patiens est, & benignus est, & non irritatur, &c. non cædat illam nisi in hanc impulsus necessitatem à peruicacia vel culpa eius grauissima. Ne in contumelias quidem facilè prorumpat, aut verba minacia, sed intra amica aut seria monita vulgò se contineat. Misereatur sexus fragilis; onera eius portet qui sua vult tolerari, non quia defectibus reciprocis sit ei similis, quo argumento vtens quidam dicebat improbis coniugibus. 1. Cor. 13.

Cum sitis similes paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus; Mart. l. 8. Epig. 35.
Miror non benè conuenire vobis.

Sed quia ius postulat, vt quod nobis fieri volumus, aliis faciamus. Rationibus potiùs agat, quàm clamore aut verbere. Inter lucra reponat, quòd nactus non sit deteriorem. Errata minora dissimulet, ne aliàs summum ius summa sit iniuria, & emungendo eliciat sanguinem. Verborum ineptias surda aure prætereat, contentus dicere, *tanquam vnam de stultis mulieribus locuta es*. (Affine est apophthegma Alphonsi Hispaniarum Regis apud Panormitanum dicere soliti, *vnicum remedium ad pacem coniugalem esse, si maritus sit surdus, vxor cæca.*) Ne iurgiis domesticis auspicetur tartarea, nec fabula fiat vicinorum de eiusmodi rixis dicentium: Iob 2.

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulsari. Iuuenalis.

Aut exemplo malo suis sit, aut gratificetur Diabolo subsilienti ad rixas mutuas quasi ad Pyrrhichium. Ne ex composito ei contradicat, vt Dyndimo se contradicere testatus est, qui scripsit,

Martialis l. 5. Epig. 80.

Insequeris, fugio; fugis, insequor: hæc mihi mẽs est.
Velle tuum nolo, Dyndime, nolle volo.

Seipsum indè consoletur etiam lacessitus, quòd non solus cogatur indigna quãdoque ab vxore audire & pati. Socrates cùm Xãtippem diu rixantẽ tulisset in ædibus, ac tandem fessus consedisset ante fores; illa magis irritata quiete viri, de fenestra perfudit eum lotio: qui tamen non ideò erupit in furorem; sed ridentibus, qui præteribant, irrisit & ipse, dicens: *Facilè diuinabam, post tantum tonitru pluuiam sequuturam.* M. Cato Censorius senex iá, diues, clarus, in Republica princeps, in vxorem duxit Salonij cuiusdam clientis sui filiam adolescentulam, obscuram, vilem, inopem; sed nihilominus procaciorem in dies, minusque obsequentem. Itaque vir ille oraculi loco habitus, tantæ vrbis sapientissimus, cui nec domi, nec foris parem ætas illa habebat, domi authoritate carebat apud puellam ineptulam, honoratam tamen eius causa, & matronarum ferè principem. Et quia iurgiorum multorum fomes est, negare vxori cultum vestium, quẽ iure suo conditio eiusflagitat, non ei vir neget, quas adiudicabit recta ratio, sed honestas suppeditet; neget autem superfluas, molles, & supra statum pretiosas, non obstantibus verbis Christi

Patientia ab vxore insigne exemplum.

Plutarchus in Catone.

Cultus debitus vxori concedẽdus.

Christi: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*: vt quæ mandatum non continent, sed abusum indicant, mundique vanitatem, quam remoturus à discipulis suis dicebat: *vos de mundo non estis*. Quicumque alit in vxore superbiam, superbus est, & magis magisque accendit insatiabilem eius cupiditatem, qua exhauritur tandem res familiaris. Prouocantur præterea intuentes ad concupiscendam eam, & opere ipso exponitur ludibrio verbum Dei. Nam cùm Apostoli præcipiant contraria, magnoque studio circumcidant in mulieribus aurum, margaritas, & impendiosa vestimenta; quoties sanè in pompa illa templum ingrediuntur, vbi illorum recitantur præcepta, toties facto suo se eis repugnare velle demonstrabũt; sique Paganus intersit, videatque quã tum mores à documentis dissideãt, risum non continebit velut inepta fabula offensus. Matth. 11. Ioan. 15.

Nono qualemcúmque nactus sit, suppeditet ei sufficienter pecuniam ad domesticos sumptus necessariam; sed ita vt si honesta sit & frugalis, non exigat datæ rationem; sin secus, exigat.

Neutrius consilia promiscuè amplectatur; vicissim non prorsus nec statim ea respuat, sed apud se expendat; quandoquidem nonnunquam sunt vtilissima, qualia qui non admittunt, vndecũque profecta fuerint, meritò prolabuntur in calamitates grauissimas. Si Henricus II. Franciæ Rex volens Lutetiæ secundo etiam die lætitiæ publicæ, cui occasionem Bellef. in Henric. II.

 dabant

dabant nuptiæ inter Philibertum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, & Margaritam eius Sororem in hastiludio, & torneamento decertare, sequutus fuisset Reginæ iteratum consilium, ac preces vti desisteret, nec vltrà periculosissimum id ludi genus adiret, sed aliis relinqueret contentus præcedentis diei victoria, lethale in capite vulnus non accepisset, quo intra dies 11. interiit: nec tam miserè, sed tamen verè contra se prophetasset, ad illam remittens qui diceret,

Henrici II. mors deploranda.

Adhuc semel, & amplius non.

Si denique videat orationi deditam, non increpet, non absterreat, non accuset quasi otiosam, vel abiicientem domus curam; sed magis gaudeat, cùm possit illa pietate sua multa à Deo toti familiæ bona impetrare, sicut Anna Samuelis mater; multa mala cum Abigail ab eadem auertere. Sufficit domesticæ rei cura moderata, cum qua facilè cohæret moderata pietas; nec expedit humanam deuotionem heu! sat citò pondere proprio ruituram, vrgere vt cadat & deficiat.

Dominorum feudi ac Vasallorum fides reciproca.

§. 4. Quod ad feudorum Dominos, non existiment licere sibi in Vasallos seu feudatarios suos quidlibet; sed intelligant habere secum iis communem causam fidelitatis secundùm iura. Ita vt sicut Vasalli seruare fidem iis debent, sic ipsi Vasallis: vtrisque debetur similiter incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile iuxta formam fidelitatis; ideóque regula est generalis: *Ex omnibus causis, & omni felonia, qua Vasallus feudo priuatur,*

lib. 2. feud. §. 1. de forma fidel.

Dominus quoque proprietate priuatur qua spectat ad Vasallum: De his dum loquor, ad Dominos alios gradum facio, qui heri seu œconomi appellantur. His prima insit cura, quam iam attigi initio cap. præcedentis, seruos suos facere bonos, & pro suo captu dirigere in vitam æternam. Hoc Christiana flagitat charitas, hoc meritum benè famulantium, tanti certè pretij, vt vice sint ipsorum patrumfamiliàs iuxta dictum Ecclesf. cap. 7. *Seruus sensatus sit tibi dilectus sicut anima tua*, & vice filiorumfamiliàs. Quocirca si ingenui sunt ac dociles, increpatoriis potius verbis castigentur, vbi peccabunt, quàm verberibus: Ministerium autem suum probè obeuntibus dicatur aliquando, *benè est, mihi satisfacis, perge quo cœpisti pede*, vel aliquid simile. Sin autem cerebrosi vel arrogantes, recurratur ad necessariam seueritatem. Cúmque circa tales oleum perdi videbitur & opera, vel in familiam ex eorum moribus ingens damnum redundare, actutum ad suos remittantur, quia omninò præstat habere nullos, quàm ignominiosos pestesque liberorum. Hac cogitatione permotus Abraham iussit Agar fastuosæ colligere sarcinas solúmque vertere. Multò magis obseruandum id erit, si deprehenduntur esse hæretici, aut non procul distare ab hæreticis, quia talium *sermo serpit vt cancer.* 2. Tim. 2. Cæterū in omni eorum castigatione eluceat aliquid clementię; eò quòd iustitia si vera, si sancta sit, compassionem semper habet, vt notat S. Greg. hom. 34.

De Dominis in Seruos.

Gen. 21.

in Euang. Et certè par eſt, vt qui Deum experiri cupiunt miſericordem, ſuorum viciſſim aliquouſque miſereantur, & quoſdam eorum lapſus diſcant diſſimulare,& punire leuiter.De contumacibus etiam loquor, in quibus minima perſequi, eſt id agere, vt in callum obdureſcant, & pudore tandem careant, nec ampliùs pænas curét, quibus diu aſſueuerunt.Ne agreſtiſſimas quidem feras quas cicurare quis ſtudet, tractat aſperrimè, ſed minis admiſcet blanditias,vt aceto oleum.Sic erga ſeruos domeſticos miſcenda eſt ſeueritati lenitas, & faciendum ex vtraque quoddam temperamentum, vt neque ſoluantur ac diffluant benignitate nimia, neque ſeueritatis exceſſu exacerbentur in magnam Dominorum perniciem, cuius complura extant exempla tragica; quæ tacere præſtat quàm recitare. Ex quo infero, inclinandum ſemper magis in nimiam manſuetudinem, maximè cùm hæc ſeruitus imperfecta ſit & impropria, ſeu digna quæ potius appelletur operæ propriæ locatio ad vnum vel plures annos. Locatio porrò cùm ſit de numero contractuum, commutante iuſtitia nititur, & vim accipit à conditionibus appoſitis, intentioneque contrahentium. Nunquam autem eiuſmodi ſeruorum mens fuit, aut eſſe potuit, vel debuit, vt ita ſæuiter regerentur. Huc pertinet, vt ſupplicibus ſemel vel iterum detur venia ex infirmitate potius, quàm malicia peccantibus: quia ſicut clementia nimia vitio vertitur, velut altrix effrænatæ licentiæ; ita quę

Seruitus nō eſt propriè quæ eſt hodie.

modum retinet, laude digna est, & cuiuis hominum gubernatori necessaria. Quod ad seruos legales, qui scilicet vel iusto bello deuicti amittunt libertatem, vel seipsos vendunt, inclementius regi possunt, sed citrà mortem ac mutilationem. Vitæ siquidem concessio in bello facta contractus est tacitus, & promissio, vitæque donatio, atque ita reuocari iustè non potest. Quod ad posteriora eorum delicta morte digna, solius est Magistratus ea morte vindicare. Sed & cauendum, ne peccatum seruis exprobretur, propter quod iam puniti sunt, quia esset iudicare bis in idipsum, & pœna mulctare duplici eandem culpam. Præter stipendium afficiantur nonnunquam præmiolis inexpectatis. His modis maximè alliciuntur, inflectuntur, obligantur ingenia seruilia. Idem stipendium fideliter illis numeretur, cùm id retinere vnum sit de sceleribus quatuor clamantibus in cœlum. Non mentiantur heri dicentes; nihil iam mihi est pecuniarum, expecta Calendas proximas, & Lunam nouam: displicet Deo hæc fraudulenta perfidia, solámque olet improbitatem. Minus adhuc calumnientur, & accusent eos furti, aut domesticæ rei malè gestæ, vt ansam indè arripiant negandi debitum. Sed neque prætexant illorum infirmitates quasi impendiosas. Nam leues constat hero incumbere: quia quæ sunt huiusmodi, reponuntur inter onera communia, & quasi naturalia quibuscum res transeunt, & à paciscente quouis præuidentur & expectantur, cui

Serui legales.

Serui infirmi quomodo tractandi.

cui sufficere debet, quòd possit de promisso stipēdio partem detrahere, pro rata temporis. Graues autem & diuturnas tenetur si potest, pro non habente peculium facere, non quasi pro famulo, sed pro paupere extremè indigēte: si verò habet, licebit necessaria ei suppeditare sub ratione mutui, vt docet Azor. t. 2. l. 2. c. 39. q. 3. & 5. Sciendum denique moderandas quoque minas & conuicia esse erga seruos, presertim prioris generis. *Et vos Domini*, inquit Apostolus Ephes. 6. *eadem facientes illis remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus, est in cælis.* Cicero autem de Offic. *Omnis animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.*

De ludimagistris & eorum officia.

§. 5. Quoad Ludimagistrum, attentè secum reputet, à suo munere quàm multa pendeant. In pretio semper fuere purpurarij, Architecti, & ærariorum Præfecti ob purpuram, & publicorum ædificiorum structuram elegantem, ac solidam, & fisci opulentiam ad plurima vtilem & necessariam. At purpura nobilissima omnium doctrina est cum pietate coniuncta, qua imbuenda est, exornandaque adolescentia; cuius ingenia quid aliud videri debent, quàm columnæ præstantissimæ supponendæ suo tempore Reipublicæ inclinatæ? aut quàm thesauri quidam incomparabiles ad omnia profuturi, vbi ab arte nitorem suum acceperint? Sed quemadmodum ineptus Comœdus eò magis ridetur, quò altior scena est, in qua ineptè ambulat aut loquitur, quia tunc fit to-

ti coronæ conſpectior; ita Ludimagiſtrorum peruerſitas eo deteſtabilior, quò profeſſio plauſibilior. Quamobrem cõparet ſibi in dies eorum quilibet maiorem adhuc eruditionem, vt verè doctos poſt ſe relinquat diſcipulos. Ab indoctis prodire docti nunquam aut rariſſimè poſſunt, ſicut nec poteſt proles marcida matrem nacta debilem exercitatione propria magnum ſibi robur comparare, cuius fundamenta à materno non traxit vtero. In pietatem incumbat primus, ſine qua inſtituere piè nunquam poterit iuuentutem; tum quia erubeſcet iis virtutes commendare, quibuſcum bella gerit; tum quia potiora & efficaciora ſunt verbis opera, & fruſtrà illis ædificatur, quod iſtis deſtruitur. Nec ſolet Deus vocem virtutis dare magiſtris vicioſis & impiis. Sed & prohibebitur diſſuadere vitia, quibus ſcatet; quia non modò accuſator, ſed ne obiurgator quidem ferendus eſt, qui quod in altero reprehendit, in eo ipſo deprehenditur. *Turpiſſimum eſt*, ait idem Tullius 2. Tuſcul. *Artem vitæ profeſſum in vita relinquere*. Vnumquodque generat ſibi ſimile, nec auditum eſt aliquando cancri prolem obliquè, aut retrorſum incedentis rectà progredi. Quid autem proderit doctos quidem ex magiſtri ſchola prodire diſcipulos, ſed impios & deprauatos? Nonne tales Rempublicam in ruinam præcipitabunt tantò maiorem, quantò per doctrinam acutiores erunt ad tuendum malum & excogitandum? Quomodo item ſatisfaciet parentum conſilio, quod

Debent eſſe eruditi.

Sint pij.

ſine

Virtus doctrinæ accedere debet. sine dubio præsumi debet esse, vt eruditioni filiorum virtus accedat, quasi arbor vitæ arbori scientiæ boni & mali, gemma annulo, anima corpori. Nempe vident, quòd sicut pietatem docere sine scientia, gladium vtilem ponere est in manu paralytici; ita scientiam inculcare sine pietate, ancipitem gladium committere sit manibus furiosi abutentis eo in suam & aliorum perniciem. Præsentiunt filios suos in tremendo illo Dei iudicio, interrogatum iri potissimùm, non quàm multa sciuerint, sed quàm piè vixerint. Considerant de-*Pietas.*nique in diuino verbo anteponi semper doctrinæ pietatem, vt cùm ait: *Quàm magnus est qui inuenit sapientiam & scientiam: sed non est super timentem Dominum. Timor Domini super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei.* Et alibi: *Scientia inflat; charitas ædificat.* Et: *Si habuero omnem scientiam, & nouerim omnia mysteria, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Et Dauid non curat venientes ad se docere scientiam; sed Dei timorem, tanquam longè augustiorem, magisque necessarium. *Venite*, inquit, *audite me, timorem Domini docebo vos.* Quæ cùm ita sint, exactè tradat, si potest, adolescétibus doctrinam Christianam, quæ non solùm veræ fidei continet rudimenta; sed etiam optimorum præcepta morum, vt idcircò salutis & sanctorum scientia rectè appelletur; lethiferi peccati grauitatem & verbis & rebus amplificet, seque in argumento isto præbeat quàm disertissimum. Non promoueatur

Eccles. 25. *Dei timor.* 1. Cor. 8. 1. Cor. 13. *Charitas.* Psal. 33.

tur ad docendum appetitu gloriæ vel pecuniæ; sed in primis gloriæ Dei (cuius donum dispēsat) & emolumenti Reipublicæ. Non quòd dignus non sit mercede temporali propter laborem quem adit; sed quòd ea non debeat esse scopus præcipuus magisterij, vtpotè doctrinæ impar. Præterquàm quòd si illam sibi potissimum præstituat, viderit, ne audiat aliquando non sine confusione intolerabili. *Amen dico tibi, recepisti mercedem tuam.*

Ad quam mercedem debeant attendere.

Matth. 6.

Nullo modo prætermittenda sunt quæ sequuntur. Excubet diligenter ad creditam sibi iuuentutem; vt illa persuasum habens se suaque curiosè obseruari, deuitet quidquid renuntiari posse, & censura dignum videbitur, ac per se discat abstinere à malo metu saltem supplicij. Sit tamē in eiusmodi excubatione & seueritate modus. Non deneget eidem adolescentiæ honestas animi relaxationes, nec in schola semper illam velut in carcere retineat. Quemadmodum enim miserè cùm planta agitur, si eam rudis olitor ita omni ex parte concludat, vt ex parte nulla ramos possit extendere, eò quòd ita fit, vt posteà inutilis, rugosa, gibborum plena, incuruis perplexa ramis aspiciatur; Sic sanè ingenuitatem non acquirit Iuuentus, sed tetricam & seruilem indolem, cùm semper instat importunus ac morosus censor, ne minima quidem errata dissimulans; sed vociferans si vel parum laxetur scholastica disciplina, si non semper tendatur arcus, si tantillum remittatur de assidua

Excubatio sedula.

&

& molesta illa animi contentione. *Nulla res est*, vt notat Quintilianus l. 1. c. 3. *quæ perferre possit continuum laborem. Et virium plus afferunt ad discendum renouati ac recentes, & acriorem animum.* Addit lib. 2. c. 4. *ideo errores aliquos tam quoad mores, quàm quoad stylum dissimulandos, quia aliàs desperant adolescentes, quasi vbique impingentes, & dolent, & nouissimè oderunt, & quod maximè nocet, dum omnia timent, nihil conantur.*

Ludimoderator longanimis. In iisdem perpolliendis longanimem se præbeat Ludimoderator, nec vnius diei opus putet esse, expectet in patientia fructum, non indignetur nimis aut desperet, si non statim colligat. *Omnia tempus habent.* (Eccles. 3.) Vir ipse beatus non quandóque dat fructum, sed in tempore suo, Psal. 1. Peritus colonus si terram aspiciat refertam saltibus, feris, herbisque syluestribus ac limo plurimo; non protinus exhorret eam, sed inde ratiocinatur soli molliciem & fertilitatem, tantóque magis incumbit vt repurgetur: Sic planè magnis ingeniis magna vitia innasci solent, quæ non conuenit statim tollere; sed mederi expectando patienter ætatem & occasiones, donec omnem exuant vitiositatem; ne si secus fiat, demittant animum ob præceptoris impatientiam, alióque se conferant, ægrotis similes, qui horrent & refugiunt immitis Chirurgi manus asperas; ab eo autem qui congemiscit, & suauiter tractat vulnera, non ægrè se curari sustinent. Sicut rursus palmæ seros quidem fructus ferunt,
sed

sed optimos; sic ingenia quædam longam culturam desiderant, post quam remunerant ingenti fructu laborem omnem. Valdè indignabundus insuaue reddit quidquid trāsmittit ad discipulos. Hoc habet, fateor, natura hominum, quo quisque solertior est atque ingeniosior, eò docet iracundiùs ac laboriosiùs; quia quod ipse celeriter arripit, cùm tardè percipi videt, discrutiatur. Etenim virtutis est vitium hoc naturæ corrigere. Et quoniam multi vt excitentur, egent stimulis gloriæ; neque enim, vt scribit Ouid. in Elegiis:

Solertior iracundiùs docet.

—*Paruas animo dat gloria vires;*
Sed fœcunda facit pectora laudis amor.

Laudandi aliquando discipuli.

Laudet eos cùm dabitur laudandi occasio ab indústria & scholari munere præclarè obito, à modestia item & pietate. Discipulos suos, præsertim nobiles, ingenuos, acutos, magnanimos, non appellet insulsos, stupidos, asinos, crassa capita; quia contumeliis valdè offenduntur & improperiis, offensique libros præceptore absente lacerant, abiiciunt, calcant pedibus, odium grauissimum concipiunt literarum, nec posteà cessant commemorare his factum conuiciis, vt à studiis auerterentur. Ab alapis quoque abstineat, quia obtundunt non parum, & obstupefaciunt tenera capita; sicut etiam ab immanibus, & crebris verberibus, vt non ad desperationem impudentiámque adigat miseros, auocetque tanta seueritate à studiis, malentes ignorare, quàm tanta cum molestia & difficultate discere.

Ab alapis abstinendū.

Horribiliter flante Borea non deponit viator manticam, sed stringit solito fortius; contra sensim à Sole calefactus vltrò deponit, vt intelligamus suauem agendi modum multa ab homine impetrare, quę nō obtinebit violētia.

Quos punire volet, conuincat antè delicti, & dignos doceat esse pœna ampliore. Ignoscat aliquoties pollicentibus frugem meliorem (quo posteà magis sint inexcusabiles) vel in gratiā præteriti laboris & diligentiæ, ne illam debita mercede destituat; neue tantum punire mala, non pręmiare bona videatur; vel in gratiam optimi & diligentissimi alicuius condiscipuli pro reo intercedentis, tum quia inter ipsum & reum magna indè consurgit beneuolentia, tum quia authoritatem hanc magni omnes faciunt, vtque illam sibi comparent, egregiè virtutē & literas colunt.

Si ex discipulis aliquem experiatur asinū ad lyram; hoc est, minimè factum ad literas, insinuet hoc maturè parentibus eius, aut Tutoribus, ne diutiùs circa illum perdant sumptus & operam, & ipse inani se labore in eodem instituendo conficiat. Nam vt verissimè scripsit Quintil. *Nihil præcepta atque artes valent, nisi adiuuante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quàm de agrorum cultu sterilibus terris.*

Quintil. in Prologo Inst.

De discipulorum frequentia ne sit valdè sollicitus; sat multos numerabit, si benè doceat etiam paucos, quia eorum quilibet multis æquiualebit. Idem sibi quod patrifamili

dictu

dictum putet: *Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur; melior est enim vnus timens Deum quàm mille filij impij.* Eccles. 16.
Eodem referendum quod scribit Isaias c. 9. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Longè plures numerabat Epicurus quàm Socrates, nec tamen idcirco Socratis erat conditio deterior. Multipara est vulpes; leæna autem, vt quidam tradunt, vnipara (in quo dissentit ab illis Aristoteles l. 3. de nat. anim. c. 1.) quæ tamen quia Leonem parit, multis eam partibus antecellit. Videant qui anxiè nimis ambiunt discipulorum multitudinem, ne laborare se probent ambitione aut auaritia, esséque lurconis hominis ventri similes inhianti cibis copiosissimis, sed impari digerendis. Sustinebunt, ni sibi caueãt, cõplures insultus tristitiæ, cùm aut videbunt aliquos à se discedere, aut multos aliis operã dare. Vexabit eos liuor, quo quid molestius?

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Tormentum maius. Horat. lib. 1. epist. ad Lollium.

Nimia familiaritas vitanda.

Erga diuites, formosos, elegantulos sit cautissimus. Non illis aduletur, non nimis blandiatur, nec sit iusto familiarior, quia nimia tandẽ familiaritas cõtemptũ parit. In pari delicto animaduertat in illos sicut in cæteros, ne dicatur aliàs acceptor esse personarũ. Ne ioco quidẽ aut specie beneuolẽtiæ palpet eos, sed vbique grauitatẽ colens cõscientiæ suæ famæque consulat. Recordantur magis, & notant adolescentes, quæ circa se fiunt, quàm vulgò creditur: & cùm se coli sentiunt, indè

 inso

insolescunt, nec parum remittunt de præte rita erga Magistros suos reuerentia, quos tan dem etiam rident, censentque indignos tant munere. Æquè doceat omnes, si æquè obstri ctus sit omnibus propter æquale & commu ne stipendium. Alia eorum est ratio, qui gra tis hoc munus obeunt. Talibus haud dubi licet impensius sibi commendatiores excole re, aut quos religiosiores experiuntur, ob id que labore suo digniores; aut ex quibus præ sagiunt adepta scientia emanaturum plus vti litatis in Ecclesiam & Rempublicam (Nam & Medicus sollicitius oculum sanat pro mẽ bris omnibus excubantem, quàm pedis arti culum) aut quibus se plus debere sciunt, ob parentum in se beneuolentiam, beneficentiã, & gratitudinem.

De Subditorũ debito erga Præpositos; & quid circa illud obseruandum.

CAPVT XIII.

§. 1. *Communia Subditorum debita & præcepta.*
2. *Propria filiorum erga parentes.*
3. *Vxorum erga maritos.*
4. *Vasallorum & seruorum erga Dominos.*
5. *Discipulorum erga præceptores.*
6. *Subditorum erga Magistratus & Prin cipes.*

§. 1

§. 1. DEBERE quoscúque subditos legitimis Præpositis suis honorem, dilectionem, gratitudiné, & obedientiá, in cófesso est apud omnes. De honore, dixi iá pridem non pauca lib. 1. c. 11. feréque sufficit ad eius assertionem locus ille Exod. 20. *Honora patrem tuum.* Patris siquidem appellatio diffusissima est, & ad vniuersos qui regunt seu præsunt, extenditur. Hinc Senatores à Romulo creati pro consilio & gubernatione Reipublicæ, honoris causa dicti sunt ab eo *Patres*, & illorum filij *patricij*. Et Minutius apud Plutarchum appellat Fabium Maximum *venerandum & seniorem patrem*. Apud Hieremiam populus relictus in Hierusalem, abducto in captiuitatem Sedecia Rege, lamentatur & ait: *Pupilli facti sumus absque patre.* Naaman Syro Domino suo hunc eundem titulum famuli deferunt. *Pater, etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, vtique facere debueras.* Sic interim honorentur propter Deum, quem repræsentant sua imperandi facultate, vt nemo prorsus illis quantumuis honore fulgétibus adoletur oblatione sacrificij, insano Ethnicorum more, ex quibus vnus, de Augusto Cæsare loquens hæc verba dedit.

Honor dilectio, &c. debentur Præpositis.

Liu. lib. 10. Plut. in vita Fabij.

—*Deus nobis hæc otia fecit,*
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Virgilius Eclog. 1.

Soli vero Deo debetur sacrificium in argumentum siue protestationem summi eius dominij, vndè ait: *Qui immolat diis, occidetur, præterquam*

Exoc. 22.

terquam Domino soli. Secundo colantur studiosius eminentiores, quia tantò magis ad Deũ accedũt, quãtò in altiore stãt gradu. Tertiò caueãtur seditiones omnes & rebelliones, quas repugnare cõstat debito eis honori, subiectioni, reuerentiæ. Quis enim honor vbi contemptus? quomodo autẽ non contemnitur, in quẽ insurgitur? Cõtemnũt ex iis plurimi principẽ quasi otiosũ: sed cõsiderent plus quàm nautas omnes præstare gubernatorẽ in puppi sedentẽ; & mẽbra corporis insurgentia in ventrẽ, quasi ociosum, dũ ei ministrare cibum noluerunt, attulisse sibi ipsis exitium. At, inquies, rem malè administrant, vitiosi sunt, per illos omnia in deterius ruunt. Pessima hæc

Mulctarum maxima. sunt, si vera: nam iuxta Plat. l. 1. de Rep. *Maxima mulctarum est administrationi malorum subiici.* Noli tamen idcircò rebellare, sed quod poteris remediũ tanto malo obiice, Deũ deprecare, & patienter expecta meliora. 4. Ne vnquã scripto, nutu, cõtumelia, scõmate, verbísque aliis otiosis lædatur à te illorum existimatio; sed vbique propter Deũ sarta tecta cõseruetur. Scriptum est: *Diis non detrahes, &*

Exod. 22. *Principẽ populi tui non maledices.* At nonne B. Paulus parietẽ dealbatum seu hypocritam appelauit Ananiã Principem Sacerdotũ? Actor. 23. Ita quidẽ, sed mox vt didicit summũ esse sacerdotẽ, retractauit quod dixerat: *Nesciebã, fratres, quia princeps est Sacerdotum*: ac si diceret, si sciuissem, nequaquã ita locutus fuissem: neque enim me latet quid per Moysem manda

mandauerit Deus, *Principem populi tui non maledices.* At sciebat saltem esse Iudicem. Vtique, sed secularem esse præsumebat; qualis cùm euidenter exorbitat, tyrannicè agit, potestate abutitur, in ipso iudicij loco manifestè iura infringit, reprehendi meritò potest. Imò in simili casu posset Ecclesiasticus: sed huic parci solet ob sacram dignitatem. Quomodo autem nō euidenter exorbitabat iste, à quo percuti iussus est Paulus, eò quòd dixerat: *Ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deū, vsque in hodiernum diem?* An non prius debuerat conuinci mendacij, quàm propter illud percuteretur? Vt præterea mentitus esset, nō erat Iudicis punire hoc mendacium nec iustitiæ contrarium, nec vlli alteri perniciosum. De beneuolētia, æquè patet peculiari dignos esse præpositos propter Deū, cuius loco imperāt, & propter sua in nos beneficia (quæ tūc valdè pura sunt, quando nullum indè temporale lucrum accipiunt) liberando nos à curis innumeris, inuidiam omnem sustinendo, respondendo pro nobis, excubando cū Epaminonda, qui Thebanis quiescentibus arma lustrabat & mœnia. Amentur porrò inæqualiter, & ij quidē magis, quibus plures insunt amoris causæ; vt si non gerant solùm Dei vicem, sed magna quoque sint virtute præditi, publicis itē cōmodis addictissimi. Reipublicæ causa laborem nullum subterfugiant, orthodoxam fidem seriò tueantur & colant. Nam similiter Deus amplius diligit meliores &

Præpositi Dei loco imperant.

perfectiores. Quin etiam vnum eundémque hominem magis hodiè quàm heri vel nudius tertius; si hodiè plura in eo deprehendat amoris incentiua. Quod denique ad gratitudinem, tantò maiorem à nobis suo iure expectant, quantò impensius desudant pro nobis, & minus commodi temporalis ex sudore illo accipiunt. In tales ingrato esse animo habitum semper est turpissimum. Redundat hæc ingratitudo in Christum, à quo per eos regimur; & constat non modicas Christo pœnas tandem luere eos, qui accepta ab illo beneficia minùs grata colunt memoria; Vndè Ezechias Rex parum mente recolens insigné victoriam, quam de Sennacherib fauente eo reportauerat percussus est ægritudine vsque ad mortẽ; nec antè multas fusas lacrymas perfectæ redditus sanitati. Atheos nolentes Deo gratias agere, sed naturæ soli, reprehendit Seneca; quod natura non sit sine Deo. *Non intelligis te, cùm hæc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo inserta?* Ita animi gratitudo secundum Deum debetur etiam superioribus, quia in eo velut instrumenta in causa sua cõtinentur, per quæ sua ad nos transmittit beneficia. Nemo etiam dicat, parum me obligant præpositi mei labores, cũ illos non mea tantùm, sed aliorum quoque causa suscipiat. Habet hoc consuetudo, fateor, sed turpis & extirpanda, & vt verbis vtar legis: *Naturale vitium est negligi, quod communiter possidetur.* Quid

Senec. l. 4. de Benef. c. 5. 6. 7. *Natura quid.*

C. quando & quib. lib. 1.

Quid enim facit ad extenuationem beneficij, quòd aliis quoque seruiat Magistratus, quando nihil minus accipis, quàm si de te vno curam ageret? An te putas minus aliquid debere Deo, propter filium eius vt tua, sic aliorum causa incarnatum & crucifixum; aut propter Solem conditum aliorũ gressus non minus quàm tuos dirigentem, quàm si tibi soli radiaret? Falleris vehementer si ita censes, quandoquidem eo vti perindè licet tibi, ac si solus super terram graderetis. At pro labore mea causa suscepto, pendit Respublica magistratui qui me regit, stipendium. Hoc ipso gratum oportet te esse in Rempublicã: quomodo autem in eam talem te præstabis, si in Magistratum non fueris, in quo velut in capite suo relucet? Deinde magistratui stipendium non datur quasi æquiualens sapientiæ, qua vtitur administrando bonum publicum. *Pro hac non dabitur aurum, non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia*; sed penditur velut rẽporale pretium laboris corporis, aut subsidium, sine quo viuere non posset, nec publico illo defungi munere. Semper itaque multum superest, quod te obstrictum teneat. Iob. 28.

Pareant denique præpositis suis subditi iusta præcipientibus, sicut disertè iubet, moneteque Apostolus: *Obedite præpositis vestris & subiacete eis*. Et certè aliàs constare nullo modo posset recta gubernatio, vt eleganter expressit Iulius Cęsar sic alloquẽs milites quosdam tumultuantes. *Ego sanè neque rectum esse*

Præpositis parendum, est iusta præcipientib. Hebr. 13.

Dion. lib. 14.

 arbitror

arbitror, vt qui principatum gerit, subditis sit inferior; neque salutare quidquam agi posse censeo; vbi hi, quibus iniunctum est, vt dicto sint audientes, imperare ipsi velint. Intelligitis enim quàm probè sit futura ornata domus, in qua natu minoribus ætate grandiores despectui sunt; aut ludus literarius, vbi discipuli Magistros cõtemnunt. Quæ spes sanitatis ægrotis, si non per omnia medicis obtẽperent? Quàm tuta nauigatio, si nautæ gubernatoris iussui non pareant? Ita natura duas necessarias res easque salutares cõparauit in humano genere, vt alij cũ imperio essent, alij subiicerentur, nihilque est quod absque his sit, quod vel minimo spatio perdurare possit. Sicut nõ sufficit ad messem bonã accuratus vigilque agricola, nisi adsit terra, quæ subigi se patiatur, & in omnem versari partẽ, prout ille iudicauerit: Ita non est satis, vt floreat Respublica, bonum habete Magistratum, nisi prætereà subsint ei ciues, & morem gerant. Imò libenter id faciant oportet, ne quemadmodum sessori permolestum est equo vti progrediente quidem, sed coacto, & assiduis indigente calcaribus: Colono item vti rotis curruum malè iunctis sempérque stridentibus; ita Magistratui præesse ciuibus, qui parent inuiti, & parendo non faciunt quiritandi finem. Nihil sanè aut parum boni ab his moribus expectaueris.

Occurretur non ægrè huic malo, si credant subditi (vt tenentur) rectum esse quidquid sibi à Rectoribus suis in eorum munere præcipitur, quandiu non pugnat cum iustitia,

& ratione manifesta. In dubio siquidem præsumendum semper est in fauorem illorum, quia in dubio vnicuiqne in sua arte credendum est. Habent autem populorum Rectores artem suam, quam exercere subditi nec possunt nec debent;atque ita tenentur illorũ vti iudicio quasi regula, quoties ambigitur rectè ne imperatum sit aliquid, an secus. Et credendum, quòd cum Deus mundum regat iis interpositis, afflat eos singulariter suo lumine, vt intelligant quid familiæ suæ, aut si Magistratum gerunt, quid Reipublicæ magis expediat.Vndè Salomon Rex fidẽter hoc donum à Deo petit, quasi sibi quadantenus debitum: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Nulla manifesta ratione niti videbatur lex illa Lacedæmoniorum, *ne Ephori barbam nutriant.* Nec illa Romanorum; *qui donantur libertate, minutis festucis conspergantur.* Nec illa Solonis: *Honore priuetur, qui se in seditione neutri parti adiunxerit*, vt scribit Plut.l. de Sera Numinis vindicta; his tamen omnibus tanquam iustis parebatur. Quid hîc filios Rechab commemorem abstinẽtes à vino iussu patris?Hier.35. Quid Isaac sinentem se à patre ligari ad cædem? Gen. 22. Quod si contingat perspicuè iniusta esse quæ ab illis imperantur, hoc est Dei, naturæ, aut Ecclesiæ legibus aduersaria, parere eis nõ debent subditi potestatis suæ fines excedẽtibus,& mãdata sua diuinis nõ cõformãtibus,de quibus Psal. 118. *Omnia mandata tua æquitas.* 3. Reg. 3.

Et

Et *Iudicia Domini vera, iustificata in ſemetipſa.* Anno 1387. regnante in Gallia Carolo VI. magnam ab hac prudentia laudem habuit Baualanus pręfectus nobiliſſimæ arcis apud Britones, quæ caſtrum *des Hermines* dicitur, ad quā inuiſendam Britanniæ Dux fraudulenter inuitauerat D. Cliſſonium Franciæ legatum & Comeſtabilem, ibique incluſerat (quaſi ſibi ſuſpectum, vel in contemptum Regis cū quo ſimultates exercebat) præfecto mandans, vt omninò illum in ſubterfluentem aquam præcipitaret, ac mergeret. Finxit ſe id feciſſe præfectus, ſed non fecit, horrens ei conſentiendo violare ius gentium, & cooperari iniuriæ grauiſſimæ, quæ ſic illata fuiſſet eidem Regi, cuius Dux erat feudatarius; & ſine dubio ſeueriſſimè vindicata. Satis inſuper præſagiens omninò fore, vt breui Ducen pœniteret commiſſæ perfidiæ. Reipſa breui poſt conſternatus, & mœſtitia penè enectus eſt, maturè ſecum reputans delicti ſui grauitatē, & intolerabilem Regis iram ſuis inſtantem ceruicibus ob cædem illam Cliſſonij, quem credebat occiſum. Tunc acceſſit Baualanus, & afflictiſſimum recreauit, dicens viuere adhuc Cliſſonium, quem etiam viuum repræſentauit. Quo viſo fleuit Dux præ gaudio, veniam petiit; & præfectum magnis laudibus eſt proſecutus, quòd in re tanti ponderis manifeſtæ potius æquitatis, quàm accepti cuiuſcumque mandati rationē habuiſſet. (Attendant ſibi interim ſubditi, ne temerè interpretentur

Baualani egregium facinus.

pretentur euidenter mala, aut à decentia & ratione aliena esse ea, in quibus obedire detrectant, vel se accommodare deberent præpositorum suorum iudicio.) Magno quoque stimulo subditis ad obediendum Rectores sunt, si eos videant parere vicissim suis. *Beati mites*, ait Christus, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Mites sunt Præpositi, quando facilè sponteque se accommodant superiorum suorum iussis & arbitrio; quo fit, vt vicissim prouidente Deo facilè terram seu populū suum experiantur. Sin autem non se accommodent, per quæ peccant, per hæc puniuntur, subditos suos citò rebelles sentiunt & intractabiles: nō secus atque Adamus post præuaricationem feras animantes, quibus ad nutum ferè, & sine graui renitentia prius imperabat. Matth. 5.

§. 2. De filiorum debito erga parentes, vide quæ diximus lib. 1. c. 10. Sufficit in præsentia ad exacuendum illius persoluendi studium; hos loquentes introducere, & antè oculos ponētes huius totius officij partes præcipuas. O filij, mementote vos à nobis secundùm Deum habere omnia, hoc ipso quo generationis accepisti beneficium cæterorum omnium fundamentum; sine quo quid boni vobis posset accidere non existentibus? Ego pater vos alui, defendi, & vestri causa obieci me infinitis curis, periculis, laboribus. Ego mater vos, periculosissimè ac diu gestatos vtero in lucē edidi, vt nasceremini pudorem sustinui, virginitatis iacturā feci, in eodē vtero

Filiorum in parentes quāta obligatio.

ro longa ſenſi faſtidia, in partu tantùm non deſij viuere, in educatione moleſtias pertuli, quarũ nõ eſt numerus. Laui pannorũ ſordes immũdo ſæpè fœdata ſtercore; porrexi vbera quæ edentulos vos alerent, conſtanter aſſedi & miniſtraui ægrotantibus. Nihil hîc paruũ, nihil mediocre, ſed magna omnia. Tot collatis in vos beneficiis nullo modo pares eſtis, aut eſſe poteſtis, quouſque nos viciſſim genueritis, hoc autẽ quando fiet? Nec id petimus vt pares ſitis, ſed vt quid boni à nobis in vos profectũ ſit, memoria teneatis ſempiterna, pro nobis Deo ſupplicetis, omni ſtudio curetis quæ ad quietẽ noſtrã faciunt, vt gaudiũ nobis ſit talibus procreandis dediſſe operã, & benedictionem impertiamur ex hac vita diſceſſuri. Vt prætereà ſeniles moroſitates noſtras feratis patiẽter, ſi veſtras ferri vultis à nepotibus noſtris ex vobis prodituris. Nã ſine
Marc. 4. dubio *In qua mẽſura mẽſi fueritis, remetietur vobis*. Magnã vim, magnã neceſſitatẽ, & religionẽ poſſidere debet paternus maternúſque ſanguis, vt neque procacitate, nec prauis aliis moribus ad irã nos concitetis, quæ ſe non capiẽs capita veſtra diris deuoueat, & benedictionis loco inducat ſuper vos maledictionẽ,
Hebr. 13. *hoc enim non expedit vobis*. Ne adſitis nobis ægrotantibus, vt cadaueri vultur ſolet prædam expectans quam deuoret; ſeu cupidi, vt citò claudamus oculos, & in manus veſtras veniat hæreditas, ſed vt incenſi deſiderio conſolandi afflictos: quod certè non facere, ignorare
eſt

est patris & matris quanta sit dignitas.

Quæ de præstanda superioribus obdientia dici solent, vobis præcipuè dicta existimate, cùm etiã in lege veteri iussi sint lapidibus obrui, qui negabant eã suis genitoribus. Ad opus itaque deducite fideliter quæ imperamus. Nulla vos adepta dignitas, nullus seculi fauor aut cẽsus ita tumere faciat, vt ad dicta nostra obsurdescatis. Nõ potestis vincere nos cõditione magis, quàm Christus matrẽ suã benedictã, cuius erat pater, & nutritorẽ quem nutrierat. Vtrique nihilominus honorẽ habuit, vtrique se subiecit, memoria repetens, gestatum se quondam alterius vtero, alterius brachiis. Hæc porrò præcipuè mandamus vobis, vt omnibus diebus vitæ timeatis Deum, & in mente habeatis, peccato nunquam consentiatis, vltimas voluntates nostras impleri accuretis, mutuam inter vos dilectionem atque concordiam toto studio conseruetis, quam nullus animi rancor dissuat, nulla habendi cupiditas, vel præsumpta ex hæreditate imparitas. A qua hæreditate illum iam excluderemus, si quem præsentiremus eius occasione litem fratribus intentaturum. Si Dei gloriæ, præceptis aut consiliis repugnarent quæ præscribimus, si saluti aut perfectioni vestræ spirituali; meritò sanè abnuere-tis: exempli causa, si vocatos à Deo ad religiosum statum iuberemus à seculo non discedere, qui respectu Dei nihil sumus, *à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur,* Ephes. 3.

cui proindè auscultandum magis est,iuxta Sacras literas,quàm quibuscumque mortalibus. (Vt enim obedire patri & matri præcipiunt, sic vicissim dicunt: *Quicumque amat eos supra me, non est me dignus ; nec saluat , sed perdit animam suam.*) Ita omninò est , Aries humanæ pietatis, quo religio in Deum fidésque quatitur, Euangelij retundendus est muro, & dicendum in eo casu repugnantibus: *Mater mea , & fratres mei hi sunt , qui faciunt voluntatem patris mei qui in cœlis est. Si credunt in Christum, faueant mihi futuro Christi militi. si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.* Sed cùm ex aduerso sint iustissima,& diuinæ legi rationíque ad amussim consentiant , nihil est quod vos non obsequentes possit à culpa & pœna liberare.

Matth. 10.

S. Hieron. ad Heliod.

§. 3. Multa ex dictis præcedenti capite de mariti prudentia , debito, atque officio ad vxorem vicissim pertinent. Sed sunt quædam huius propria. Amet virum suum valdè , sed eousque , vt circa illum non insaniat, nec illum depereat,nec quicquam agat ridiculè cũ Artemisia , quæ Mausolei Regis Cariæ mariti sui corpus redegit in puluerem, sensimque ebibit aquæ inditum. Accommodet se semper honestis illius iussis & moribus; sique iusta non videantur, quæ iubet,proferat in medium rationes suas , sed modestè . idque si se aliquid speret effecturam, secus taceat; in dubio autẽ acquiescat imperanti. Quid plausibilius,& in speciem melius , quàm vouere Deo conti

Vxor in quantum debeat obtemperare marito.

continentiam, aut quippiam eiuſmodi? quàm orare, & templa circumire?Hæc tamen ſi mariti iuri præiudicent, vt votum de non reddendo debitum, aut rectæ gubernationi familiæ, vxori nequaquam licent, niſi ille conſentiat. Si non præiudicent, in vxoris quidem ſunt poteſtate, non tenetur tamen facere, ſi res ſunt præceptæ ab Eccleſia, vt ieiunare, ſacrum diebus feſtis audire, &c. quando ſi faciat, incurſura eſt in graue viri odium, aut futurum, vt graues ei pœnas luat. Neque enim Eccleſia cum tanto onere ſua vult decreta obſeruari. Imò nec debet facere, ſi indè maius aliquod ſequatur, aut ſecuturum credatur malum, quàm ſit bonum, quod mente gerit; vt ſi dicat maritus, ſi templum adieris, ego te abſente adulterabo. Sapientis quippè eſt, è duobus malis minus eligere, & vitandi grauioris mali gratia, interdum à bono abſtinere. Quod totum ſic eſt accipiendum, modo non prohibeatur à viro templi aditus, tanquam aliquid illicitum, & in deſpectum Eccleſiæ: tunc quippè vocaretur vxor ad confeſſionem fidei, nec parere deberet imperanti. 2. Ne arroget ſibi vxor rerum domi agendarum definitiuum iudicium, ſed viro relinquat, aliàs iure ſuo vtentem armabit fortè in ſe implacabiliter. Ante annos plus minus 40. mulier erat diues apud Pictones, cui vir dixit: lautum prandium para pro tot talibuſque hoſpitibus amicis noſtris. Tum illa cœpit intra ſe frendere, quòd illos ſe inconſulta maritus inuitaſſet, muliebremque

Maritus habet iudiciũ rerum domi agendarum.

Mulieris fatua notabile exemplum.

Ii accer

accersens nequitiam, statuit quam sibi illatam credebat iniuriam, egregiè vindicare, virumque suum confundere. Fecit quod erat iussa, cumulat fercula ferculis, itaque densat, vt minimo ferè impulsu necesse habuerint eminentiora ruere. Introductos salutat hospites iam iam consessuros, & dum per triclinium discurrit quasi valdè negotiosa impingit fortiter, & de industria in mensæ angulum, plurimisque ferculis partim in mensam effusis, partim in subiectum tabulatum omnia confundit, inficitque condimentis & iusculis, quodque deterius est, attollere negligit & cōponere quæ deciderant, virum potius deserit sustinentem totius onus verecundiæ. Qui tamen vt erat prudens & dissimulandi peritus, amicis subridens, dixit (sed manebat alta mente repostum) pro primo ferculo specimen habetis viri boni, muliebris fatuitatis. Illi eius planè miserti diligenter loco suo reposuerunt quæ ceciderāt, & de rebus aliis toto prandij tempore sunt inter se colloquuti, ac post prandium dimissi amantissimè. Gestam fabulam dissimulauit maritus ad noctem vsque, & tunc occultè per famulū Chirurgo significauit, ad se vtveniret di sequenti hora quinta antemeridiana quasi ægrotum phlebotomaturus. Venit ille condictā hora; pulsatque fores, dum adhuc in lecto vi cum vxore quiesceret. Explorat per fenestrā

Mariti reciproca retributio.

& quisnam sit ancilla renuntiat. Ingrediatur inquit herus, & intromisso: Salue charissime an scalpellum tibi est & alia, quæ vt afferre imp

imperaui? Ann uit ille,& se paratū dixit ad omnia. Tū herus; periculosè ægrotat vxor mea, superfluit in ea sanguis, qui proindè minuēdus arte tua est, ne miseræ vitā adimat. Quid? Intulit vxor, ægroto? scilicet, imò vegeto sum corpore, viuo pancraticè, bibo, comedo, in vtramque aurē dormio: quæ omnia procul sunt ab aduersa valetudine. Aliā proindè venam sibi quærat iste, quā aperiat. Sed non addis, ait maritus, quòd insanias. Non recordaris facti hesterni? Si non es memor, ego sum; curare me oportet corpus tuum, cuius non tu, sed ego habeo potestatem. Ne mihi moram feceris, citò brachium exere, nisi iā velis contundi ictibus. Accede vir bone, quod tui est muneris circa illam exequere. Detrectanti autē vxori impegit alapā, dicens, hæc initia tātùm dolorū sunt, nisi parueris; simulque vi corripuit & adduxit eius brachiū; tota item vi direxit ac tenuit, nec antè obduci claudique venā passus est, quātumuis eiularet vxor, veniāque peteret, quàm vascula decem cruore eius repleta viderit; ita vt penè moribunda, & viribus destituta conciderit, simulq; adiecit: disce iam sapere, disce me non illudere, ac cōfundere. Id si rursus feceris, non simili pœna cōmissa lues, vtrāque tibi venā incidi præcipiam. Vxorē te memineris, me virū, cui parere debeas, non imperare. Ego, mihi crede, sexum, munusque meū honorificabo. Peccauit quidem lethaliter, egitque imprudenter propter manifestum mortis periculum, in quod tanta vitalis sanguinis abstractione

adduxit miseram. Id tamen vtilitatis est consequutus, vt planè subacta sit, deque eiusmodi ausibus nullam deinceps cogitationem susceperit. 3. His addo, viri sui parentes propter ipsum reuereatur & colat vxor, etiam morosos ac difficiles, quod in primis decere diligenter notat Aristoteles, inquiens: *Studentes primùm quidem curam omnem parentibus exhibere, vir quidem vxoris parẽtibus non minùs quàm propriis; vxor autem viri.* Curet pari diligentia familiæ bonum, nec dicat: *meum est parere filios, & quiescere, illius autem laborare*; nisi de numero velit dici asinarum, de quibus Iob. 1. *Boues arabant, & asinæ pascebantur.* Quanquam asinæ nec tantùm pascuntur, nec semper quiescunt. Imponit certè idem Aristoteles rei domesticæ curam vtrique coniugi, & post illum Apostolus. Illius verba sunt: *Filiorum, domusque totius tanquam communis curam habeant, seipsos studio ac diligentia superare certantes.* Et infrà: *Vt cùm ad senectam peruenerint deposito administrationis onere, possint filiis suis rationem reddere, vter eorum magis profecerit in familiæ administratione.* Illius verò: *Loquere quæ decent sanam doctrinam, adolescentulas vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes,* Quò autem de castitate sua tutiorem virum faciat, ne sit ei cum famulis domesticis multum commertij, sicut nec cum puellis eius multum debet esse viro. Si cum fœminis aliis altercetur, ne statim ad eum querelas suas deferat, nc quietum implicet his iurgiis; ille saltem

Lib. 2. Oecon. c. 4.

Ibid.

Tit. 2.

saltem negligat, nec virilem grauitatem talibus rixis admisceat leuissima plerũque de causa excitatis, vt sunt mulieres infirmo iudicio. 4. De ornatu corporis ne sit plus æquo solicita, nec indè molestam se viro præbeat & importunam. Viri fateor est, illum non omninò contemnere; sed pro ratione status conseruare, quia talem reuerà vxor suo sibi iure vendicat; & morosus nimis esset ac Stoicus idem vir, tempusque tereret, si omne eius studium in ea vellet extinguere. Tantam seueritatem non sustinet muliebre ingenium naturalis imperfectionis sibi conscium, ad quam supplendam ab ornatu commendare seinititur. Nec Apostoli decreto vllo omnis illi interdicitur, sed immodicus tantùm. Viciſſim autem ad modestiam spectat vxoris, iustum etiam sibique debitum summo cum rigore non requirere. Quid enim dummodò viro suo placeat, cui soli placere velle permittitur? Hoc si assequi potest cultu modico, ad quid valdè expetat ampliorem? Frustrà fit per plura, quod æquè cõmodè fieri potest per pauciora. Adepto fine quiescũt agentia naturalia, nec vltra conãtur procedere (Innuptarum alia est ratio; eò quòd venalibus mercibus similes sunt, quales non fucare quidem, ornare tamen & ab omni labe vindicare semper licuit. Imitatur earum pulchritudo corporis sanitatem, cùm vtraque sit à natura. Sicut ergo fas est naturam arte perficere; & sanitatem medicinæ opera non conseruare solùm, sed etiam si opus

Ornatus decens vxori concedendus à marito.

opus sit, augere, ita & pulchritudinem.) Tantùm videant eiusmodi Iuuenculæ, ne sibi desit pura intentio, quæ est ornare se non ad alliciendum aliquem in sui concupiscentiam extra coniugium, sed ad quærendos sibi sponsos, quos aliàs ægrè inuenirent. Sed quid? tam præposterè viuitur, vt viros non paucos inuenire sit, de vxorum suarum cultu magis sollicitos, quàm ipsæ sint. Volunt vt in publicum prodeant elegantissimæ, auro gemmisque onustæ, & in serico habitu, capillis item artificiosissimè obligatis, vt sic in sui admirationem rapiant omnes. Quam vanitatem docuit eos Rex Assuerus, de quo Esther. 1. *Præcepit vt introducerent Reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valdè.* Sed non considerant citò Regem luisse pœnam, expertum illius inde superbientis inobedientiam. Non etiam attendunt solùm id factum ab Assuero, cùm non esset sibi valdè præsens; sic namque paulò antè legimus: *Itaque die septimo cùm Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit vt introducerent Reginam.* Non perpendunt vxores suas tam comptas exponi infinitis insidiosis concupiscentiis. M. Ottho valdè laudans apud Neronem Imperatorem Poppeæ vxoris suæ pulchritudinem, adeo incendit eius cupiditatem; vt statim Nero illam ei abstulerit, & acceperit sibi in vxorem; quantò magis incendisset, si repræsentasset orna

Assueri vanitas punita.

Nero aufert vxorem M. Otthoni.

ornatissimam? In Reginas & Principes fœminas vix cadit excessus vestium, quia talium statum decet ornatus preciosus; aliarum alia est ratio, in quibus cultum nimium reprehendunt Petrus & Paulus; & sine dubio maritos eum vrgentes perstringerent. Ille sic loquitur: *Mulieres subditæ sint viris suis*, & infrà: *quarum non sit extrinsecus capillatura, nec circumdatio auri*. Hic verò, *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera*. Addit Tertull. *Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Affigitis præterea nescio quas enormitates subtilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis, nunc in ceruicem retrò suggestum. Adijcitis ad pondus collyridas quasdam, scutorum vmbilicos ceruicibus astruendo*. Has quidem nugas fabricabant sibi filiæ Hierusalem ex pulcherrima cæsarie Absalonis, 2. Reg. 14. Sed non omne quod fecere hæ fœminæ laudem habet, in quarum cultum quasi Deo inuisum, inuehitur asperrimè Isaias Propheta, cap. 3.

Reginæ & principes fœminæ non cadunt in excessum vestium.

1. Pet. 3.

1. Tim. 2.

Tertull. lib. de vel. virg.

§. 4. Vasallorum erit primum omnium magna fide præstare Dominis suis promissa obsequia, non solùm metu alias feudum amittendi, sed magis adhuc vi iuramenti quo se ad illa obstrinxerunt. Intelligant secundò,

Vasallorum debitum in Dominos feudi.

promissum comitandi, iuuandi, tuendi eos ad bellum proficiscentes, de bello tantùm iusto esse intelligendum; nam perspicuè iniustum à Deo interdicitur, cui proindè interesse nec tenetur Vasallus, nec etiam debet. Huius generis bellum est, verbi causa, si feudi Dominus insurgat in legitimum suum Principem, aut Dominum alium, cuius est ipse Vasallus. Prętereà si Dominum laborare contingat inopia grauissima, subueniat illi de propriis, quoad alimenta saltem, ne aliàs ingratum se probet, indignumque beneficio. Non est æquum videre egentem, quem prius amicum expertus sis, & benefactorem. Sic patrono indigenti tenetur alimenta præstare libertus. C. de Liber. l. 2. & donanti donatarius, alioqui ille libertate, iste priuandus est beneficio, ff. de reuoca. donat. l. fi. & de liber. agnosc. l. si quis. Nec rebellent in Dominos suos, nec consentiant rebellantibus. Non mirentur defectus in iis aliquos. Nemo omni ex parte beatus; Deo agant gratias, quòd non subsint deterioribus. De trabe in Regem sibi à Ioue data questæ ranæ, ciconiam acceperunt, quæ cùm penè omnes deuorasset, agnouerunt serò quàm nocuerit, sibi alium postulasse. Denique cùm Domino suo præbere se Vasallus debeat officiosissimum, horreat vti erga illum perfidia; cuiusmodi est scienter & dolo malo consilia eius reuelare, ita vt detecta noceant, (nisi hæc reuelatio sit ad detegendam proditionem maio

In quibus non tenentur.

Non sint perfidi nec reuelent consilia.

maiestatis, vel iniuriam propriam prosequendam:)conari vel reipsa concumbere cum vxore, filia, nepte, sorore, sponsa eiusdem, aut cum ea turpiter ludere, quamuis esset publica meretrix:hoc siquidem ei singulariter interdicitur, vt tradit Franciscus Curtius 4. p. Tract. de feudis. *cap. ex quibus causis feudum amittitur.*

Seruis domesticis documenta dare propria dignatus est Apostolus dicens: *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore*, (id est, cum graui metu lædendi aliàs conscientiam)*in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei, ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Deo & non hominibus.* Non quòd vetet seruire & placere hominibus; sed quòd nolit seruum prudentem ad eos primùm respicere; sed ad Deum in iis relucentem, esto mali sint: quia licet Deum non repræsentent ratione malitiæ, id est, vt præcisè mali sunt, repræsentant tamen ratione potestatis, atque ita illis propter Deum in rebus licitis seruitur meritò, & placetur (secus in illicitis, iuxta illud Gal. 1. *Si adhuc hominibus placere cuperem, Christi seruus non essem.*) vti declarat his verbis S. August. *Si Dominus cœli & terræ, per quē facta sunt omnia, seruiuit indignis, quantò magis non debet dedignari homo, ex toto animo, & ex tota voluntate bona, cum tota dilectione seruire Domino etiam malo?* Et alio in loco: *Potest homo homini vtiliter placere, si pro-*

Ephes. 6.

S. Aug. in Psal. 124.

In illud 1. Cor. 10. placere omnibus.

pter Deum placeat, id est, vt Deus placeat & glorificetur, cum dona eius attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cùm autem sic homo placet, non iam homo, sed Deus placet. Si in mitem, modestum, perhumanum herum seruus inciderit, nec bonitate illius abutatur, nec familiaritate, sed debitam ei reuerentiam sartam tectamque custodiat: Sin autem in truculentum, & Echini more asperum, querulum, contumeliosum, componat se maturè ad patientiam. Hæc & alia omnia seruitutis onera offerat Deo in pœnitentiam pro peccatis suis. Præuisis verborum telis priusquam ingruant, ac feriant; discat non multùm commoueri. Id quidem factu difficile, quia cùm omnis seruitus misera est, tum verò illa penè intolerabilis, seruire efferatis, iniquis, impuris; & ne in ipso etiam metu sobriis: sed tamen necessarium. Vbi quod potest, præstiterit, nulla lege ad plura obligatur, habetque in recessu cordis vndè seipsum consoletur, conscientiæ bonæ testimonium, & patientiæ suæ in cœlis coronam repositam. Tali hero non idcirco apud se maledicat, nec obloquatur apud extraneos; sed vincens potiùs in bono malum, excusatione tegat impetum iræ vehementis, quæ homines sibi præsentes non sinit esse, nec quid dicant, attendere. Satis ei maledicet Deus, & grauia ob tantam mētis rabiem decernet supplicia, ad quæ alludens B. Paulus dicebat: *Et vos Domini, eadem facite illis, remittentes minas*

Seruitus misera, ac intollerabilis.

nus, scientes quia illorum & vester Dominus est in cælis, & personarum acceptio non est apud Deum. Pro eodem quandóque oret, vt sic pro malo bonum tribuat, vtque fœlici concludantur exitu, quæ ab eo facienda accepit. Multò adhuc magis si vir bonus fuerit, vt erat Abraham, ad iussa cuius fœliciter exequenda sic orabat procurator, quem miserat in Mesopotamiam. *Domine Deus Domini mei Abraham occurre mihi obsecro, hodiè, & fac misericordiam cum domino meo.* Gen.24. Hæreticos Dominos nunquam sibi eligat vel quærat; quia licet non obstet hæresis, quominus gerant Dei vicem, & sint honore digni quatenus vi contractus legitimam in famulos suos adepti sunt potestatem: quatenus tamen scatent falsis dogmatibus, sustinent personam Satanæ, & vitari eminus debent ab iis maximè, qui citò seducuntur defectu iudicij, vel per blandimenta & munuscula, quibus ingenia seruilia, vt hamo pisces capiuntur. *Hæretici sustinent personam Sathanæ.* Postremò magnas, aut crebras eleemosynas de illorum fortunis non eroget; quia se nesciis tales fieri meritò conquerantur. Nemini licet de alieno ludere corio. Vel huiusmodi eleemosynis prodesse iis studet domesticus famulus, vel sibi, vel pauperibus. Si illis ad hoc medium frustrà recurritur, cùm inuitis prodesse nequeat. Si sibi vel pauperibus, idem est iudicium; quia neutrorum, sed dominorũ sunt eleemosynæ, & furtiua vsurpatio nec cedere potest in spirituale eius cõmodũ, cũ

sit

ſit peccatum; nec pauperum, ſi conſentiant. Neque enim licet de furto edere, Tob. 4.

Diſcipulus in præceptorem humanum qualis eſſe debeat.

§. 5. Diſcipulus ſimiliter ſi præceptorem na-ctus ſit humaniſſimum, facillimumque, caueat cõtemnere, reuereatur magis, & ſuſpiciat tantam in eo animi demiſſionem, ab omni ſuperbia faſtúque remotiſſimam (cùm tamen ſcientia inflet, niſi reprimatur à gratia.) Non quod vicio carere præceptores cenſeam, qui nullos præſcribunt terminos familiaritati ſuæ cum diſcipulis leui momento ea abuſuris, quo nomine Hortenſium ſalsè ridet Aulus Gellius lib. 1. c. 5. ſed quòd non idcircò liberentur diſcipuli à lege exhibendæ illis reuerentiæ, ſicut nec liberabantur filij Ageſilai Regis, quibuſcum domi ſe recreantibus colludebat quaſi de illis vnus, & equitabat in arundine longa.

Præceptores ne ſint nimium familiares cũ diſcipulis.

2. Equi boni, generoſi, & fortis inſtar non expectet diſcipulus flagellum aut calcaria; ſed vltrò pareat monentibus, ne aliàs faſtidio victi atque triſtitia frigidè munus ſuum obeant, & gementes dicant cum Ouidio lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

Verba miſer fruſtrà non proficientia perdo.

3. Non ægrè ferat, ſed vehementer ſibi gratuletur præter humana ſtudia inculcari ſibi Chriſtianæ doctrinam fidei & mores bonos, quia Chriſtianus eſt, non Ethnicus, ſcire contentus ea quæ ſenſuum & naturæ captum non ſuperant; nec quidquam faciunt ad vitam beatam & immortalem. Doctrina autem illa Dei cognitio, & diuinarum eſt rerum, de qua

Hier. 9.

Hier.9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* Et infrà: *Sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Post quam cognitionem & fidem prima de moribus in magno illo iudicij die fiet quæstio, in quibus qui non curabunt probè institui, ingemiscent aliquando cum miseris illis, quorum verba sunt, *Cur detestati quondam sumus disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor nostrum nec audiuimus vocem docentium nos, nec aurem Magistris accommodauimus?* Quàm multi torrentur in inferno, quibus longe maior fuit profanarum scientia rerum, quàm adsit nobis vel adesse possit? infœlicissimi tamen sunt & in æternum erunt; Leuis proindè est omnis eiusmodi scientia reputanda, vi cuius nec summum acquiritur bonũ, nec à summo quis malo reuocatur. Doctissimus, acutissimus, ingeniosissimus Diabolus præ toto hominum genere, non alius est quàm Diabolus, id est extorris cælo, maledictus, infœlicissimus & reproborum caput. Accedit quòd quamuis prosecutione per se dignæ essent solæ humanæ scientiæ, bonorum nihilominus doctrina morum & pietate indigerent, qua illarum studiosi impetrarent à Deo cumulatum intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi facilitatem; Præceptores autem interpretandi subtilitatem, & loquendi gratiam copiosam. Interim nequis me existimet solam commendare pietatem, ad humanas quoque scientias si mihi credit, seriò mentem adiiciat, Magistris suis has & illam inculcantibus addat

Prou. 5.

Diabolus etiã doctissimus, est diabolus.

dat ſedulitate animum, vt ſe intelligant feraẋ ſolum colere,& operam benè collocare. Amet illos non minus quàm ipſa ſtudia; & parentes credat eſſe non corporum, ſed mentium,iuxta illud S. Baſilij in Pſal. 33. *Diſcipulus filius ſpiritualis eſt præceptoris. Qui enim ab aliquo informationem pietatis accipit, is velut efformatur ab ipſo, & ad ſubſtantiam venit,quemadmodum à prægnante infantes.* Idque probat tum ex verbis pſalmographi: *Venite filij, audite me,timorem Domini docebo vos*: tum ex illis Apoſtoli Gal.4.*Filioli quos iterũ parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.*Multũ hæc cogitatio ſtudiis conferet. Ita quippè libẽter audiet diſcipulus, & dictis credet,& ſimilis eſſe cõcupiſcet.In ſcholã denique lætus conueniet, emendatus non iraſcetur, laudatus gaudebit,vt ſit chariſſimus ſtudio merebitur. Sicut exactè & libenter ludit, ac dormit quicumque literis dat operam; ita ex animo iis ſuo tempore ſeſe addicat, vt fiat quod ſcriptum eſt: *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.*Nõ ſemper quærat relaxare ludo animum, ſed imitetur volucres, quæ dum nidos conſtruunt, poſtquam aliquid fecerint, ita volitant leuandi laboris & faſtidij cauſa, vt breui poſt ſponte ad nidificationem redeant. Verſetur conſtanter in determinatis ſibi libris,ſtudiis, lectionibus, exercitiis literariis; nec quaſi Vertumnus moræque impatiens, poſt ſtudium vnum vix delibatum, transferri ſe ſinat ad aliud; niſi velit idem euenire ſibi, quod inchoatis ædificiis imperfectiſque relictis

Diſcipulus filius ſpiritualis.

Eccleſ.33.

Conſtanter adhærendũ ſtudio inictο.

relictis solet: Citò dissiliunt, quia nihil in iis solidum fuit, nihil absolutum. *Nihil rerum ipsa natura voluit magnum effici citò, praeposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem; quae nascendi quoque hanc fecit legem, vt maiora animalia diutius visceribus parentum continerentur.* Quintil. l. 10. c. 3.

4. Animi gratitudinem erga eosdem Magistros suos perpetuò colat, nec iis vnquam credat à se satisfactum, quia reuera vt notat M. Tullius, Dei, Parentum, & Praeceptorum beneficiis pares esse non possumus. Nulla similiter instillatae doctrinae & sapientiae paria stipendia sunt. Multò maior adhuc resultabit obligatio, si gratis nulloque exacto vel admisso salario sit institutus. Videas tamen nonnullos vsque eo rusticos, inurbanos, & prauae indolis; vt exactis studiis, ne dignentur quidem eos agnoscere, non salutare ne dicam resalutare. Quo non contenti, damno eos afficiunt, aut consentiunt afficientibus, notatos in iis defectus modicos laetabundi & quasi ouantes commemorant, saepius fingunt, vel longè suprà verum amplificant, quos excusare potiùs, vel extenuare debuerant. Quisnam doloris sensus sit Magistris de tam iniqua retributione, in promptu est cogitare; vident quippè ex longissima cultura, eaque laboriosissima, nihil se aliud quàm tribulos & spinas, moerores, inquam, & damna metere. Laboriosissimam dico, quia praeter vigilias, scriptiones, lucubrationes, speculationes *Ingratitudo maxima.*

priuatas, & constantem seruitutem ac sollicitudinem, quotidiè penè ad lassitudinem vsque declamant,& sese euiscerant. Neque verò ipsis solùm se gratum præbeat oportet; sed toti prætereà corpori siue communitati, si fortè alicuius sint membra: vt potè virtute & nomine cuius operantur, & à quo influxum seu virtutem accipiunt, sicut ab arbore rami, & à vite palmites fructum ferre non valentes, nisi in ea manserint. Ad quod alludens Apostolus dicebat: *Tu oleaster cùm esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.* Et infrà: *Tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus in bonam oliuam.* Ne deniquè iniuriam interpretetur olim vapulasse; sed beneficium fontemque bonorum complurium, vt interpretatus est in re persimili canis, cùm ei à sue obiiceretur, quod ad artem aucupatoriam instructus ab hero suo fuisset verberibus multis auriumque vellicationibus. Cui canis, *nescis,* inquit, *insane, nescis quæ ex verberibus illis bona sim consequutus; per ea enim vescor suauissimis perdicum cothurnicumque carnibus.* Fieri potest vt iniustè quis vapulet; credat tamen præceptor ei se pœnam iustè irrogarè, imò ad id teneri, nec aliud quàm eius emolumentum spectare; quo sanè casu amore dignus est, non odio; & Deus errore illo, bonaque fide vtitur ad occultas multas discipuli nequitias vindicandas.

Rom. 11.

§. 6.

§. 6. Dicamus ad extremum, pauca, quæ in primis dirigere in munere suo possint subditos Regum, Principum, & cæterorum Magistratuum. Primum sit, de quo domesticos iam suprà commonefecimus, habere illos Dei loco, non quod verè ac propriè Dij sint, sed quod vice Dei regant, seu viua sint Dei instrumenta in communi publicaque administratione mortaliũ, & ab eo acceperint quam habent authoritatem, ob idque propter Deum à subditis reuerentiam iure suo exigant, & caueant ne in se contemptis Deus ipse contemnatur, dicens ad Samuelem: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Reuerentiæ huius pars est, non rebellare in eos, nec insurgere; iisdem obtemperare in rebus licitis & ad publicam illam administrationem pertinentibus; quænam autem censeantur ab iis iure præcepta, siue legibus scriptis contineantur, vt communiter fieri solet, siue non; & quòd in dubio standum sit potiùs illorum iudicio ac definitioni, quàm propriæ, alibi quoque est dictum. Meminerint præstereà Magistratui fideliter cooperari in omnibus ad bonum publicum pertinentibus, hoc est, ad conseruationem Reipublicæ & iustitiæ, siquidem Magistratus caput est ad hoc constitutum, sed impotens nisi à membris adiuuetur. Quartum ab iis obseruandum sit, imposita tributa fideliter pendere (si ferat forma Reipublicæ, vt aliqua imponantur) quandoquidem necessaria sunt ad publicos sumptus faciendos, seu pacis

Reges, & Magistratus Dei loco habendi.

3. Reg. 8.

Cooperandũ illis.

Tributa imposita fideliter pendenda.

seu belli tempore. *Ideò enim & tributa præstatis,* ait Apostolus Rom. 13. *ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Adhæc qui aliquam sub Principe prouinciam administrant, singulariter ei parere discant, in grauissimis quibusque rebus ipsum interrogare, ab eius formula & præscriptis non discedere, ne quidem prætextu maioris boni, nisi hoc eis expressè concessum sit. *Melior est obedientia quàm victimæ.* Manlius Torquatus in filium qui iniussus pugnauerat, tametsi victorem securi animaduertit: & Publius Crassus virgis cædi iussit architectũ, eò quòd ad arietem conficiendum non miserat malum quem petiuerat; sed alium: & tamen optima fide alium miserat velut iudicio suo aptiorem; sed Publio de obedientia in primis sollicito displicuit tanta prudentia. Aul. Gell. l. 1. cap. 13.

1. Reg. 15.

DE

DE VERA
PERFECTAQVE PRVDENTIA;
LIBER TERTIVS.
De Amore sui, déque Prudentiæ regulis, quibus dirigitur.

CAPVT I.

§. 1. *Quendam esse prauum sui amorem, quendam vtilem, necessarium & laude dignum.*
2. *Praui radices quæ sint, quomodò extirpandæ.*
3. *Quid de seipso sentire debeat, cui curæ est amor sui sanctus ac purus.*
4. *Quæ potissimum animi bona prosequenda.*
5. *Quantam habere nominis sui rationem vir bonus debeat.*
6. *Quomodò & quousque corpori prospiciendum.*

§. 1. EXTARE prauum quendam sui amorē, quem φιλαυτίαν appellare Græci solent, dubitare non audebit, qui *Amor sui φιλαυτία Græcè.*

qui sciet à Christo dictum: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Non potest qui prauus non est, efficere, vt damnetur homo, ac pereat. Si datur sanctum quoddam sui odium, de quo mox sequitur. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, cur non etiam amor quidam prauus? In quouis certè rerum genere, vni contrario opponitur respondetque alterum; lumen tenebris, calor frigori, humor siccitati, morbo sanitas. B. Paulus 2. Tim. 3. inter mala ætatum sequentium, quæ pronunciat, amorem sui expressit. *Erunt*, inquit, *homines seipsos amantes*, & S. August. l. 14. de Ciuit. c. 28. amori Dei opponit amorem sui (quod non fecisset rectè, si cùm ille bonus sit, hic non esset quandoque saltem malus) sic enim loquitur: *Fecerunt itaque ciuitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei vsque ad contemptum sui.* Agnouit & prædicauit hanc ipsam veritatem Plato. Imò sui amorem dixit esse flagitiorum omnium scaturiginem. *Nimius in se amor omnium peccatorum omnibus semper est causa. Occæcatur circa amatum qui amat. Quapropter qui se amat, cùm se magis quàm veritatem honorandum putet, quid iustum, bonum, pulchrum sit, male iudicat.* Da mihi hominem sibi placentem, hoc ipso innumeris aliis fœtet ac displicet, iuxta tritum communi ore prouerbium, *Multi te oderint, si teipsum diligas.* Amare se dicitur, qui vult sibi bonum, sed prauè qui falsum. At quàm multi falsa

Ioan. 12.

Plat. lib. 5. de legib.

prose

prosequuntur, seculi pompas, ac voluptates illicitas, sensum quidem ad tempus oblectantes; sed tandem in gehennam pertrahentes, sicut dicit Scriptura: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Extat vicissim amor quidam sui sanctus, quem insinuat, & commendat Dominus, dicens: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Meminit Psalmus 10. improbi cuiusdam in se odij his verbis: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam:* datur ergo vicissim amor quidam sanctus, & inculpatus. Non inficiabere, puto, sanctum esse, quo amicos iuxta præscriptum rationis diligimus: Is autem cum maior sit vel minor, prout illi coniunctiores nobis sunt minusue coniuncti, eò quòd teste Aristotele l. 9. Ethic. c. 9. *amicabilia ad alterum proueniunt ex amicabilibus ad nos.* Supponit necessariò in nobis amorem quendam nostri licitum, qui illius mensura sit ac regula. Tandem diligere se, est velle sibi bonum, vt iam audiuimus; ergo sanctè se diligit, qui verum sibi bonum appetit. Tale autem à quouis appeti, quid vetat? Nonnullos id facere declarat idem Aristoteles ibidem. *Eos itaque qui circa honestas actiones præcipuè student, omnes admittunt & laudant.* Et infrà: Quocirca *vir bonus esse sui amator debet: nam honesta agendo, & sibi & aliis proderit, prauus non debet, eò quòd prauos affectus sequens, & sibi & aliis nocebit.* Quæ licet ita sint, vulgò sui amor malè audit ob ingentem eorum multitudinem, qui se perperam immodicéque diligunt.

Amare se quis dicatur.

Apocal. 18.

Matth. 22.

Psalm. 10.

Amor sanctus quo diligimus amicos.

§. 2. Amorem ſanctum priuſquàm faciamus in animos noſtros deſcendere, & diſcamus quibus ſit regulis dirigendus, de prauo dicendum eſt aliquid, deque modo extirpandi radices eius. Nam ſimiliter Agricolæ prius à ſentibus repurgant agros, quàm vtilia eis committant ſemina. De hac eius radice ſi interrogaretur naturalis Philoſophus, ignorantiam diceret eſſe veri boni, qua fit vt homo errore circumuentus eligat & appetat pro vero falſum; hoc eſt, pro bono malum, atque ita prauè ſe diligat. Sed nequaquam hoc ſuo reſponſo exhauriret difficultatem, tum quia ſæpè non ignorat quod verè eſt bonum: eo tamen ſpreto ad malum conuertitur, aitque

Amor prauus quid.

Ouid. 7. Meta.

——— *Video meliora proboque,*
Deteriora ſequor.

Tum quia in promptu eſt inſtare, vnde tanta in homine eiuſdem veri boni ignoratio, cùm nec brutis nec creaturis aliis cognitione aliqua vtentibus, vlla talis inſit circa ſuum. Recurrendum proindè ad doctrinam ſupernaturalis & Chriſtianæ fidei, dicendùmque, veram eius radicem, cauſam atque principium, ſicut & Philautiæ prauæ corruptionem eſſe naturæ humanæ, quam operata eſt peccatum primi parentis: Ante quod beneficio iuſtitiæ originalis homo rectus erat vt ſacra loquuntur oracula, notitiam habebat infuſam boni & mali tam ſupernaturalis quàm naturalis; illius obſcuram, huius euidentem. Ex altera parte voluntas rationi nulla ex parte repugnabat,

Homo qualis ante peccatum.

bat, nec voluntati appetitus ſenſitiuus ſiue concupiſcibilis, ſed præeuntem ſponte ſequebatur. Eximia aderat ad bonum pronitas, nulla in eius proſecutione difficultas : vbi verò in culpam lapſus eſt Adam, ea offenſus Deus, tam inſigne donum reuocauit, quod ei contulerat; & poſteris eius, ſi præuaricatus non fuiſſet, conferre decreuerat; tametſi in eo non idcircò fuiſſent confirmati, vt docet S. Th. 1. q. 99. a. 1. & 2. Rurſus Reſpublica eius interior optimè, ordinatiſſiméque procedebat: tunc perturbata ſunt omnia,atque vt idem codex facet loquitur : *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. In honore erat propter eximium,quo pollebat,lumen intellectus, & infuſam rerum notitiam. Iumentis autem ſimilis factus eſt,quia totus ſicut illa, in ignorantia naſcitur, ad ea pronus quæ oblectant ſenſum. Quid ſi etiam euaſerit conditione deterior? Omninò ita euenit, quia bruta partibus non conſtant mutuò diſſidentibus; homo autem conſtat, & gemens ait; *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? Quis iam modus radicem hanc improbam extirpandi; concupiſcentiam, inquam, innatam nobis, proſequentem falſa bona iis contraria, quæ commendat recta ratio, ſemperque conantem ſeducere voluntatem, & pertrahere in eandem conſenſionem?

Quantum mutatus poſt illud. Pſalm. 48.

Rom. 7.

Concupiſcentia quantū malum.

Hoc perfectè præstare nullo modo opis est nostræ, vtcumque tamen auxiliante Deo possumus, discendo quid sumus, quæ sint vera bona, nobisque propria, quæ media fini accommodata, propter quem in lucem prodiimus. His namque probè intellectis, conualescit voluntas adiuta diuinitùs aduersus deceptricem illam cupiditatem, nec se ab ea facilè induci patitur in prosecutionem falsi boni, sed rationi adhæret illud dissuadenti, proponentique contrarium. Ita inefficax redditur concupiscentia, proindè fermè ac si verè extirparetur, & cum illa consequenter amor sui prauus, cuius origo est, retunditur.

Hominis animæ quantæ dignitatis.

§. 3. Nouerit se homo ex anima & corpore coalescere, & ita quidem, vt illa istud multum dignitate antecellat, tanquam pars & forma spiritualis, & inexterminabilis, seu immortalis; & minimè educta è potestate materiæ, sicut cæteræ; sed veniens ab extrinseco, vt docuit Aristoteles lib. 3. de Anima, & patet ex sacra illa sententia: *Domine Deus, reuertatur,*

3. Reg. 17. *obsecro, anima pueri huius in viscera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Heliæ: & reuersa est anima pueri intra eum & reuixit.* Nempè, non solet dici reuerti, nisi quod actu præexstitit. Ita fit

Bona vera quæ.

vt vera ac propria hominis censenda sint bona, quæ ad animum spectant, & ille solus verè, solidè, ac prudenter amare se, qui talia prosequitur; contra verò fatuo sui amore corripi, qui ad consectanda cætera corpori accõmodata se totũ transfert. Illa enim perfectè explent hominis

hominis desiderium; hæc autem nihil minus, si vel parum desit, quod ad illa pertineat. Hinc illud magni cuiusdam Satrapæ secũdùm seculum. *Cùmque hac omnia habeam, nihil me habere puto, quãdiu videro Mardocheum Iudaũ sedẽtẽ ante fores Regis*. Inter illa animi bona primas tenet Deus, de quo S. Bernardus: *Animam Dei capacem, quidquid Deo minus est, non implebit*. Et antè illum S. Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Verè, verè ita est, in solo Deo creatore omnium, verum summúmque animi nostri bonum, est repositum, quo in nos illabente, & se fruendum præbente nobis, exclamaturi sumus; *sufficit*: sicut dicit Propheta: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Quærendus proindè ante omnia est, & expetendus, iuxta datum hac ipsa de re ab eo præceptum: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius*. Animi bona, secundo loco expetitione dignissima, tanquam præcipua media ad vitam æternam à Deo instituta sunt, gratia tam habitualis, quàm actualis. In cuius encomium, dictum est Apostolo, *sufficit tibi gratia mea*. Eidem tanquam causæ attribuitur vita æterna, Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Et quod valdè notandum puto, tanti eam faciunt Diuinæ literæ, vt participationem quandam diuinitatis dicant esse, 2. Pet. 1. *Per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ* (sicut lumen Lunæ magnifica est solaris participatio) & pulchritudinem quam non modo concupiscit Deus ipse Psal. 44. sed

Esther. 5.
S. Bern. ser. de Dedicat.
Deus primas tenet in illis.
S. Aug. l. 1. Confess. c. 1.
Psal. 16.
Matth. 6.
Gratia secũdas.
1. Cor. 2.

etiam miratur Cantic. 1. dicens ad animam sanctam: *Quàm pulcra es amica mea, quàm pulchra es.* Spiritus sancti nomen ei accommodent Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Actor. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Neque enim aliter dici possunt Apostoli illum accepisse, nisi hoc sensu; quòd insigne istud eius donum, & virtutem acceperunt, iuxta factam sibi promissionem, Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos.* Et: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex illo.* Nempè persona ipsa spiritus sancti cùm sit Deus & vbique, non potest aliquò venire. Nam si alicundè veniret, ibi prius nō esset. Restat itaque vt venire dicatur per hoc donum suum, sicut sol illuminare, calefacere, vel intrare cubiculum; quando lumen immittit suum hęc omnia operans. Memineris porrò, parum esse tantum donum tibi comparare, nisi partum diligenter custodias, & amissum vehementer doleas, vt scribit S. Cypr. epist. 5. Sed quid? cùm propter iacturam rerum temporalium ploremus penè implacabiliter, vt ille qui 4. Reg. 6. fletu multo prosequebatur demersam securim, quam mutuò acceperat, & alij de quibus Iuu. Sat. 13.

S. Spiritus quomodò veniat in animam.

Ploratur lachrimis amissa pecunia veris.

Pauci de tot mortalibus in fletum etiam modicum soluuntur amissa gratia. O modum agendi præposterum. Gratiæ affinis est peccatorum remissio, vtpotè remotio detestabiliū macularum, quarum non potest gratia præsentiam

tiam sustinere. *In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Martes fera exigua de genere mustelarum vsque eo abhorret à sordibus, vt antrum suum egressa ad quærendum cibum, si aliquibus oblitum & inquinatum dum redit, aspiciat; omninò intrare refugiat, potiusque capi se patiatur à venatoribus, qui proindè ista vti arte solent ad eam intercipiendam. Simile quid de gratia sentiendum: non descendit in animam peccati fæcibus laborantem. Et quia per Sacramenta, Pœnitentiæ præsertim & Eucharistiæ Deus optimus maximus vtrumque nobis largitur, & largiri constituit beneficium; remissionem, inquam, peccatorum, & diuinam illam gratiam, accedamus ad ea frequenter, benéque præparati, si nos verè diligimus. *Ibi abscondita est virtus eius.* Hab. 3. Ibi thesauros verè magnos reperiemus, ad statum nos recipiemus, in quo opera bona facere licebit æterno digna præmio. Ibi reddentur nobis anni, quos comedit locusta, Ioel. 2. Restituetur stola prima, Luc. 15. id est, merita priora per peccatum mortificata. Et quia non censetur præparatio esse sufficiens, si non includat firmum resipiscendi propositum, firmum autem videri nō potest, vt iā vidimus l. 1. c. 8. §. 2. quādo resipiscētia nulla reipsa sequitur ne resipiscendi conatus, fit vt nemo blādiri sibi debeat de vsu isto sacramētorum, & dicere; Vbi peccauero, ad illa confugiā, atq; ita mihi cōsuluero satis me amauero. Quid enim si cōfugias,

Propositum resipiscendi firmum.

sed

sed frustrà, id est, speratum indè fructum non recipias? At certè imparatus non recipies, quia *hominis est animam præparare*. Et Eccles. 2. *Qui* Prou. 16. *timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Vide itaque vt tibi valdè cordi sit, peccati cuiusque fuga & expugnatio, non mortalis solùm (quanquam in huius præcipuè victoriam incumbere nos conuenit) sed etiam venialis, quia venialia etsi per se leuia, multiplicata multùm nocent, eademque est eorum ratio, quæ argumentorum infirmorum, de quibus Quintilianus: *Si non possunt valere quia magna sunt; valebunt quia multa sunt. Singula leuia sunt & communia; vniuersa vero nocent, etiamsi non vt fulmine, tamen vt grandine.* Affinis est sacra illa sententia: *Qui modo ea spernit, paulatim decidet.* A peccatis abstinere tantum est, vt libenter subscribam illorum sententiæ, qui eligibilius credunt esse pauca bona, & pauca mala facere; quàm multa bona & multa mala. Dũ rursus oppugnationem commendo peccatorum quæ commiseris, vel quibus assueueris; illud præcipuè intelligo, quod in te magis dominatur. Sciendum in quouis homine vnum esse quasi primarium, caputque cęterorũ, quo debellato, facilè cadunt cætera. Cognoscitur autem variis modis, & singulariter genere cogitationum, in quibus plerumque aut communiter mens nostra occupatur; eóque tendunt illa Christi verba: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Illud item veterum: *Gnathonis animus*

Venialia etiam peccata quam fugienda.

Quintil. lib. 6. c. 12.

Eccles. 19.

Peccatum dominans primum debellandum.

Matth. 6.

Terent. in Eunucho.

animus semper in patinis. Sic qui ventos vult explorare, nubium motum considerat. Cognoscitur item, si etiam leui eius obiecto proposito, vehementer & statim moueatur appetitus sensitiuus. Itaque iracundum se reputabit, qui familiare sibi videt esse, leui accepta offensione, grauissimè excandescere: Libidinosum, si visa etiam obiter fœmina, valdè titilletur, & inhiet. Auarum qui minimorum etiam lucrorum occasiones captat auidissimè, &c. Nam vt scribit S. Thomas: *Multum passibilia patiuntur etiam à modicis agentibus*. Cognoscitur præterea ex crebri sermonis qualitate, quia vulgò loquimur, vt afficimur: *Amantes in his versantur multum sermonibus*, inquit Plutarchus, *qui recordationem refricant rerum amatarum*; & vt ait Dominus: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Hæc tamen via detegendi vitium præcipuum, minus expedita est, quàm præcedentes: quia, inquam, plurimis dominatur luxuria, qui nihilominus ignominiæ metu ex turpiloquio contrahendæ, abstinent ab eo diligentissimè, imò obiurgant turpiloquos.

1.Th.1.2. q.22.a.3.

Plut. lib. de Garrul.

Matth.12.

Tertium animi bonum verè eximiũ, ob idque sollicitè procurandum ab eo qui se sanctè diligit, est pax cordis siue serenitas, longè præstantior externa illa seu ciuili pace, quam adeò extollit S. Augustinus, vt neget *in rebus terrenis gratius aliquid audiri, aut desiderabilius concupisci aut melius inueniri*. Tanti certè hanc cordis pacem, siue gaudium fecit Ecclesiasticus, vt scribere non dubitauerit cap.30.

Pax cordis tertium.

S.Aug. lib. 19. de Ciu. c.11.

Non

Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium. Ab exterioribus bellis ne ipse quidem Deus liber est: atrocia contra illum gerunt vnà cum malignis spiritibus homines deprauati, de quorum numero futurus est suo tempore Antichristus, atque hinc ipsi nomen; & fuit eo tempore Paulus, quo de cælo audiuit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Verùm quia apud se tranquillissimus est, & mente compositissima agit omnia, sicut de eo scribit Salomon: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas*, viuit vnà beatissimus. Eris & tu non parum beatus, quicumque demum extrinsecus perflent venti, si quietam geras mentem, non ancipitem atque sollicitam. Hanc tibi conciliabit bona consciétia, de qua Luc. 1. *In terra pax hominibus bona voluntatis*, & S. Aug. *Senti de Augustino quod lubet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* & Horatius.

Bella in Deum.

Actor. 9.

Sap. 12.

Lib. contra Secund. c. 1.

Horat. l. 1. epist. 1.

—murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Bonam autem conscientiam pręcipuè facit diuina gratia vnà cum remissione peccatorum, de qua suprà, & mentem prorsus lætificat. Sicut enim peccatum admissum iusto Dei iudicio authorem suum etiam ἀδιαστάτῳ synderesi quasi tortore quodam excruciat, & grauissimam post se relinquit tristitiam pacis omnis expultricem, sicut dicit Scriptura, *Non est pax impiis*; & expertus est Dauid cum scriberet: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorũ.*

Peccati tortura & cruciatio.

Isa. 48. Psal. 38.

Tota

Tota die contristatus ingrediebar. Peccatum meum contra me est semper. Nec mirum, quia omninò iustum est, vt qui Deum peccato suo quantum in se fuit, contristauit, multò ipse magis contristetur, ac velit nolit perturbetur. Ita peccati remissionem; supernámque gratiam optimus conscientiæ seu animæ status sequitur, & pax quædam incomparabilis atque lætitia, quam operatur talis gratia; vt notat S. Chrysostomus ad illa verba Rom. 1. *Gratia vobis & pax à Deo*, in quibus vides gratiam veluti pacis causam anteponi. Hanc nobilissimá pacem dedit Christus Apostolis suis, dicens Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non sicut mundus dat, ego do vobis.* Hanc sibi petit Ecclesia: *Da seruis tuis illam quam mundus dare non potest, pacem.* Hanc quoque postulauit Dauid his verbis: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Se autem impetrasse ostendit, cùm diceret: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi; concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Quemadmodum risus in duplici est differentia, exterior qui ex titillatione, & interior qui ex forti apprehẽsione obiecti ridiculi: in eóque vnus differt ab altero, quòd exterior coactus sit imperfectus, sardonicus, ridentem contristans magis quàm exhilarans; interior contra: Ita planè pax siue gaudium, quod à causis pendet externis, vt cibo, potu, venere, choreis, spectaculis, &c. admodum tenue est & caducum; illud contra solidum, quod diuina illa gratia expunctis peccatis operatur, quod

Psal. 50.

Psal. 50.

Psal. 29.

Risus ex duplici differentia.

Gaudium internũ & externum quantum differant. quodque experiuntur omnes quos seriò pœnitet. Nec obstat, quod neque de hac gratia sibi collata omninò certus sit, qui iustificatur, neque de remissione peccatorum. *Nemo scit, vtrùm amore an odio dignus sit.* Sufficit enim, si fortem habeat, vt indubiè habere potest, eius rei coniecturam, seu præsumptionem. Nam similiter familiares principum, messores, vinitores, strenui milites, & qui ad prosperam redire valetudinem incipiunt; de gratia Principum, de ampla messe aut vindemia, de obtinenda victoria quæ per arma quæritur, de perfecta valetudine quæ expectatur, nó ita securi sunt, quin fieri posse putent, vt hallucinentur, & res aliter se habeat vel cadat, quàm sibi pollicentur: quia tamen argumentis nituntur valdè probabilibus, adeò anxij non sunt, vt valde hilarescant.

Eccles. 9.

Peccati conscientia. Cæterùm, quamuis peccati conscientia sit, quæ animi pacem & tranquillitatem potissimum interturbat, mentémque reddit vbique timidam & suspicacem, vt patet in Cain, & in Besso, qui post occisum patrem hirundines audiens cantillantes, interpretatus est se ab iis accusari patricidij, vt scribit Plut. l. de sera numinis vindicta; sunt nihilominus non pauca præterea, quæ eidem valdè officiunt, & mihi videntur ad octo posse capita reuocari, de quibus pauca obiter dicenda sunt, & opportuna simul remedia proferenda.

Octo quæ tristitiam afferunt.

1. *Res negata.* Perturbantur primò quamplurimi, quia nó fit, vel dicitur, vel conceditur, quod volunt.

Videns

Videns Rex Achab negari sibi vineã Naboth ægrotauit præ tristitia, 3. Reg. 21. & de Antiocho legimus: *Factum est vt audiuit sermones istos, expauit, & commotus est valdè: & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non est factum ei sicut cogitabat.* & mox: *Renouata in eo est tristitia magna, & arbitratus est se mori.* Simile quid experiuntur frequentissimè amatores omnes propriæ voluntatis atque iudicij, & quicumque inordinatè appetunt honores, opes, & voluptates. Infinitos patiuntur obices potiundi optatis rebus, partim prouidente id Deo, siue in pœnam affectus immoderati, siue ad bonum eorundem, ne id consequantur quod malè appetunt; partim defectu peritiæ aut virium, aut interuenientе casu non expectato, aut hominibus aliis repugnantibus, siue iure, vt cum præpositi negant subditis quæ non expediunt; siue nequiter; vt cùm riuales & æmuli moras interponunt. Quantam mentis inquietudinem, atque mœstitiam tunc concipiant immodici illi concupitores, credi vix potest; cui vt solatium quoddam afferant, ridiculè Deum fortunámque accusant, cùm sint ipsi sibi causa mali. Quis enim cogit eos vel appetere quæ non licet, vel ardentius quàm licet? Cur tam certò expectant, & sibi pollicentur, quæ incerta sunt, & mille impedimentis obnoxia? Non omittam hoc dicere, in viros etiam bonos quandóque cadere tristitiã ex hac prima causa emanantẽ; quando videlicet animaduer-

1. Machab. 6.

tunt optatos euentus nō respondere piis suis conatibus ac desideriis. Et certè non ab illis requiritur, vt nihil omninò mœroris indè sentiant, cùm sit moraliter impossibile, nec id ferat mortalis conditio, longè diuersa à conditione Angelorum perturbationis omnis expertiū. An non sentiebat psaltes, cùm diceret: *Zelus domus tua comedit me.* &, *tabescere me fecit Zelus meus?* Et Apostolus, de quo Actor. 12. *Incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem*; quique de seipso scribit zelante & sitiente salutem indocilium Iudæorum: *Tristitia mihi magna est; & continuus dolor cordi meo?* Sed enitendum vt temperetur, ne inducat nos in desperationem, & auertat ab iisdem piis conatibus, quamdiu superest aliqua bene sperandi ratio. Quàm multa perficit perseuerantia longáque patientia, quæ aliàs non fierent?

Psal. 118.

Rom. 9.

Ouid. lib. 4. de Ponto Eleg. 10.

Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo.
Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

A nemine plura exigit Deus, quàm potest. Vt non proficiant quibus laboras, tibi saltem conando proderis, & mercedem magnam habebis repositam apud Deum; apud quem *vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suū laborem.* Hac se cogitatione recreabat Saluianus Massiliensium Episcopus: *Si hac salus nostra sanauerit quosdā, fructus erit non paruus profuisse; Sin autē hoc non contigerit, hoc saltē fructuosum erit, quòd prodesse tentauerim. Mens enim boni studij*

1. Cor. 3.

Salut. in præf. lib de prouid.

studij, & pij voti etiamsi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Ne Christus quidem & Apostoli in salutem incumbentes mortaliũ, id omne semper ab illis impetrarunt, quod intendebant. Aliàs vndè mirabatur Christus, & non poterat (quia nolebat) multa signa facere propter incredulitatem illorum? Marc. 6. Quorsum illud Apostoli: *Quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente*? Sed & metuendum, ne qui ægrè nimis fert, frustrari labores suos optato fructu siue successu, circumferat aliquid superbiæ. Nã similiter indignantur superbi, quoties non fiunt votorum compotes, nec scopum fecerint, ad quem collinearunt, cùm hoc indicium videri possit imbecillitatis, cuius suspicionem vàldè reformidant. 1. Tim. 3.

Perturbantur multi, quia ex aduerso contingunt, dicuntur, aut fiunt multa contra ipsorũ voluntatẽ morbi, calumniæ, detractiones, amicorũ perfidiæ, orbitates filiorũ, &c. sed quid mirũ fieri & dici plurima ingrata mortalibus, cùm dicantur & fiant infinita diuinæ repugnantia voluntati: nec tamen idcircò quidquã perturbãtia summã eius tranquillitatẽ? Cur nõ maturè respicimus partim ad crebras, magnásque culpas nostras, dignissimas profectò in quarũ pœnã multa nobis molesta eueniãt; partim ad naturalẽ hominis imbecillitatẽ, conditionẽ, incertã prouidentiam, ad fallacis mundi ingenium, ad perfidas & versatiles voluntates *2. Res cõtra voluntatem facta, aut dicta.*

improborum? His diligenter consideratis ex-pectarentur in dies diuersa incommoda, & non perturbarent præuisa cùm acciderent; sed neque magnam gignerent admirationem; quia diceremus illa perferentes; Noui iam pridem & mecum expendi feræ huius improbæ & deceptricis indolem, hoc est, mundi, quem profectò rectè scripsit nobilis Christi Apostolus, totum in maligno positum; non aliud mihi ab ipso pollicebar; imò miror ab ipso in me hactenus profecta non fuisse quædam grauiora. Hac arte solabatur se Anaxagoras, audita morte filij. *Ego*, inquit, *cùm genui, interiturum sciui.* Et solatur se Sapiens amittens opes. *Sciebam precarias me opes, nec trabali clauo fixas possidere.* Et quicumque incidens in aduersam valetudinem: *Expectabā, vt Deus qui illā mihi dedit, adimeret pro arbitrio.* Aut ab vxore deceptus vel amico, & ait: *Noueram probā esse; sed simul mulierē noueram: amicum esse, sed animal natura facilè deprauabili.*

1. Ioan. 5.

Seneca.

Perturbantur nimis aliqui apprehensione belli, vel alterius mali, quod futurum præsumunt. Quasi verò sufficere non debeat diei malicia sua, aut diuertere malum possit tristis illa cogitatio, aut non possit Deus mala benè vertere. Alij verò apprehensione immodica mali præsentis aut præteriti, v.g. Audiuit quis communi iudicio vir bonus & omnibus charus, quædam à se dicta, vel facta accipi in deteriorem partem, indéque vehementer affligitur, ac si de fama sua actum esset in æternum

3. *Aprehensio belli futuri vel alius mali.*

ternum, & fructus omnis præteritus interiisset. Nihil est, cur tantoperè exortum malum cogitatione exaggeret, aut pertinaci verset memoria, quandoquidem testis sibi est iusta reprehensione carere, quod dixit aut fecit. Vt vnus vel alter sit, qui reprehendit (neque enim aliquid tam sanctum, quod iniquorum aliquot Censorum iudiciis non sit expositum) decem, viginti, triginta vel maximè probant, quibuscum nullo modo conferendi sunt insulsi illi & loquaculi. Magis adhuc recreari debet diuino testimonio, quod instar est omnium, de quo Iob. 16. *Ecce in cælo testis meus.* Habuit & contradictores suos tum Christus tum Apostolus, sed vterque sibi penè conscius, nihil remisit de mentis tranquillitate, missa fecit verba nugacium, quasi abripienda primo quocumque ventorum flatu, nec vnquam comparitura: Falsa de rebus tuis iudicia, quia veritate non nitūtur, infirmissima sunt citóque euanescunt.

Perturbantur alij, quia non norunt contenti esse sua sorte, sed inhiant semper meliori, & inuidere non cessant iis, quos se putant esse fœliciores, támque sunt fatui, vt dicant aliquandò: *Cur non fecit me Deus Angelum, aut Regis filium?* Quasi verò possint omnes esse Reges: sic certè nulli essent subditi, nec proindè Reges. Quasi rursus qui inania hæc vota concipiunt, sui destructionem non appetant. Ita est sanè, quandoquidem ij non essent qui modò sunt; si ij essent, qui non sunt, vt *4. Appetitio altioris sortis.*

docet S. Thom. 1. p. q. 63. a. 3. Vbi simili... probat, quòd Lucifer nec appetiuerit, nec appetere potuerit esse Deus. Magna animi tortura est hæc inuidentia, prorsusque inutilis: quia neque illi, quos æmulantur, propterea euadent miseriores, neque ipsi beatiores. Multū quoque ac diu excruciantur, cùm certum finem modúmque non præstituunt suis habendi cupiditatibus, quia vtuntur iis tantò magis, quantò amplius crescunt & fortiores sunt: quod tunc accidit, quando plura ac plura expetuntur, nec vnquã dicitur, *sufficit*. Quàm potens, celebris, opulentus erat Alexander magnus? Sed quia nesciuit vota moderari sua vitam egit planè miseram; idque inde ratiocinari licet, quòd cùm audiret Anaxarchum plures mundos, imò infinitos esse disserentem, illachrymasse dicitur, percontantibúsque amicis ecquid lachrymis ei dignum accidisset? *An dignũ est*, inquit, *nos flere, si haud dum vnius Domini facti sumus*? Valdè procul ab animi quiete aberat; qui ad omnium dominatum collimabat.

Plut. lib. de anim. Trãq.

5. *Nimia cura rerum alienarum.*

Luc. 11.

Perturbatur, quia nimis se immiscent rebus alienis. Si Martha, quæ nõ alia tractabat, quàm domus suæ propria, audiuit à Christo: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima*, quid audiuisset, si curare etiam voluisset aliena? quis non condemnasset eam, quasi in inconcessa & peregrina irrumpentem; quis inquietæ condoluisset, quæ causam sibi accersiuisset inquietudinis? Multorum stimulis infestatur, qui nosse vel agere quærit, quæ ad se

non

non pertinent. Ad singula perfectè non potest attendere, ideoque nec ea vt par est, expedire, quisquis in se recipit valdè multa; & dũ non expedit fæliciter, querelas inuidiasque multas sustinet, confunditur, animo deficit, consternatur. Sapientissimè proinde B. Paulus cùm ita cohortatus fuisset Thessalonicenses: *Rogamus autem vos, fratres, operam detis vt quieti sitis*; confestim addidit: *Et vt vestrum negotiũ agatis*, ac si diceret; magna hæc radix est inquietudinis aliena disponenda, curãdáque suscipere, præsertim perplexa valdè & intricata. Iuuerit præterea nõ nimis indagare quæ contra te dicuntur ab improbis: nã, vt ait Seneca in opusc. de Curiositate: *Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones etiamsi secreto habiti sint, eruit, seipsum inquietat.* 1. Thess. 4.

6. Affectio rerum temporalium.

Perturbantur, quia afficiuntur nimis erga bona temporalia, deque iis magnificẽtiùs sentiunt, quàm deberent. Hinc importunissimum illud acquirendi ea studium, & amplificandi, & conseruandi. Hinc eiulatus & lachrymæ penè continuæ cùm amittuntur, aut in periculo sunt. Hinc metus & expectatio valdè anxia futurorum circa illa euentuum, quam sanè anxietatem ridet Deus ac reprobat,

Prudens futuri temporis exitum Horat. l. 3. Ode. 29.
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque si mortalis vltrà
Fas trepidat. Quod adest memento
Componere æquus.

Perturbantur, quia vicissim nimis reformidant

datio damnorum temporalium.

midant damna temporalia, veluti si in iis ..ta esset summa infœlicitas; sic exanimantur & tremunt pueri, quandò excipi se vident sibilis anserum, & oues latrantibus catulis. Et quidem excusationem aliquam habet tremor ille propter inexperientiam: experti enim nihil sibi imminere damni ab eiusmodi sibilis, non illum deponunt modo, sed etiam rident. Miseros autem illos nihilo compositiores reddit patiendi consuetudo, nihil iuuat vsus, ex quo satis didicerunt damna & molestias illas humanas contemni à sapientibus, communes esse bonis ac malis, & moræ minimè diuturnæ; ideoque indignas propter quas valdè frangatur aliquis, & mentis tranquillitatem abiiciat: pergunt nihilominus æquè ac principio perturbari, sola temporis longinquitas vtcumque motos componit fluctus, & aliquantulú minuit mollitque mentis ægritudinem.

Perturbantur denique, quia perturbant cæteros, & sanè per quod peccant, per id meritò puniuntur. Côiectus est in maximas angustias Amasias Rex Iuda, quando comprehensus est in Betsames à Ioa Rege Israel, & perductus quasi mancipium in Hierusalem, & vidit oculis suis deiici murum quadringentorum cubitorum, auferrique de domo Domini omne aurum & argentum cum vasis vniuersis. Vndè verò tantum ei infortunium, nisi quia Regem Ioas superbè lacessiuerat, dicens: *Veni & videamus nos* (vtique eo modo, quo hostes solent capitales, nec acquiescere voluerat salutari

.ari eius consilio.) *Percutiens inualuisti super Edom, & sublenauit te cor tuum; contentus esto gloria tua, quare prouocas malum vt cadas tu & Iudas tecũ?* Molestus fuit omnibus Ismael, an nó ipsi vicissim alij? Omninò id sonant verba Angeli: *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* In Monomachiis adeunt mirabiles curas qui lacessuntur; vix pauciores qui lacessunt, imò vt plurimum occumbunt, vt te docebit infœlix exitus Goliæ insultantis phalangibus Israel, & quærentis sibi aduersarium, quocum iniret singulare certamen, possemque ipse demonstrare exemplo duellorum complurium, meo tempore susceptorũ in Gallia, Burgũdia & Lotharingia.

4. Reg. 14.

Gen. 16.

Quartum animi bonum diligenter curandum ab eo, quem tenet amor sui rectus & sanctus, studium est solidarum virtutum, non Theologicarum modò, hoc est Fidei, Spei, & Charitatis, sed etiam moralium. Has etiam scribit Aristoteles, bona esse honesta subiectum semper suum perficientia; quibus nemo abutitur; nemo deterior efficitur, sed melior. Quod quidem multò magis de illarũ actibus siue operationibus est intelligendum, eò quòd *nihil aut parum penna, sed vsus.* id est, non in habitu; sed in actu bono consistit vera laus, & meritum nostrum apud Deum, vt docet S. Th. 1.2.q.71. a. 1. post eundem Aristotelem l. 10. Ethic. c. 9. in quos idcircò actus, quò te ardentiùs veriúsque diliges, eò magis incumbes. Caue dicas aliquãdo, satis me in virtute exer-

4. Animi bonum.

Aug. lib. 1. magn. mor. c. 3. & l. 2. c. 9.

cui, tunc te crede in carceribus adhuc versari, aut medio, cùm te metam credes attigisse. Ad anteriora extende te semper, id est, ad perfectiora. Acquirendæ perfectioni modum nullum præstitue, qui excludat ampliorem; nullos circumda muros, vt in te conueniat quod scriptũ est Zach. 11. *absque muro habitabitur Hierusalem, præ multitudine hominum & iumentorũ in medio eius.* Æmulare semper, si potes, charismata meliora, & vt verbis vtar S. Greg. Naz. *Ne sustineas inter graculos primas habere, cum Aquila esse queas.* Et infra: *Transeamus hinc, euadamus in viros, proiiciamus somnia, præteruolemus vmbras, & magnæ huius scenæ ludicra, & inania spectra: cuiusmodi sunt, throni, potentatus, diuitiæ, promotiones, prouolutio subditorum in genua, inanis gloriola.* In hunc finem sic sæpè Deum alloquere, qui daturum se spopondit spiritum bonum petentibus se. *Dirige Domine in conspectu tuo viam meam. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.* Simul autem attende, ingenio vt tuo ac viribus sit accommodatum vitæ genus, quod amplectere. *Considerandum, vtrum natura tua agendis rebus, an otio, studio, contemplationique aptior sit, & eò inclinandum, quò te vis ingenij defert; ne scenici plus quàm tu videantur habere prudentiæ, qui non semper optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt, Epigonos Medeámque; qui gestu Menalippã vel Clytemnestram.* Et quoniam in virtutum exercitio finis

S. Gregor. Naz. ad Eudoxium.

Psal. 5. 24. 142.

Sen lib. de Tranq c. 4. & 6.

hnis valdè attenditur, ſicut dicit Scriptura: *Melior eſt finis orationis, quàm principiũ.* Enitere quàm maximè ſub finem vitæ viuere ſecundùm virtutem, & quàm optimo poteris exitu curſum tuum conſummare. Nam ſicut vltima vnitas eſt, quæ dat formam numeris; ita ex fine potiſſimum pendet vitæ totius conditio, & ſtatus poſt mortem. Eccleſ. 7.

Ludouici XI. deuotio in beatam Virginem.

Quod ſecũ reputans Ludouicus XI. Galliæ Rex, in eo totus erat, vt per merita beatiſſimæ Virginis Mariæ impetraret à Deo finem bonum. Id quo faciliùs conſequeretur, habe-rétque eandem ſacroſanctam Virginem pij deſiderij promotricem certiorem, inſtituit in vniuerſa Gallia; vel potiùs quòd iam erat ab Eccleſia piè introductum, obſeruari iuſſit, vt hora 12. ſignum daretur ad ſalutationem Angelicam. Non ſefellit eũ expectatio. Piè obiit, támque ſuauiter, vt nihil doloris expertus ſit; die itẽ Sabbathi (quod percupierat) Virgini ſacro, & ſepultus eſt in templo eiuſdem, de Clery.

Eiuſdem fœlix exitus.

Bona fama.

§. Ad catalogum inſignium animi bonorum, reducitur fama bona, quam ita commendat Eccleſiaſticus, vt ſcribat: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri precioſi & magni.* Affine eſt illud Plauti in Moſtellaria: *Ego ſi bonam famam mihi ſeruaſſo, ſat ero diues.* Et certè neceſſaria valdè eſt ad publica commoda prouehenda. Quocirca S. Paulus prouidebat bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus homini Eccleſ. 41.

S. August. lib. de bono vid. c. 22.

hominibus, Rom. 12. & S. August. scribit: *Quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi, benefacit; quisquis autem etiam famam, in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama.* Et S. Gregorius. *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus manentes benè viuere contemnant.* Sanctus item Thomas 2.2.q. 72.a. 2. docet illatas contumelias nonnunquam repellendas, non modò propter bonum illius, à quo inferuntur, seu ad reprimendam illius audaciam, iuxta illud: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Sed ad tuendam authoritatem dignitatemque propriam, maximè si lædatur apud viros principes; quia hæc læsio peculiarem habet grauitatem. Vndè Homerus insigniter volens Thersitem infamare à moribus, satis habuit vno verbo dicere:

S. Greg. homil. 9. in Ezech.

Prou. 6.

Plut. lib. de odio & inuid.

2. Cor. 6.

Odit & hunc magnus Pelides, odit Vlisses.

Neque his obstat illa Apostoli sentẽtia: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia &c. per infamiam & bonam famã vt seductores & veraces.* Non enim vult dicere, procurandam infamiam, aut negligendam eiusmodis famam; sed vt notat in eum locum S. Ambrosius, declarare intendit, quod ipse fidelis Dei dispensator fuerit, annunciando veritatem tam iis à quibus infamabatur, quàm aliis apud quos in pretio erat: & constanter prædi

prædi auerit Christi verba etiã iis,qui illa audire horrebant,& Apostolos dicebant esse non veritatis præcones ,sed seductores.

His positis, quatuor vult Prudentia à te circa famam obseruari. Primùm, quando malè tibi conscius fueris, ne temerè coneris probare te innocentem, ne fortè in decursu causæ nocens appareas; quemadmodum sub Francisco I. Franciæ Rége accidit summo Cancellario Poyeto. Is delatus ad tempus coniectus est in arcem Bituricensem, vndè iustificare se studuit: Factum est autem, vt constituti Iudices re tota diligentius discussa, nouisque auditis accusatoribus, ipsum multò magis reum deprehenderint, quàm prius haberetur, & sententiam tulerint non iam temporanei, sed perpetui carceris. Et Lutetiæ Parisiorum audiens quidam extraneus inter iurgandum, exprobrari sibi peccatum contra naturam, exprobrantem traxit in iudicium, sed magno suo incommodo; ab eo quippè conuictus tanti sceleris flammis est traditus. Iuridicè interrogatus noli prætextu tuendæ famæ delictum negare quod commiseris, quia tunc negare non licet. Quod si non commisisti, fateri nihilominus potes te commisisse, ad mortem, mutilationem vel aliud malum grauiss. vitandum, cùm sis Dominus famæ tuæ meritò prodigendæ ad bonum maius conseruandum (dummodò indè non oriatur scandalum vel damnum tertij) sed ne fatendo mentiaris, sensum tibi finge secundùm quem absit falsitas, v. g. hoc

4. Obseruanda circa bonam famam. Bellefor. in Francisc. I.

perpe

perpetraui, si mentitus non est accusato r. Alterum, vt siue semper malè audiueris siue non, ídque meritò aut immeritò, vitam in posterum viuas innocentem, vt postè ablaturam magis adhuc nomen bonum, aut defensuram, vel purgaturam malum, quia vt est apud S.Hieron. *Falsus rumor citò opprimitur, & vita posterior iudicat de priore.* Tertium, vt non solùm crimine carere studeas, sed etiam suspicione criminis. *Cauete suspiciones omnes,* verba sunt eiusdem in epist. ad Nepotianum, *& quidquid probabiliter fingi potest, deuita.* In epistola autem ad Ageruchiam. *Fuge personas, in quibus potest mala conuersationis esse suspicio; nec paratum habeas illud è triuio: sufficit mihi conscientia mea, non curo quid de me loquantur homines, si quidem Apostolus prouidebat bona etiam coram hominibus.*

In epist. ad Furiam.

Addit lex ciuilis: *Bonus vir etiam suspicionem criminis vitare debet.* Cur putas Deus Leuit. 11. animalia quædam immunda reputat, & vetat assumi in cibum, vt Camelum, chœrogryllum, seu cuniculum, leporem, suem, noctuam, cygnum, aquilam? Non certè, quòd sint ex se mala, sed quod figura & ingenio suo vitia quædam grauissima adumbrent; camelus, superbiam; cuniculus, auaritiam; lepus, timorem mundanum; noctua, prudentiam carnis oculatæ tantùm in operibus tenebrarum; lutulosa sus, libidinem; cygnus in terra & aqua degens, ingenium politicum ac versatile; aquila, rapacitatem. Et quia mali suspicio ab iis pendet quæ videntur, aut fiunt extrinsecùs, sicut

C. de Furtis l. inciuilé. *Animalia immunda reputata, & cur.*

eut & denominatio; vt montes Alpes quasi exterius niue, seu alba macula infecti, quæ ἀπὸ ἀλφὸς dicitur: satis non erit sapienti interiùs probè affici; sed in externa etiam conuersatione cauebit dicere aliquid contra decorum aut facere. Quartum, vbi studueris iniquam à te famam depellere, nec valueris; tamen vide ne plus æquo consternaris. Vna hæc est de præcipuis vitæ huius calamitatibus, quam ne sanctissimi quidem effugere omni ex parte valuerunt. Testem habemus instar complurium S. Basilium, apud quem legimus: *Nihil occasionis à nobis isti dissidio, siue parum, siue multum datum est; sed homines illi qui nos odio prosequuntur, assiduis nos calumniis grauarunt.* Apud sat multos benè audies, si apud Deum & temet ipsum, dicésque parui pendens iniqua hominum iudicia: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet?* Patienter age & Dominum sustine facturum suo tempore solenne iudicium iniuriam patientibus: Mens sibi benè conscia quanti sit facienda, quantum prosit ad animi tranquillitatem; iam supra attigimus, & declarat his verbis Seneca: *Conscientiæ satisfaciamus, nihil in famam laboremus, sequatur vel mala, dummodò benè merearis.*

Non satis est interiùs probè affici.

S. Basil. in epist. ad Patro.

Rom. 8.

Sen. lib. 3. de ira c. 24.

§. 6. Corporis bona sunt, pulchritudo, robur, sanitas, & vita; quæ sapiens sui amans nō quæret, nisi quatenus conducunt ad summi boni consecutionem. Tuendæ vel augendæ pulchritudinis cura vix aliis concedi videtur, quàm

Corporis bona quæ.

Corpus ornare quibus licitum. quàm virginibus pauperibus maritos al ìs nõ facilè reperturis ; & mulieribus, quarum viri proni ad adulteria, vix aliter domi retineri & placari poſſe videntur, niſi obiectu domeſticæ huius venuſtatis. Certum eſt, formam virginis ſupplere dotem vel partem dotis. Multos item viros libidine diffluentes cohiberi facilius à formoſis vxoribus ; atque has non peccare, ſi hoc ſancto fine ſollicitæ ſint de forma corporis, qua illis placeant, 1. Cor. 7. In ea tamen procuranda tenendus eſt modus, ne fiant ſumptus notabiles ſupra conditionem ſtatus ; ne ſtibium adhibeatur, ceruſſa, aut purpuriſſus, & aliæ id genus merces Diaboli. Sufficit communis aqua ad maculas eluendas. Quam natura ſat pulchram fecit, aut non expetit maritus pulchriorem, quorſum ad artem confugiat, qua magis adhuc à forma cõmendetur? *Ars naturæ diſcipula.* Vix à diſcipula polliceri ſibi poteſt, quod impetrare nequiuit à Magiſtra. Eſt autem ars naturæ diſcipula. Et fit neſcio quomodo, vt rideantur magis, quæ cùm ſint à natura inuenuſtæ, mentiuntur formam nulla neceſſitate adactæ, & quaſi impoſituræ intuentibus, videri ſatagunt quales non ſunt ; & quales ſunt, non videri. Earundem naturalem deformitatem circumſtans, comarum, gemmarum, veſtiúmque maieſtas ea lege ſpectabiliorem facit, quia contraria iuxta ſe poſita magis apparent. Virorum cura ſiue ſtudium pulchritudinis ideò reprehenſibile eſt, quòd eo pacto æmulari, & induere videantur ſexum fœmi

fœmi[illegible]eum, cuius est proprium; eamque ob rem [illegible]igni sint, in quos insurgant fœminæ velu[illegible] in vanitatis suæ vsurpatores; haud secus ac sutor[illegible] [illegible]ores insurgerent, si quæ faciunt, hi facere presumerent. Virginibus Deo deuotis ornatus aureos & argenteos singulariter interdicit S. Augustinus. Nam cum dixisset Possidio. *Nolo vt de ornamentis auri vel vestis, praproperam habeas in prohibendo sententiam,* mox addidit: *Nisi in eos qui neque coniugati sunt, neque coniugari cupientes cogitare debent quomodò placeant Deo.* S. August. epist. 73.

Robur corporis accurandum est plus vel minus, prout magis vel minus erit professioni tuæ necessarium. Nauta es, miles, vel agricola; in iis te exerceas quibus comparari posse videbitur. Vir contrà literis deditus, frustrà tibi permagnum optaueris. Qualecumque autem tibi sit, rectè eo vtere, non in crapulam & ebrietatem; sicut illi, de quibus Esaias c. 5. *Ve qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem,* neque ad noxiam vanamque ostentationem, veterum more pugilum pugnis se contundentium, de quibus Virgilius. *Robur corporis quibus accurandum.*

Multa viri ne quidquam inter se vulnera iactant,
Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus, erratque aures & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ. Virgilius l. 8. Æneid.

Maius adhuc corporis bonum est, sanitas dignum à priſcis habitum, quod ſingulariter à Deo poſtularetur:

Iuuenalis Sat. 10. *Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.*

Nempè meritò magnum videri id debet, ſine quo vix quidquam boni agere poſſumus, *Sanitas maius robore bonum.* quin potius oneri ſumus circunſtantibus nos; huiuſmodi autem eſt proſpera corporis valetudo, qua proindè ſi tibi obtigit, vtere ſapienter; in res, inquam, Deo gratas, & tibi cæteriſque ſalutares, ne fortè aliàs tibi pereat, & à Deo reuocetur, adimente paſſim dona ſua non vtentibus, vt cùm ait: *Auferte ab illo mnam,* Luc. 19. *& date ei qui habet decem mnas*, quantò magis abutentibus? Eandem conſerua diligenter, cùm ſemel amiſſa facilè ſit irrecuperabilis. Sed hic vide ne ſis nimius, nam vt cura moderata tuendæ ad diuinum obſequium valetudinis, ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda eſt; ita nimia ſollicitudo in iis quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilis, quin etiam pernicioſa. Idem de corpore ſentiendum, quod de oratione Rhetorica; quæ, vt ait Quintilianus in præfatione libri 8. inſtit. fit interdum cura nimia deterior. Quoſdam videas præ ægrotandi metu totos eſſe in cupediis, minimum auræ flatum friguſue refugere, veſci nolle niſi ambroſia, perdicibus, pullis, lepuſculis, aut carnibus veruecinis; nec aliud quàm nectar bibere, & in plumis dormientes adhuc de lecti duricie expoſtulare. Totos item in

potio

potior ibus medicis, & pharmacis, & hoc ipso lang[illegible]ere semper, vel habere deterius. Ipse na[illegible] horror & difficultas in iis vsurpandis, satis o[illegible]dit latere [illegible]is quiddam inimicum, nec ita prodesse; quin aliquantulum simul obsint: esto tegatur, & excusetur sæpè incommodum minus maiori commodo. Vndè ipsi Medici exploratam habentes occultam illam malignitatem, rarissimi omnium, nec nisi in grauissima necessitate ad medicamenta confugiunt, & alios vituperant (apud se si non palàm) nimis facilè confugientes. Galenum audire præstat de hac re differentem: *Euacuatio superfluitatum, quæ quotidie generantur in corpore, minor est, quàm vt exigat purgantis medici operationem. Si verò quispiam voluerit bis in mense, aut semel saltem ea vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem trahet.* Et à Cornelio Celso laudatur Asclepiades, quòd medicamentorum vsum magna ex parte non sine causa sustulerit. Et cùm omnia ferè stomachum lædant malique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem suam curam transtulit. Haud dubiè necessarij aliquando sunt medici & medicinæ; sed rariùs quàm plerique arbitrantur. Si te expertus es ægrotare solitum ob humorum malignitatem vel copiam; præueni ægritudinem sectione venæ, aut vacuatione alia; vt monent Hippocrates & Galenus lib. 6. Aphor. 47. Si secus quid est opus?

Medici rarissimè ad medicamenta confugiunt.

Gal. Comment. 3. in sect. 3. Aph. n. 15.

Corn. Celsus l. 5. *de* Remed. in Præfat.

Medicus quisque optimus sibi.

Medicus omnium optimus est quilib[e]t sibi ipsi, quamdiu abiecto otio ac deliciis [mo]deratè exercet corpus, & assuefacit toleran[ti]s laboribusque mediocrib[us, &] sobrieta[tem] colit atque abstinentiam, modumque seruat in sui vsu coniugij (nam non coniugatis nefas est vti venereis voluptatibus, etiam tuendæ vitæ gratia, aut recuperandæ valetudinis) & apprehensiones suas moderatur, curas item, iram, tristitiam passionesque cæteras, quas grauissima sequitur humorum commotio totiusque corporis alteratio; & anima quasi suspensa attonitaque attendere & vacare non sinitur necessariis eiusdem operationibus. Hinc tam integra, firmáque valetudo rusticorum præ ciuibus, quòd multo occuratiùs obseruent quæ iam obseruanda diximus pro salute corporis: non sint desidiosi, non crapulæ dediti (quæ infinitis mortem attulit, nimis incrassatis. *Nam qui natura valdè crassi sunt, breuiore vita fruuntur quàm graciles.*) Sique fortè grauentur interdum prauis humoribus ob ingluuiem, vel alimenti miseri cruditatem, sucumque malignum, consumunt illos & corrigunt exercitatione fortissima. Qui literis dant operam, quia speculando valdè caput exercent, animique intendunt vires, meminerint, si durare volunt, sanique viuere speculationes illas serias quandoque intermittere & relaxare, præcipuéque ad se pertinere admonitionem illam salutarem:

Non maritatis venereævoluptates non licet vlla ratione.

Hypocr. l. 2. Aphor. 42.

Relaxandus aliquando animus à literarum studiis.

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Sed

Se... de hoc argumento plura infra cap. de ...ositate. Quod supra dixi, non licere non co...gatis tuendæ causa valetudinis aut etiam vitæ, venere... vel voluptatibus, iterum confirmo, ne quis vel id falsum putet, vel temerè à me pronuntiatum. Si Marius post abscissum sibi crus vnum, consentire noluit in sectionē alterius, esto illam iudicarent Medici conseruandæ vitæ necessariam, quantò minus admittenda est vel probanda curatio corporis post se trahens animæ ipsius interitum spiritualem? Cōseruanda sanitas, sed mediis licitis, quibus coniuncta non sit culpa lethalis, & diuini alicuius mandati præuaricatio. Cùm iussisset Ramises Ægypti Rex Architectis, nobilissimam surrigere pyramidem, & cauere ne aliqua ex parte violaretur; atque ad vigilantiā eorum industriamque magis acuendam, filium suum paruulum alligari iussisset cuspidi pyramidis, cautissimè circa illam versati sunt, præcipuè ne puer ipse læderetur, cuius proindē salus eis commendatissima lapidi valdè profuit; ita nos oportet ad animæ salutem nostrō inclusam corpori pręcipuè respicere, nec quidquam facere gratia corporis, quod cedat in eius perniciem. Saluabit, & in cœlum attollet sancta hæc sollicitudo non animam solùm, sed corpus ipsum.

Mediis tantùm licitis sanitas conseruanda.

Postremum corporis bonum est Vita, cuius laudem ac precium caue in longitudine constituas; preciosior esset ceruorum, coruorū, & aliorum brutorum complurium; sed in hoc

Vita laus in quo constituenda.

potiùs, vt ea labente Deum verum co... rem tuũ,ſimulque virtuté ſtrenuè colas: ... præſtaret non viuere omninò, aut quàm ...e-uiſſimè, quia quò quis diutius ... malè, eò ampliorem ſibi coarceuat materiam ignis æterni. Vt nihil dicam de temporalibus malis (ſine quibus in hac valle non viuitur) tot tantiſque, vt illa continuo fletu proſequutus ſit Heraclitus,& pronuntiet Eccleſiaſtes: *Laudaui magis mortuos quàm viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.* Et Silenus ſenex à Myda captus dixerit: *Optimum ſibi videri, nunquam naſci, proximum quàm ociſſimè aboleri.* Ergo viue, ſi potes, vitam longam, ſed vt in cultu illo gemino te diligenter exerceas, muneri tuo ſatisfacias, publicæ vtilitati ſtudeas, multa tibi merita congreges, de præteritis delictis pœnitentiam agas, iniquos docens viam Domini verbo & exemplo, vt conuertantur. Quidquid aliud protuleris ſecundum eſt, parergum, peregrinum, intempeſtiuum. Victum, veſtitum,& alia ad vitam neceſſaria adhibe, ſi potes, ne ſi omninò prætermiſeris, reus fias, velut qui tibi mortem conſciueris; niſi fortè damnatus ſis, vt inedia moriaris; quo caſu ſicut nihilominus tibi licet cibo te reficere, ſi fortè clanculùm miniſtretur, ita ab eo ſi vis abſtinere, velut etiam non vti data elabendi occaſione; ſed manere in carcere,& mortem expectare. Neceſſarios ſumptus in medicos ne ſimiliter neglexeris. Turpis ac crudelis eſt auaritia, quæ

Mala quot in vita.

Eccleſ. 4.

Viuendum quomodò.

possessorem vti non sinit rebus suis indigêtem. Quod intelligo, nisi difficilimum sit medicamentum aut remedium, quia lex tuendæ vitæ non obliga... tanto onere & difficultate, quanta remedij vsus est difficillimi, & acerbissimi. Nullus te prætextus adigat ad mortem tibi ipsi immediatè consciscendam (nisi quod vix vnquam accidit, id se velle reuelauerit tibi Deus, vt olim Samsoni) non es Dominus vitæ tuæ, sed tantùm custos; ideóque te occidens peccas in Deum id lege cauentem; & in amorem quem tibi debes, & in patriam, cuius es membrum. Et quoniam membra quoque tua viuunt, moriuntur autem cùm mutilantur, vel amputantur; hanc eorum destructionem tibi noueris interdictam, nisi fortè ea sit necessaria ad vitam totius corporis conseruandam; vt contingit, quando sunt putrefacta, vel alligata ab hostibus, vel veneno correpta, certissimè cor infecturo, nisi abscindantur. Quid si eorum adminiculo mala multa perpetro; an non tunc quoque præcidi poterunt? nonne ait Christus Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum?* Respondeo, nec posse, nec debere, illaque Christi verba tantùm esse hypothetica: *Si oculus tuus*, &c. At reuerà oculi non scandalizant, sed homo iis abutens scandalizatur in obiectis exterioribus, atque ad peccandum inducitur. Peccauit proindè Origenes euirans seipsum, ne libidinaretur. Nullo item prætextu teipsum

Nullo prætextu licet sibi mortem afferre.

S. Aug. l. 5. de Ciu. cap. 17. & seq.

Non sumus Domini vitæ nostræ.

mediatè interfeceris, ea ſcilicet adeundo, ex quibus valdè veriſimiliter mors ſequitur; niſi id neceſſarium ſit ad bonum Reipublicæ, vel ad ſpirituale proximi, vel ad temporale amici optimi, vel ad id damnatus ſis; verbi gratia, ad intrandum in lacum leonum: vel longiſſima exercitatio ſecurum te faciat: quo pacto excuſantur funambuli & aggreſſores Taurorũ, cùm ſint in tali arte exercitatiſſimi. Vel per inaduertentiã præcipites te in mortẽ nimiis pœnitẽtiis. Multos excuſat bona fides & ſimplicitas, dicente Domino ad Abimelech Regẽ Geraræ: *Et ego ſcio, quod ſimplici corde feceris; & ideò cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi vt tangeres eam.* Sin contrà ſciret aliquis ſe ſibi creare mortẽ exceſſu illo pœnitentiarum, aut lethalẽ morbum, perperam ageret excedendo, nec Deo grata eſſet eius pœnitentia, cui obſequium non placet niſi rationabile; vt tradit S. Thomas. 2. 2. q. 147. art. 1. Contractionis vitæ ſeu accelerationis mortis alia eſt ratio. Non peccat qui ſciens ac volens aliquid ex cauſa rationabili facit, quo certò aut veriſimiliter nouit contractum iri vitæ ſuæ ſpatium; aliàs nec pœnitentiam liceret agere, nec vitam amplecti religioſam, cùm tamen vtriuſque author ſit Chriſtus. Ecquis ſeriam, hoc eſt, multo tempore agat pœnitentiam, & non aliquid detrahat viribus ſuis, atque ex conſequenti vitæ ſpatio habere ſolito cum illis proportionem? Rari Religioſi ſunt, qui annum excedant ſexagenarium,

Funambuli qua ratione excuſentur.

Gen. 20.

Contractio vitæ in quibus licita.

ſi port re iugum cœperunt ab adoleſcentia; de iis [illegible] quor, apud quos Regularis viget diſcipli[illegible] Qui ſi vixiſſent in ſeculo exempti oneribus & cu[illegible]gionis, vt plurimùm ſine dubio vitam vixiſſent diuturniorem: Et tamen quis vertat illis vitio, & non laudi maximæ, quòd ſponte trãſtulerint ſe ad hoc vitæ genus? Nempè bonum eſt vitam prorogare corporis; ſed maius aduc magiſque neceſſarium animæ vitæ conſulere, ex qua etiam illa pendet. Conſulitur autem per pœnitentias ſolidas nobis imperatas & religioſæ profeſſionem vitæ. Deniqua ne te occidi permiſeris, niſi in fidei defenſionem, vel ad non commmittendum peccatum, vel ad neceſſariam Reip. defenſionem, vel ob amici liberationem, quo non ſis Reipublicæ vtilior, vel denique niſi iuridicè addictus morti. Tunc patienter parendum eſt, non repugnandum.

De præſcriptis Prudentiæ circa Abſtinentiam.

CAPVT II.

§.1. *Abſtinentia quid ſit, quàm vtilis ac neceſſaria.*
2. *Quouſque comedendum, vbi de honeſto comedendi modo.*
3. *Quæ remedia Gulæ opponenda.*
4. *De defectu cibi vicioſo, ſeu nimia inedia.*

Mm 5 §.1.

Abstinentia quid.

§. 1. ABSTINENTIA virtus est incli-nans voluntatem ad consectandam in ciborum vsu mediocritatem secundum præscriptum rectæ rationis. Notum enim quod perfectæ virtuti vniuersim sumptæ conueniat, impetus & excessus passionum omnium reprimere. Cùm igitur ciborum cupiditas de numero sit eiusmodi passionum, hominémque ita sæpè detineat, vt totus sit in ventris obsequiis cutéque curanda, mentis exercitia negligat, rationi non auscultet, *venter*, vt in prouerbio est, *auribus caret*: Vtile omninò fuit ac necessarium, interuenire virtutem specialem, qua se voluntas in hac parte cohibeat eo fine, vt exclusis cibi excessibus promptior sit homo atque aptior ad mentis operationes. Hoc dixerim, quia si quis alio consilio excessus illos fugiat, exempli causa, ad acquirendam corporis valetudinem, vel conseruandam, non pertinebit ista eius moderatio ad Abstinentiæ virtutem, sed solùm si hoc faciat ad frænandam cibi concupiscentiam secundùm præscripta rationis, vt ex S. Aug. lib. 2. qq. Euang. notat S. Thom. 2. 2. q. 146. art. 1. ad. 2. Similiter si nullo fine proposito quis abstineat, vt fit quando ideò abstinet, quia quod comedat non habet; nihil per se conducit ad hæc temperantia ad gloriam Dei, ad virtutis bonum, ad spirituale meritum. Ait enim Apostolus 1. Cor. 8. *Esca nos non commendat Deo; Neque enim si non manducauerimus, deficiemus; neque si manducauerimus, abundabimus*, supple spiritualiter & apud Deum.

Abstinentia quæ vera dicatur.

Deum. Vtrumque autem quatenus rationabiliter & ex dilectione Dei, pertinet ad regnum, quatenus ad parendum præscripto rationis, quam dedit nobis Deus regulam actionum nostrarum, spectat ad virtutem, conducit ad meritum; quod notare iuuerit aduersum Lurcones quosdam, qui ad gulam suam excusandam dicere non erubescunt, nihil prodesse à cibis abstinentiam. *Audio homines*, verba adduco S. Ambrosiij, *qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, delirare eos qui castigant carnem suam, vt menti subditam faciant, quod nunquam fecisset vel scripsisset Apostolus, si deliramentum putasset.*

S.Ambros. Epist. ad Eccles. Vercell.

§. 2. Vt non est calor idem naturalis omniũ, nec eadem professio, ventris capacitas, pœnitentiæ necessitas; non vnus idemque succus cibi cuiuslibet, nec eadem anni tempestas: ita nec est, nec esse potest vna eadémque mensura temperantium quoad esculenta. Constat amplioribus indigere adultos quàm pueros: Rusticos item, & qui præ manibus habẽt mechanica opera, quàm literatos, & biliosos quàm flegmaticos; & fœminas gestantes vterum, quàm quæ non gestant; & qui innocentiam colunt minus teneri macerare sese grauioribus abstinentiis, quas vocamus ieiunia, quàm gulosos, helluones, & alios id genus intemperantes, necesse habẽtes ciborũ excessus castigare inedia. Hyẽs deniq; plus alimẽti quàm æstas postulat; quia, vt scribit Hippocrates: *Hyeme vẽtres & vere natura calidissimi sunt, & sõni lõgissimi.* Quare

Hyems plus postulat alimenti quàm æstas. Hyp. l. 1. Aphor. 15.

Quare per ea tempora alimẽta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus [illegible] dè & pluribus indiget alimentis. Addit Ariſtoteles: *Cibus parcus, potio liberalis per æſtatem admittitur.* Et infrà: *Parcimonia verò cibi communis omnium temporum eſt, ſed magis æſtati conuenit, ne ob habitum temporis feruentem, corpus immodico cibo preſſum exæſtuet.* Sed & cæteris paribus qui ſoliti ſunt plus comedere, cibo vti poſſunt ampliore; quia iuxta eundem Hypocratem loco citato Aphor. 17. *Dandum aliquid eſt tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.* Propter hæc cauendum, ne quem facilè inſimulemus intẽperantiæ quoad cibum, ex nobis metientes quantò opus habeat. Alluſit ex parte ad hoc Apoſtolus, dicens: *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut potu.* Sed enim exoritur iam difficultas, ſi ita eſt; vndè mihi de menſura cibi conſtabit? Facillimè dicitur tenendum medium; ſed quis illud aſſignabit? Alius certè vix ſcire poteſt, quid mihi expediat; ego autem in cauſa propria Iudex eſſe prohibeor. Omninò difficilè eſt illud determinare, ob idque S. Auguſtinus non ſibi blandiens, ſed ingemiſcens: *Ecquis eſt Domine,* inquit de potu loquens, eadem autem eſt cibi ratio, *qui aliquando non rapiatur extra metas ſobrietatis? quiſquis ille eſt magnus eſt, magnificet nomen tuum; ego autem non ſum; quia homo peccator ſum.* Vniuerſalius adhuc loquitur Ariſtoteles in Ethicis: *In vnaque re medium inuenire eſt difficile, vt circuli medium deprehendere, non cuiuslibet, ſed ſcientis ſolummodo eſt.*

Ariſt. ſect. 1. Probl. 40.

Coloſſ. 2.

S. Aug. lib. 10. Conf. c. 31.

Ariſt. lib. 2. Eth. c. 9.

Nihil

Nihil n elius reſponderi poſſe videtur, quàm cibum illum ſufficere, quo vſurpato, plus aliquid non ſine nauſea, repugnantia,& difficultate ali[illegible], & in ſtomachum iam ſatis refectum tranſmittitur; ita vt incipiat difficilis eſſe reſpiratio, & grauari caput,& quaſi contemptim, minutatim, tardè, intercisè, perfunctoriè comedi. Imò cum hæc nauſea non ſtatim ſentiatur, expectanda non erit; ſed tunc etiam faciendus comedẽdi finis,cùm aliquid famis ſupereſt, quo ſecuriores ſimus ab extremo pernicioſiore, ac etiam crebriore,nẽpè ab exceſſu. *Oportet eum* (verba recito eiuſdem Philoſophi) *qui medium coniectare vult, primùm à magis contrario recedere: ex extremis enim alterum magis, alterum minus peccabile eſt.* Homine hac in parte prudentiores ſolent eſſe quæcumque beſtiæ, quia vbi primum neceſſitati naturali ſatisfactum ſentiunt, ne hæſitant quidem aut pitiſſant, nec ad id verbere aut aliter cogi poſſunt. Ibid.

Quod ad rectum comedendi, bibendique modum, vel de illo agitur, qui ad corporis ſpectat ſanitatẽ, vel de illo qui ad bonos mores. Si de primo,& adultus ſis,nec longum facturus iter,nec labori magno daturus operam; ſufficiant tibi cœna & prandium, ac quidem moderatum. Perſanè eſt, infrequentiùs vt comedas, quàm pueri vel alij mancipati negotioſis operibus; hi autem ter tantùm, aut quater ad ſummum in die comedunt. Iudæis in more fuiſſe nihil comedere antè horam prandij,

prandij, indicio satis est illa B. Petri sententia. *Non enim vt existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia*, id est, nona antemeridiana. Vtebantur namque Iudæi die artificiali, atque eamque partiebantur in horas duodecim æquales; & cùm hæc diceret B. Petrus, non valdè distabat ab æquinoctio verno: Cúmque testificetur hora illa nona nihil adhuc bibisse socios; nihil quóque comedisse multò magis significat, cùm cibus non sit propter potum, sed contrà. Adde, quòd hac ratione sanitati valdè prospicitur, eò quòd nocturno & antemeridiano tempore non digeritur cœna solùm, sed supernacanei etiam humores absumuntur; quod pomeridiano quoque accidit, cùm antecœnium seu merenda prætermittitur. Vtrobique autem mensæ accumbitur, non sine magno cibi potusque desiderio, propter famem sitimque mordicantem, & ventriculo auidè complectente quod ingestum est, perficitur valdè côcoctio. Ad quam magis adhuc perficiendam, & dominium caloris naturalis supra ciborum copiam conseruandum, nunquam planè satur à mensa recedito. Hinc rationem deprompsit Galenus Traiani & Antonini Imperatorum archiatrus, & medicorum omnium post Hippocratem doctissimus, cur ad tantam peruenisset senectutem, (sunt enim qui scribant vixisse eum annos 140.) *Nunquam satur à mensa discessi, nunquam sic me effudi in cibum potumque, quin aliquod semper superfuerit edendi bibendi*

Actor. 1.

Galenus diutissimè vixit & cur. Cœl. lib. 30. c. 12.

bibendi [illegible]e desiderium. Ita factum, vt nullis exuberaue[illegible]m superfluis humoribus, & preterea omni [illegible] re fuerim ad animi functiones expeditissimus, nulla re, [illegible] cruditate, nulla grauiore somnolentia; Incidente graui negotio quod moram non patitur, vt fit v. g. quando spiritualis vel corporalis medicus ad infirmum vocatur periclitantem, memineris prandium intermittere; curanda prius sunt quæ magis vrgent, & differri non possunt, aliàs nec infamiam declinabis, nec inuidiam, quasi gulæ plus æquo deditus. Suum certè relinquebat Tobias, audiens in platea ciuitatis iacere cadauer alicuius sui contribulis. Et Manuel Comnenus Imperator, manu propria pomum cortice exuens audiensque Persas impetum fecisse in frumentatios, abiecto mox pomo semidecorticato conscendit equum, & ad arma confugit. Et quia dum diu accumbitur, facilè contingit infarciri escis stomachum sensim ingestis; caue-bis communiter prandium vel cœnam vltrà horam producere. Cibis vtere communibus, nec tibi vulgò quære delicatos igneam nacto complexionem; sed paulò duriores, vt calori per laborem exacuto leuiores citò absumenti possint resistere. Si tamen hoc non patiatur vetus tua mollisque educatio, erit ei aliquid indulgendum, nec id pugnabit cum perfectione virtutis. Atque huc pertinet historia Romani Monachi, qui cùm in Scytim venisset, vno cum famulo, & monacho alteri Ægyptio

Tob. 1.

Nicet. lib. 6.

ad ſe diuertẽdi exhibuiſſet parũ vini, cibósque ſucci mediocris: ſcandalizatus eſt Ægyptius, de famulo, deque tanta vt interpretabatur, obſonorum lautitia; quod cùm obſeruaſſet Romanus interrogauit eum cuias eſſet, cuius prouinciæ, quibus eſcis educatus, quibus item iam veſceretur. Producit ille conditionem ſuam viliſſimam, adiecitque ſe nunc aquam ſolam bibere, panéque vti ruſticano, ac quidem exiguo. Tum Romanus. Scilicet valdè magnũ mirumque eſt, tam vile tibi alimentum ſufficere, qui in tugurio natus, fortéque inuitus, & neceſſitate compulſus, nihil vnquam expertus deliciarum, duræ huius paupertatis habitum contraxiſti: Ego autem fui quondam in vrbe Roma celeberrimus, ditiſſimus, beatiſſimus ſecũdùm ſeculum; Domus mihi erat magnifica, menſa opipara, lectus molliſſimus, muſica dulciſſima, famulorum item copia comedenti miniſtrantium, euntémque ſtipantium & redeuntem. Quibus omnibus abdicaui me propter Chriſtum vnico retento ſeruulo (quanquam ne hunc quidem pertraxi, ſed adhærere mihi voluit) & tot bonorum particula ad modicum victum mihi comparandum, quouſque corroborato vſu vitæ monaſticę hunc quoque abiicere valuero. Erubuit his auditis Ægyptius, nec dubitauit longè acceptioré eſſe Deo parcum illum Romani victum, in quem à culmine tot lautitiarum deſcenderat, quàm qualemcúmque ſuam vitæ auſteritatem. Sed pergamus. Solidi cibi qui in os venient, non prius in

Romanus in reprahenſorem.

Lib. 5. de vita & verbis Seniorum.

Quanta nobilitatis quondam.

in stomachum transmittantur, quàm sufficienter attriti sint dentibus & præparati. Mirum quàm hoc prosit ad facilem digestionem. Sunt qui statam non habent, nec habere volunt edendi tempora; sed tunc solùm accumbunt, cùm sibi videntur esurire. Vndè nunc in die semel tantùm, nunc pluries comedunt: Nunc hora decima antè, nunc prima vel secunda post meridiem, non sine ingenti coquorum famulorumque molestia. Sed longè præstat statis vti, cùm multò sit naturæ conducibilius ordinariè quam tumultuariè confuséque viuere. A ferculis admodum variis abstineto, quia calori operosissimum est, tam dissimilium qualitatum permixtos cibos ad vniformem chylum reducere. Qui succi sunt tenuioris adurũtur, dum lentè digeruntur crassiores; aut si antè adustionem ad intestina transeunt, hos secum deducunt indigestos. Sic docet Hippocrates alternationes contrarias in corpore, vt quando nunc calet, nunc friget, indicium esse morbi diuturni, eò quòd natura nequeat tot diuersitatum causas inter se componere. Colores quoque varij confusi ingratum nescio quem plerumque referunt, & multi cantantes promiscuè chorum reddunt insuauem. Ante esum ne biberis (nisi fortè post meridiem in summo æstu, vel in via arescentibus faucibus) non enim propter potum datus est cibus, vt supra dicebamus; sed contrà propter cibum potus, vt digeri commodè cibus possit; Hinc nominari antè potum solet, vt

A ferculis variis abstinendum, & cur.

Hippoc. l. 4. Aphor. 40.

Col. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu.* Nec tamen sufficit cibo potum postponere; sed ita vt alteri alter permisceatur; hoc est, post aliquantulam esitationem modicè bibatur, rursus comedatur, posteà bibatur, & sic deinceps. Aliàs in homine, quidquid sit de brutis, multus ingestus & non ita dilutus in massam abit, quæ ægrè digeritur, & putrescit, gignitque halitum fœtidissimum, eò quòd illam non tam subingreditur potus, quàm sub finem liberaliter haustus circumalluit. Fit rursus, vt eadem massa ad nutritionem minus sit idonea, vtpotè sicca quoad partes interiores & centricas; hominis autem alimentum humidius esse debeat, quàm cæterorum animalium, quandoquidem iuxta Aristotelem sect. 10. Probl. 55. natura calidissimus est.

Potus & cibus quomodo capiendi.

Venio ad alterum comedendi modum, qui scilicet mores respicit. Postulat autem primò cibos benedici, quia ritum hunc Christus exemplo suo nos docuit, quando in deserto non antè pauit turbam quinque panibus & duobus piscibus, quàm eleuatis in cœlum oculis eos benedixit, Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Nec refert, quòd S. Ioannes cap. 6. non ita scribat, eum scilicet benedixisse; sed gratias egisse, καὶ εὐχαριστήσας, id est, & cùm gratias egisset; quandoquidem reliqui tres Euangelistæ benedicendi verbum retinent, ideóque ne quartum putemus illis contrarium, existimandum est, gratias agere apud Ioannem, nequaquam accipi vt vulgò solet; sed pro inuocare Dei

Benedictio ante cibum.

Dei gratiam in panes multiplicãdos, atque ita coincidere cum verbo *benedicere* panes, vt multiplicentur. Tunc certè nondum erant multiplicati, non ergo gratiæ tunc Deo agi potuerunt, quòd eos multiplicasset. Deindè non dicit Ioannes benedixisse Deo: sed panibus; gratiæ ergo quarum Ioannes meminit, non ad Deum referendæ sunt; sed ad panes, id est, illas Deo non egit, sed petiuit, vt Deus gratia erga panes sua vteretur illos multiplicando, suamque illis benedictionem impertiendo. Non etiam obstat, quòd multiplicari similiter non debeant cibi quos sumimus: Est quippè multiplex apud Deum rei alicuius benedictio, multò magis quàm apud Isaac, cui dicebat Esau: *Num vnam tantum benedictionem habes, pater?* Rogamus vt non benedicat nos solùm; sed etiam dona quæ de eius largitate sumpturi sumus, id est, faciat, vt nobis prosint ad salutem corporis, quandoquidem illi nihil tale possunt, nisi concurrente simul Deo tanquam causa vniuersali; sicut nec sol illuminare, ignis comburere, terra fructus procreare. Adde, quòd Diabolus interdum cibo potuque (vtrumque inficiendo, vel sese immiscendo) obesse mortalibus conatur, cui quidem malo atque periculo diuinæ occurrunt preces. Apud S. Gregorium ideò puella quædam spiritum hunc malignum deglutisse dicitur, quòd prætermisit Lactucam benedicere. *Ego quid feci?* responsio est Diaboli ad Exorcistam, *sedebam super lactucam, venit illa; & deglutiuit me.*

Panes multiplicati à Christo quomodò.

Gen. 27.

Benedictio panis ad quid.

S. Greg. l. 1. Dial. c. 4.

Has preces vocat Apostolus, 1. Tim. 4. *Verbum Dei & orationem*, per quam sanctificatur creatura. Prandium porrò cœnamque perfectam sequatur actio gratiarum; cuius exemplum dedit Christus, quando post cœnam hymno dicto exiit in montem oliuarum, Mat. 26. & sine qua ille procuidubio ingratus esse conuincitur, qui nulla gratæ voluntatis testificatione diuinis fruitur beneficiis. Bestiarum est vtramque prætermittere. Caue in cibum te nimis effundas, hoc est, nimis auidè voraciterque comedas, ne cum Platone macula te afficias, cui cùm occurrisset Diogenes ficus edens, & diceret, *licere participem fieri*, comedere cœpit Plato, sed iusto auidiùs. Tum Diogenes: *Participem esse dixi, non deuorare. In cibis & aliis rebus prætereuntibus*, ait S. Augustinus, *non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est*. Quemadmodùm sancti Patriarchæ cum multis & speciosis vxoribus fuere castiores, quàm plerique hodiè cum vnica eaque deformi; quia non libidinandi gratia illis copulabantur; sed filios duntaxat procreandi, non promiscuè quouis tempore, sed quando non gestabant vterum, idque seruato vbique decoro, moderatione, ac temperantia: Sic sæpè contingit, viros Principes cum multis ac delicatis cibis & vestibus temperatiores esse atque modestiores; quàm sint mediocris & abiectæ conditionis plurimi vescentes vilibus, vt notat idem sanctus Doctor super epist. Ioannis, dicens: *Deliciæ qualibet si absque desiderio percipiantur*,

Gratiarum actio post cibum.

S. Aug. l. 3. de doct. chr. c.

Patriarchæ quàm casti.

tur, non officiunt, & viles cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ. Dauid enim aquam malè concupitam effudit, & Helias carnes comedit. Vt idcircò de cibis idem dicendum videatur, quod de vasis scriptum reliquit Seneca: *Magnus ille est, qui fictilibus sic vtitur, quemadmodum argento; nec ille minor, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus.* Quod item de vestibus fuscis, vilibus, sordidisque dici solet, sub iis plus interdum vanitatis latere & gloriæ, quàm diuites habeant in holosericis ac byssinis. Vndè Antistheni ostentanti pertusum pallium, quo amiciebatur, ait Socrates; *per fissuram pallij tui video vanitatem tuam.* At multi obuersantur cibi delicatissimi, obiectum autem mouet potentiam. Mouet quidem, sed rationis est, probæque voluntatis eam compescere, ne in escas irruat, ne propositis nimis inhiet, etiam cum fames vrget; sed nouerit cum Apostolo *abundare & penuriam pati*; id est, vtrobique rectè ac temperanter se gerere, siue vberè suppetant esculenta, siue non; non es deuorare, vix mediocriter subacta dentibus actutùm demittere in stomachum ægrè illa concocturum. Caue rursus delectatione gustus sic absorberi more pecudum, & cura ventrem saginandi, vt nihil menti supersit libertatis, ad ea quæ dicentur, aut legentur percipienda. Dum reficitur corpus, sua etiam animæ refectio præbeatur, sermonibus introductis, si non merè piis & spiritualibus, quod optandum magis est, quàm sperandum; saltem

Sen. epist. 5.

Antisthenes notatus.

Phil. 4.

Sermones in mensa qui.

Sozom. l 7. c. 23.

indifferentibus ad bonum finem. Idem de canticis iudicium, si fortè aliqua postulat mos patrius, aut dignitas conuiuarum; sicut olim ad mensam Theodosij Imperatoris, ad quam fuisse cantari solitum ex historia liquet Flauiani Episcopi Alexandrini; qui sciens illum Antiochenis vehementer iratum, ipsum adiit stipatus elegantissimis aliquot pueris, quos accuratissimè docuerat cantionem lamentabilem. Certior factus Imperator de aduentu tanti Antistitis, mox inuitauit ad prandium: consensit Flauianus, & postquam inter prandendum vidit hilarescentem, aperire cœpit suscepti causas itineris, simulque pro Antiochenis humillimè est veniam deprecatus. Respondit ille tetrica fronte, de huius spe veniæ ne cogitandum quidem, ratam manere in Antiochenos sententiam. Hoc saltem da mihi, Imperator, inquit Flauianus, vt obiter cantorum tuorum loco his adolescentulis meis te patienter audiente liceat aliquid modulari; quo annuente, illi in cantum lugubrem, artéque summa præparatum tam flebiliter simúlque modestè eruperunt, vt lachrymas tenere vix posset Imperator, totus sit immutatus, & accepta patera Episcopo dixerit: *Ecce Antiochenis propino in signum beneuolentiæ, pacis & gratiæ.* De priscis illis Philosophis memoriæ proditum est, quòd in symposiis suis nunquam non tractarent vtilia, & de rebus sermocinarentur ad sapientiam pertinentibus, quantò magis tractare decet Christianos, & ab omni

Theodosius qua arte delinitus pepercit Antiochenis.

stultilo

stultiloquio cœnas suas vindicare, qui audiri se sciunt à Deo & Angelis, rationemque reddituros de verbo quouis ocioso; nec ignorant, effundere sæpè Deum iram suam in eos, qui nullo metu coerciti, inter genialia conuiuia, linguam suam non moderantur, nec dicunt lasciuienti; *lingua quò vadis?* sed laxant habenas in blasphemias, detractiones, obscœnitates, & nugas id genus alias? Descendit hæc ira in Baltasarem illum Nabuchodonozoris filiũ, Dan. 5. & in Vgolinum Pisanum bonis omnibus affluentem. Is in die natalis sui exhibuit necessariis suis insigne conuiuium, in quo dum egregiè luxuriatur, hostes suos dicteriis lancinat, atque vt semel dicam, nihil sobriè loquitur; Marcum quemdam simul interrogat, *An aliquid deesse censes ad perfectam fœlicitatem?* Respondit ille, vereri se ne desideraretur diuina gratia atque protectio. Vix loqui desiit, cum Gibelini hostes Vgolini capitales impetu facto irruunt, domũ circumdant, ex domesticis trucidant aliquos, ipsum cum vxore & liberis in turrim coniiciunt, claues in Arnum profluentem mergunt, eundẽque ibi cum suis miseranda fame enecant. Nunquam itaque Dei metũ deponat vir prudens inter cyphos & fercula; nihil faciat, loquatur aut libenter audiat, quo repentinũ Dei furorẽ in se, sociósque attessat, sæpè recogitet quod scriptum est: *tenent tympanũ, & cytharã, gaudent ad sonitũ organi. ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descẽdũt.* Et rursus: *Edebãt & bibebãt, vxores ducebãt*

Paul. Æmil. l. 8. de gest. Franc.

Vgolini miserum factum.

Iob. 21.

Luc 17. *& dabantur ad nuptias, vsque in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus: Loth: edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: Qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit.*

§. 3. Ex Gulæ remediis vnum mihi videtur cæteris anteponendum, seria damnorum consideratio tam corporalium quàm spiritualium, quæ à fœdo isto vitio velut à fonte suo deriuantur. Haud dubiè sanitati mire incommodat propter humorum copiam, quibus grauantur viscera, & à temperamento suo naturali coguntur discedere. Quanquam hanc humorum perniciosam farraginem non gignat sola ipsa ciborum abundantia, sed etiam ociositas, & cibi potusque qualitas. Nam cibus si caro sit, valdè nutrit, & multa gignit superflua, si copiosè ingeratur; quod fit quando valdè appetitur. Hinc dicendi ansam arripuit Plut. lib. de tuenda valetudine, *optimum fore, ita consuefacere corpus, vt non multũ carnium esum desideret.* Vina item, quò fortiora, eò plus conferunt ad eiusmodi superfluitates. Secundò gula vsque eò vitam contrahit, vt verè dici possit quod notat Franciscus Patr. li. 5. de Repub. c. 8. plures perire crapula, quàm gladio. Vires similiter mirũ diminuit quã proindè sicut delicias cæteras fugerunt constanter ac contempserunt fortissimiquique Romani, velut inimicam roboris, animique militaris.

A gula quot damna.

Veterum Romanorum frugalitas.

contem

contentus honesto
Fabricius paruo, spernebat munera Regum, Claudia. in Ruff. l.1.
Sudabatque graui Consul Serranus aratro:
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis.

Laborat præterea helluonis caput continuis penè defluxionibus, muco sputóque scatet fœdissimo, sternutationibus infestatur, & singultibus ob nimiam repletionem, si Hippocrati credimus, lib. 6. Aphor. 13. Conatur enim natura seipsam succutiendo & expultricem incitando potentiam, quod superfluum est excernere. Quod ad vocem & locutionem, obest ei plurimùm; eò quòd humoribus grauata lingua ad motum sit inhabilis, vt tradit Aristot. sect. 11. Pobl. 21. nec minus somno & quieti nocturnæ ob difficile caloris naturalis cōflictum cum magna illa ciborum congerie, quos ne tota quidem posse nocte concoqui, testes sunt matutinæ cruditates. Quod ad rem familiarem, ea citò exhauritur non sine infamia & ludibrio. Acutè Seneca: *Necessariis rebus exilia sufficiunt superuacaneis ne regna.* Ecquid iam prodest Lucullo expendisse in cœnam vnā ex improuiso instructam pro Pompeio & Cicerone quinquaginta aureorum millia; & Cleopatræ in liquorem resoluisse vnionem vnum, cuius pretium erat centum millium? Dicebat quidam comessatori vicino suo, qui se semper aiebat indigere: *Conquereris, quòd tibi bona & pecunia non suppetant; at indicabo tibi*

Defluxiones.

Vox impedita.

Cruditates.
Senec. lib. de consol. ad Albinum c. 11.

Luculli luxus.
Cleopatra.

præsentem amicum, à quo mutuò accipias. Accipe à te superflua tibi subtrahendo, & citò videbis quàm verum sit quod dici solet, Magnum vectigal est parcimonia.

Sed & animi functionibus per gulam nocetur valdè, primò quia inhabile, morbidum, infirmum eius reddit organum, id est corpus. Secundò quia libidinosis; hoc est, turpissimis cogitationibus, votis, atque operibus incentiua præbet fortissima. Quemadmodum sine Cerere & Baccho friget Venus, ita luxuriam facit *Saturitas panis*. Ezech. 16. Tertiò, quia vnà cum corpore mentem deprimit, nec sinit in superiora assurgere. Quocirca Christus volés nos intentos meditationi mortis, futurique iudicij ait: *Attendite ne fortè grauentur corpora vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa.* Quartò, quia magnam inducit infamiam, eò quod ignominiosam parit seruitutem, obnoxium ventri facit hominem & cupiditatibus eius, nec liberum sinit esse in operationibus animi seriisque negotiis. Quintò, quia de bonitate ciborum rectam non sinit proferri sententiam, sed cariores, rarioresque hoc ipso credit meliores; vt apud Martialem perdix inelegantior, licet eiusdem saporis, parasyto minus placet, quàm altera: quia emptam audit viliori pretio:

Animi dãna ab ebrietate.

Luc. 21.

Mart. l. 13. Epigr. 71.

Rustica sum perdix, quid refert si sapor idem est:
Carior est perdix, sic sapit illa magis.

Et Iuuenalis Sat. 11.

Magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.

Sextò

Sextò ac postremò, quia multiplices post se culpas trahit; vt si lædat grauiter corporis sanitatem, si obstet ne gastrimargus facere aliquid possit, ad quod sub mortali tenetur, si vt cupiditati suæ satisfaciat, indicta ab Ecclesia ieiunia obseruare prætermittat, bona prodigat sustentationi suorum necessaria; si comessando exstimulari se valdè sentiat ad libidinem, pergat tamen; si coniuncta sit gula cum scandalo, vt quando interdictæ ab Ecclesia carnes extra necessitatis casum & dispensationis comeduntur; si non ieiunus accedat Sacerdos ad operandum sacris, vel ad communionem Laicus qui periculosè non ægrotat, &c. *Culpæ multæ.*

§.4. Obseruandum denique, quòd quemadmodum iuxta doctrinam Aristotelis Sect. 31. Probl. 20. non solus color albus oculis officit, sed etiam contrarius: Ita prudenti viro non modo excessum circa esculenta & poculenta vitandum esse, verum etiam defectum nimiū, quia oportet nos non nisi rationabile obsequium offerre Deo, Rom. 12. rationabile autem non est, quo à medio receditur; siue per excessum, siue per defectum: neque enim refert ad quod extremum propendeas, si medium; hoc est, virtutis iter non teneas. Te nemo non laudabit, si quo vitam tueare, in ciborum vsu fugias quidquid est nimium. Nam & Leones, Lupi, & alia quædam animalia cibi se moderatu curant. Viciſsim nemo non vituperabit, si à necessario vitæ alimento abstineas. Ita sanè est à cibis abstinendum, vt constan *Brutorum moderatio.* Plut. lib de industria an.

constanter ieiunare possimus, quando ieiunare præcipimur, & alia obire a d quæ tenemur, & non incurramus in grauem aliquam infirmitatem. Qui autem nimia se inedia conficit, postea nequit defectu virium obseruare præscripta ieiunia, nec astringentia alia professionis suæ præstare munera (ieiunantis alia est ratio , eò quòd per ieiunium communi modo assumptum, non ita extenuat sui vires corporis, respectu negotiosi operis ad quod tenetur; quin illud facere simpliciter, esto non ,tam commodè & facilè possit; vel si extenuat, non astringitur lege ieiunij) & prætereà facilè adit morbum incurabilem. *Noui ego*, ait S. Hieronymus, *in vtroque sexu per nimiam abstinentiam cerebri sanitatem quibusdam esse vexatam, ita vt nescirent quid agerent.* Enimuerò , quia in hoc extremo paucissimi sunt, nihil est quod vltra dicamus.

S.Hier.in epist.ad Demetriadem.

De cautela & circumspectione circa Sobrietatem.

CAPVT III.

§.1. *Quid sit Sobrietas.*
2. *Quousque bibendum, & quid agendum cum importunis conuiuis ad haustus aquales prouocantibus.*
3. *De ebrietatis remediis & incommodis.*
4. *Quos potissimum Sobrietas deceat.*

§. 1.

QVEMADMODVM abstinentiæ, proprium est, inclinare nos ad nsectandam in cibo mediocritatem; ita Socatis munus, inducere ad obseruandum dium in vsu potus, quod recta ratio spe- s circumstantiis præscribit, quicumque demùm sit potus; sed maximè si inebriandi vim habeat naturalem. Tali quippè præter modum assumpto non solùm à statu suo recedit homo & de rationis cõpote impos efficitur; sed etiã magis magisque incalescit, & quò maiorem habet eius consuetudinem, curatur difficilius, ardore intrinseco exstimulatur ad bibendum; & difficillimè tenet, quod dixi, medium: eamque ob rem virtutis huius fræno quàm maximè indiget. Adde quòd ebrietatis vitium atque deformitas latere non possit, sed in oculos incurrat omnium. Singulariter autem enitendum videatur ea curare, quæ omnibus conspicua sunt. *Si tibi nontum, facile fortè fuerit, vniuersa si quæ sunt animi extergere vitia,* inquit Plutarchus, *illa certè tibi tollenda minuendáve, sunt, quæ apparent maximè, primóque conspectu occurrunt.* *Sobrietatis munus.* Plut. in Polit.

§. 2. Quæ differuimus præcedendi capite §. 2. de medio in materia abstinentiæ discernendo plùs minùs ab extremis; de medio déque excessu in materia Sobrietatis, æquè possunt intelligi; sunt siquidem virtutes hæ duæ valde inter se colligatæ, vt proindè quod de vnius extremis dicitur, accommodari facilè alterius extremis possit. Quia autem fit non infrequenter, vt qui sibi relicti plus æquo non

bibe

biberent, importunis expugnati compotatorum precibus, vel minis id faciant; & tunc satis se tutos, atque apud Deum credant excusatos; cùm tamen non sint, eò quòd nec metu, nec amici causa fas est diuinæ legis rationisque naturalis fines transilire, aut homines magis quàm Deum revereri; tres hîc modos proferam importunas illas preces eludendi. Primus sit, voto te obstringere (si speras & valdè probabiliter credis te ei satisfacturũ) ad tres vel quatuor duntaxat communes cyphos, tam in prandio quàm in cœna; tempore verò medio quod videlicet prandium cœnamque interiacet, ad vnum vel summum duos exhauriendos. Hoc armatus clypeo importunis sociis subridens, constanterque dicito: Ignoscite charissimi; religione prohibeor facere quod flagitatis, obligaui me voto contrario, & nostis quod scriptum est: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Et, *Melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Absit, vt illudã Domino, seria res est, non mihi expedit præuaricari. Adiuro proindè pietatem vestram, ne vrgendo authores mihi sitis præuaricandi, hoc siquidem neque è re vestra est, neque mea. Dicetis forsitan: in nos solos cadat omnis si quæ sit, maledictio. Sed nescio vnde vobis potestas sit in vos transferendi culpam meam, aut debitam ei pœnam sustinendi, cùm disertè pronunciet Iudex æternus: *Vnusquisque onus suum portabit*: &, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quòd si non idcircò desiste

Remedia in consuetudinem potandi.

I. Votum.

Psal.75.

Eccles.5.

Gal.6.

Ezech.18.

desisterent, sed graue potius damnum intentarent, nisi delibares saltem aut ampliore te vino prolueres; delibabis, si mihi credas, eò quòd modica degustatio non attenditur; alia ex parte potest furorem illum mitigare. Quod ad vini vsum amplioris distinguendum est. Vel amplius illud quod offertur, non est tibi nociturum, atque ita non includit culpam; vel est. Si est, non tibi licet quod vrgent, facere; non quia vouisti te non facturum; quia tunc votum cum tanto detrimento non obligat, quantum imminet ex hypothesi, nisi feceris; sed quia parere eis nō potes; nisi leges infringendo temperantiæ, & mortaliter peccando aut venialiter. Mortaliter quidem, si excessus vini grauis sit ratione habita tuæ complexionis; venialis, si leuis. Si non est, in tua est potestate abnuere quod petunt, vel concedere: abnuere; quia non teneris voti tui legi renuntiare propter damna, quæ interminantur; quæque si patienter tuleris, in album martyrum reponeris; concedere verò, quia cessat in eo casu voti obligatio. Illustro rem exemplo priuati hominis; quem constat non teneri vi præcepti tuēdi vitam suam occidere iniquum inuasorem, quę si occiderit, cùm possit, videt moriturū in peccato mortali: & tamē potest occidere: Vicissim nō tenetur vi non occidēdi proximum, sinere se ab illo occidi, & tamen potest sinere, ne ille damnetur, vt ex communi doctrina tradit Tolet. l. 5. Inst. c. 6. Secundus sit, inuitatores ante admonere de constituto tibi

Excessus vini qualo peccatum.

II. Numerus certus poculorum.

tibi certo mediocrium poculorum numero, quem vt prætergrediaris, si promittere velint non instituros, sis ire paratus, aliàs non. Quod si ipse domi conuiuium instruis, nunquam audebunt vim tibi propria in domo afferre; satisque intelligent, tuum non esse grauari potu, sed ad prospiciendum omnibus epuli partibus, mente vti posse libera, potiusque illos ad bibendum incitare; quod facies semper modestissimè, ne aliàs domus tua domus vocetur ebrietatis, & fœdiora exhibeas conuiuia, Ethnicorum illorum conuiuiis, *in quibus non erat qui nolentes ad bibendum cogeret; sed sicut Rex statuerat, sumeret vnusquisque quod vellet.* Cauebis esse in stultorum quorundam sententia, qui honori suo detractum putant, quoties à se hospites dimittunt sobrios, cum ex aduerso valdè sit dedecorosum si dimittant alios. Quo errore tam confundi conuenit Christianum, quàm gloriaretur Epicurus. Et quia diu sedendo nimis plerumque bibitur, aduigilabis, ne tardè nimis prioribus ferculis succedant posteriora; sed amotis illis hæc inferri præcipies. Tertius sit, obsecrare, ne te vltrà ad bibendum exstimulent, si amici sunt, & te iterum ad se venire cupiunt; aliàs posthac non venturum, simulque palàm facere, nimia cõpotatio quàm fœda sit, tibique perniciosa. Dignam item laude non esse amicitiam, quæ frustrà lædi flagitat tantum bonum quantum est sanitas; ex nihilo minus quàm ex profusa noxiaque ingurgitatione pendere Principis, vel

Hesther. 1.

III. Abnuere obsecrationibus.

vel alterius nominati viri valetudinem, per quã adiuraris. Habere te rectiores, & præsentiores modos, quibus palàm facias, quàm propensa sis erga eum voluntate, quantum ames illum & colas. Eum quoque esse, qui nullo modo velit te tuique similes nimio potu ægrotare, ingesta per os egerere, vel turpe aliud committere. Et sanè vt obiter hoc interseram, laudarem non parum Principem, qui abusum eiusmodi sibi displicere, eliminandum esse, pias potiùs preces offerendas Deo pro Regiæ maiestatis incolumitate; vel superflua tot pocula danda pauperibus, subditis suis decreto publico significaret. Tandem si nequis ab importunis te extricare, nisi exhausto poculo cui te sentis imparem; effunde totum vel partem, si potes in angulum, vel per fenestram illis non aduertentibus: tolerabilius multò est vini, quàm vsus rationis, quàm honesti, quàm bonæ conscientiæ, valetudinis & famæ iacturã pati: Sicut & Coti Regi melius visum, vasa illa preciosa & figulina quæ domi habebat, confringere, quàm iis à seruo quopiam suo violatis modestiam excãdescendo perdere. Minãtur aliquando actum iri de amicitia mutua, nisi totum ebiberis: talem contemne si sapis necessitudinem ab vno eóque fragili pendentem poculo, & quæ conseruari honesto illæso non potest. *Non sit tibi amicus*, ait S. Augustinus, *qui te Deo vult facere inimicum, quia & tuus & suus est inimicus. Si & te & alium inebriaueris, habebis hominem amicum; sed*

Vinũ quando effundendum.

S. August. serm. 131.

Deum inimicum. Et ideò sapienter considera, si iustum sit, vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis. Quo loco non possum non laudare morem Gallicum, suum quisque cyphum retinet, propinando indè bibit quantum vult, nec transmittit ad alium; quo pacto tria vitantur incommoda, quæ deriuari ex eiusmodi transmissione possunt. Primùm, nullum subest periculum contagij, quod esset, si fortè quis occulta aliqua correptus lue cæteris in eodem vase propinaret; nullum item horroris, quem facilè ingenerant fœda oris aut totius vultus vitia, quæ interdum insunt ei, qui proprium vicinis poculum tradit. Alterum, præciditur longa illa mora innecti solita per eiusmodi transmissionem, dum quilibet exonerare se studet in aliquem, nec inurbanus vult videri, quasi retinens sibi arma Bacchica; sic enim homines de terra loquuntur. Tertium, excluditur ebrietas, dum pro abitrio tantùm quisque bibit, & non cogitur.

Gallorum mos laudãdus.

Et inde quot cõmoda.

§. 3. Esto, difficilè curationem admittat ebrietas, de qua S. Basilius: *Huius mali finis est nullus. Ipsum namque merum inexplebilem continuò sitim addit, nec necessarium quærit vsum, sed ad alium irrefragabiliter potum inuitat, cùm ardentes ebrios semper bibendi cupidos reddit.* Admittit tamen aliquam, & sanari potest. Primò constanter remittendo singulis hebdomadis; vel mensibus aliquid de assueti cibi potusue quantitate. Ita venietur tandem ad medio

S. Basil. in Homil. in Ebrietaté.

Ebrietas quomodo vincenda.

mediocritatem, & corpus non lædetur, eò quòd sensim & quasi imperceptibiliter fiet victus diminutio. Consilij huius authorem habeo S. Augustinum, cuius verba hic apponam: *Qui se de hoc malo desiderat liberare, quo modo sibi interuallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras peruenit; ita paulatim subtrahendo ad Sobrietatis lucem redeat. Qui si simul totum quod accipiebat, subtraxerit; vbi nimia siti cœperit exardescere, cum grandi amaritudine clamet, ac dicat; malle se mori, quàm sibi bibendi & inebriandi consuetudinem tollere. Et ideò vt nec ardorem nimium patiatur, & de tam graui morbo liberetur, per interualla dierum aliquid de nimietate potus sibi subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat.* Secundò, si iusta rationis lance apud te expendas ebrietatis incommoda, quibus non perfunctoriè consideratis velut insignibus malis, suggerit voluntati ratio virium esse abominabile, fugáque dignissimum. Quæ suprà recensuimus ex gula promanare solita, æquè ac etiam magis ab ebrietate proficiscuntur, ideóque transferri huc possunt. Sed prætereà hoc habet ebrietas: manifestius in Scriptura peccatum mortale ex suo genere esse docetur, & excludere à regno cœlorum; 1. Cor. 5. hominem prætereà magis transfert à statu proprio in pecuinum rationis expertem. Et quoniam à statu proprio transfertur ebrius, non autem pecora; hoc nomine deterior est pecoribus;

S. August. serm. 231.

Ab illa quot damna.

Sicut etiam isto alio, quòd metas excedat necessitatis ac sufficientiæ. *Quantò his melior est asinus*, ait S. Chrysostomus homil. 71. ad popul. *quantò melior canis, & quodlibet brutum? hoc enim siue opus sit comedere, siue bibere, necessitatis terminos ponit, nec vltrà quàm opus est, progreditur, licet cibi sint infiniti.* Sed non sit deterior, satis magna imò nimis magna infœlicitas atque ignominia, quòd potu illo nimio brutis comparetur; quòd eadem ipsi accidant, quæ curribus auriga excusso solent. Siquidem currus rectore destitutus nullo ordine rapitur, vt scribit Isocrates, animus quoque ratione orbatus in multos incidit errores. Quòd rursus tunc fit ad raciocinandum ineptissimus, quòd nihil validè possit circa res Sacras operari, non Sacramentum conferre aut conficere, non offerre sacrificium, non aliquem iurisdictionis suæ actum exercere, non inire contractus aliquos propter rationis defectum liberique arbitrij, quale tunc temporis ligatur, vt sic loquar, nec in sufficientem consensum potest erumpere, non domesticam pacem colere aut fraternam beneuolentiam; sed querelis ac rixis replere aëra, & multa loqui pœnitenda, multa conuicia vomere, multis modis ineptire. *Cùm quis biberit*, ait Plato l. 1. de legib. *primò alacrior fit, quàm prius erat; deinde quo plus biberit, eò maiore & meliore spe atque insuper potentia pro sua opinione repletur. Tandem quasi sapiens ea homo confidentia, libertate, audaciaque constat, vt intrepidè & faciat & dicat quidquid*

Isocra. ad Dæmon.

Ebrij descriptio & status.

quidquid placet. Propter hoc, & alia Lacedæmoniis inuisa semper fuit ebrietas, nullo magis ab ea Iuuentuté suam reuocantibus, quàm oculis eius obiiciendo ebriorum gestus, moresque ridiculos. Et Gentilium Poetarum vnus eandem ad tuendam pacem omninò de ciuitatibus exterminandam censuerit.

Natis in vsum lætitiæ scyphis
Pugnare Tracum est, tollite barbarum
Morem, verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis. Horat. l. 1. Carm. ode 27.

Quanta mala ab ea. Extra numerum sunt mortales, quibus vitam eripuit. Periere alij impingentes in lapidem, aut præcipitium. Alij extinguentes calorem naturalem potu nimio, vt bibones illi quadraginta, qui coram Alexandro in certamen descenderunt, quisnam esset bibendo superior. Alij ab amicis propriis, sed ebriis interfecti sunt, vti Clytus ab eodem Alexandro. Quo casu non est, quòd homicidij reatu, pœnáque liberum se credat homicida eo prætextu, quod quid tunc ageret, ignoraret. Verè quippè omnium eiusmodi malorum sequentium fit reus, si ea verisimiliter præuidere potuit, aut experimento didicit ex ebrietate sequutura: ita siquidem euadunt voluntaria, sicut ipsa ebrietas, in qua virtute continentur, vt post Aristotelem l. 1. magnor. moral. c. 31. docet S. Thom. 1. 2. q. 20. a. 5. & q. 73. art. 8. Tenetur similiter ad reparationem damnorum omniũ, quæ ex culpabili temulentia proficiscuntur. De infamia quid dicam? plerisque sanè in lo-

cis à ferendo teſtimonio non ebrij ſolum excluduntur; ſed ebrioſi, hoc eſt, ij, qui actu quidem ebrij non ſunt, & rationis vſu deſtituti; inebriari tamen conſueuerunt: quòd indigni iudicentur, quorum affirmationibus quis fidem habeat. Abominabiles quoque habentur propter fœdiſſimum illum indigeſti vini vomitum; qui ſicut cenſura vitióque careret, ſi à morbo illo naturali procederet, quem Græci ἀκράτειαν vocant; ita excuſatione caret quotieſcumque eſt ab intemperantia. Quod ad Prouincias turpitudini huic deditas, contemnuntur non parum à cæteris eam ob cauſam inter alias, quòd in dies euadant minus bellicoſæ, ſiquidem:

Abominatio.

Et Venus eneruat vires & copia Bacchi.

Virgil.

Ad vigilias item inidoneæ, vndè Virgilius ſomnum vino coniunxit, dicens:

Inuadunt vrbem ſomno, vinóque ſepultam.

l.2. Æneid.

Sobrius contra dicitur à Græcis νηφάλεως; id eſt, vigilans, quòd ſobrij proprium ſit vigilare, & iis attendere quæ tractat vel loquitur. Ad ſecreta item militaria nihilo aptiores. *Nullum enim ſecretum, vbi regnat ebrietas.* Præcipua hominis facultas eſt Intellectus ſeparans nos à pecoribus, vt te docebit verſus ille pſalmographi: *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, ex quo ſequitur, præcipuum inter humana decus noſtrum in rationis vſu conſiſtere, atque ita in eius deſtitutione ex culpa profecta infamiam præcipuam. Quid denique vilius

Sobrius νηφάλεως.

Prou.31.

Pſal. 31.

idolis

idolis gentium, ex quibus vnũ Exod.32. vocat Moyses, Ignominiam sordis? Iis autẽ ebrij similes sunt. Oculos habent, & non vident propter suffusionem, quæ arcet species visibiles, vel facit, vt vnũ duplex appareat. Aures habent, & non audiunt, somno sepulti profundissimo. Nares habent, & non odorantur, eò quòd præter naturalem cerebri constitutioné, quæ sensus huius perfectioni valdè officit(vndè odoratum habemus hebetissimum animaliũ omnium ex Aristotele l. de sensu & sens.c.4.)accedit ab ebrietate humor copiosus & frigidus, retundés valdè atque hebetans olfactiuam potentiam. Quæ etiã causa vna est, cur ieiunè pascantur canes venatici, ne alimenti copia hanc in eis obtundat facultatem. Manus habent, & non palpant, aut palpare non sentiunt. Pedes habent & non ambulant, sed cespitant, irruuntque in parietes quasi arietantes. Antea validi domum deportantur, nó valentes sese erigere. Anteà formidabiles, ab insultãtibus pueris deridẽtur, & vellicãtur. *Ebriosus priuatur vsu sensuum.*

Nondum incommodorũ finis. Vino dediti non nisi ebriosos, & infirmo cerebro filios in ebrietate generãt, si quos generant. Vndè quærit Plutarchus: Quidnã illud est, vt qui se mulieribus generandæ gratia sobolis admonent, omninò sobrij aut vino modestissimè delibato cõgressum faciant? Respondet autẽ id fieri, vt prolé suscipiant, nec à natura pronam ad ebrietatẽ, nec ad epilepsiam, vel amẽtiam.: *Quibus enim ex initio vt à genitoribus* *Plut.lib. de educ.puer.*

per ebrietatem seminarentur, accidit, ij vini auidi ac temulenti esse solent. Ea propter cum Empedocles quendam ex temulentia alienata mentis adolescentulum desipere cerneret: Adolescentule, inquit, ebrius te seminauit pater. Dixi, si quos generant, quia ebriosorum semen infœcundum esse vt plurimùm solet ob rationem quam profert Aristoles, quòd habitus corporis eorum præhumidus sit: Semen autem non quid humidum, sed quod constat crassumque est, vim habet procreandi. Iidem patent morbis quamplurimis, quorum idem meminit problemate sequenti, vt aquæ intercutis. Diu denique viuere nō consueuerunt, quia vt ibidē legimus, homo deficit cum naturalis eius calor extinguitur; extinguitur autem cùm humor lenis quo alitur, à superueniente efficaciore vini calore consumitur.

Ebriosi vt plurimum infœcundi. Arist. Sect. 3. probl. 4.

Diu non solent viuere.

Subiiciamus & tertium ebrietatis remediū, temperetur ac diluatur aqua vinum, atque, vt ita dicam, maceretur; quia obstabit maceratio, ne rationis vis intereat, auctáque pedetentim stomachum gustúmque assuefaciet aquæ qualitatibus, faciléque ab vtroque impetrabis, ne vinum vltrà multum desideret. Duas alias causas addit Plutarchus; vnam, quia vinum vi sua valdè perturbat corpus, & replet humoribus, nisi hæc vis eius refringatur. Alteram, quod expediat aquæ assuescere, vt si quando necessitas inciderit, non offendatur stomachus insolentia & nouitate, neque renuat ac recuset; hæc autem consuetudo

Vinū aqua temperandum.

tudo dilutione illa contrahitur.

§. 4. Cæterùm, non omnium æquè interest Sobrietatem colere; sed præcipuè Clericorum, Principum ac Magistratuum, literatorum hominum, adolescentum & mulierum. Clericorum quidem, ne infirmis offendiculo sint; & ad sacra inhabiles; & à Deo percutiantur, vt Nadab & Abiu. Quapropter illos antè omnes seuerè admonet his verbis S. Augustinus: *Quia quod peius est, aliqui etiam Clerici qui hoc deberent prohibere, cogunt alios bibere plusquàm expedit, amodò incipiant, & seipsos corrigere, & alios castigare, vt cùm antè tribunal Christi venerint, nec de sua, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium.* Principum ac Magistratuum, eò quòd tales oportet esse omnium horarum homines, & paratos quouis tempore ad tractandas, quibus præsunt, res grauissimas, ad salutaria consilia ineunda, ad responsa danda, iúsque administrandum, quod nisi ægrè præstarent vino dediti, nequaquam scripsisset Salomon experientia doctus. *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum:* supple *copiosum.* Eos prætereà decet grauitas, modestia, animique moderatio & secretorum tenax custodia; vini autem vsus liberalior in ebrietatem desinit, *ebrietas,* vt notat S. Basilius, *impudentiæ est mater, risu gaudet, insania, ad omnem dedecoris speciem facilis est & proclivis:* vt non meritò picam loquaculam Baccho sacram esse voluerint. *Nullum* item *secretum, vbi regnat ebrietas,* quæ fortè causa est, cur Bac-

Sobrietatē quinā maximè colere debeant.

S. August. serm. 231.

Principes & Magistratus homines omnium horarum.

S. Basilius hom. 14, de Ebriet.

Prou. 31.

chus Lyæus appelletur, à verbo Græco λύω, id est *soluo*, quòd arcana soluat & aperiat: vndè qui ea student expiscari, conantur profuso potu in ebrietatem eos inducere, à quibus secreti tenacibus scire appetunt quod nesciunt. Vident satis incommoda ista Principes; quidam tamen vt audio, illa cupientes effugere simulque non carere voluptate cópotatoria, comparant sibi magno pretio verum amethystum auertendæ causa ebrietatis (qui quia occurrit, hoc nomẽ sortitus est ab α priuatiua litera, & μεθὴ, id est, ebrietate) sed heu! decipiuntur, quia non ideò à peccato liberantur; non quòd priuentur ratione; sed quòd nimis bibant, vini vsum ad finem prauum referant, lædant valetudinem: & pro vili delectatiuncula diuinæ gratiæ iacturam faciant, longè grauiorem ea, quam passus est Lysimachus; quando inter Scythas constrictus siti se se pariter ac exercitum dedit hostibus, ac deindè epota aqua, exclamauit; *Dÿ boni quàm breuis voluptatis causa magnam deposui fœlicitatem.* Literatos quoque singulariter decet esse sobrios, si diuinis scripturis credimus, quarũ sentẽtia est: *Quàm sufficiens est erudito viro vinũ exiguum.* Affine est quod scribit Petrus Blesensis epist. 7. Iuuenem quendam perstringens studiis quidem deditum, sed simul compotationibus: *Tu qui disciplinata militia & libris quondam omnia post habebas; nunc sicut audio, Codices ad calices transtulisti; scribere in bibere conuertisti, & quod anxiè doleo, nunc prædicaris*

Amethystus auertit hebrietatem, & vnde sic dictus.

Ecclesi. 31.

ris egregius potator, qui fueras prius nominatissimus disputator. Decet senes ob imbecillitatẽ caloris naturalis, quem vt suprà vidimus, & docet Hippocrates lib. 1. Aphor. 14. citò extinguit cibus, potúsque immodicus. Decet Adolescentes contraria de causa; quia si plus æquo bibant, calorem iam satis intensum amplificant, aquæ potius temperamento valdè indigentem. De tribus narrat Athenæus l. 2. c. 2. quòd vino calefacti vsque eo dementiæ processerint, vt in taberna degentes in triremi se nauigare, & mare turbatum crederent & velut in naufragandi periculo supellectilem domesticam per fenestram eiicerent. Decet denique mulieres, ob conditionem muliebris cerebri, iam satis per se debilis. Vndè Romæ institutum, vt cognati obuias mulieres oscularentur, quòd mulieribus esset vini vsu interdictum, & idcircò ne libenter laterent; sed domesticorum congressu redarguerentur, osculandi consuetudo inducta est. Plut in problem.

Ebrij tres natantes in cubiculo visi.

Osculandi consuetudo vnde introducta.

Castitatis studiosus quid agere debeat, quid fugere.

CAPVT IV.

§. 1. *Castitas quid sit & quotuplex; qua carnis copula dicatur illicita*

2. *Quàm*

2. *Quàm honesta, nobilis, amabilis sit castitas.*
3. *Luxuria autem quàm fœda, perniciosa, detestabilis.*
4. *Præscripta, seu remedia communia contra luxuriam.*
5. *De cautela circa cogitationes venereas.*
6. *Circa turpiloquia*
7. *Circa aspectū, lectionémque impudicorum Authorum.* } *præscripta Prudentiæ.*
8. *Circa auditum.*
9. *Circa tactum.*
10. *Circa vsum coniugij.*
11. *Modus recuperandi amissam castitatem.*
12. *Quibusnam potissimum cura esse debeat.*

§. 1. CASTITATIS nomen ad continentiam extendo hoc loco & pudicitiam, tametsi nonnulla sit inter hæc tria differentia; quòd castus ab illicito omni coitu abstineat, idque facilè & quasi parta iam victoria subactóque libidinis impetu: Continens abstineat quidem, sed cum difficultate non modica. Pudicus non tam coitum ipsum respiciat, & à se excludat, quàm eius appendices; cuiusmodi sunt aspectus, oscula, tactus, libidinosa colloquia, &c. His siquidem actibus tanquam manifestioribus valdè verecundantur, & pudefiunt homines, qui nondum frontem perfricuerunt. *Pudet igitur homines,* inquit Aristoteles, *non dictarum solummodò rerum; sed etam signorum, vt non solum rem veneream agentes; verumetiam venerea signa; nec solum*

Castus quis. *Continens.* *Pudicus.* Arist. l. 2. Rhet. c. 6.

lum turpiter facientes, sed dicentes quoque. Sed iam quæritur, quisnam coitus seu carnalis copula dicenda sit illicita? Vtique illa omnis quæ non est coniugalis, seu viri cum vxore sua legitima. Non quòd congressus omnis viri & vxoris licitus sit, vt dicam §.10. sed quòd nullus non coniugalis licitus sit. Ille namque solus est, qui inuenitur concessus & non prohibitus. Nulli autem non coniugales inueniuntur à Deo instituti, vel concessi & approbati; sed omnes prohibiti: fornicatio quidem simplex, quæ definitur congressus carnalis viri & fœminæ omninò solutorum, quia Christus Matth. 15. fornicationes recenset inter ea quæ coinquinant hominem: Apostolus autem 1. Cor. 6. inter ea quæ excludunt à regno cœlorum, & Gen. 38. Thamar propter fornicationem vocatur ad necem. Ne quis autem his locis fornicationem suspicetur sumi pro adulterio, ab eo distinguit illam tam Christus, quàm Apostolus, & copula Thamar cum Iuda nullo modo fuit adulterium, quia illius vir, huius autem vxor obierat. Adde quòd Deus bono prolis consulens meritò interdicere debuit, reipsaque interdixit congressum illum omnem, quo ei pessimè consulitur; talis autem est fornicarius; nam pater, vt experientia docet, prolem suam ex fornicatione susceptam communiter abnegat, ne infametur propter illam aut grauetur; si non abnegat, aut agnoscere cogitur, educat illam negligentissimè; mater autem siue conscio & authore illo, siue non; nihilo

Copula qua- nā illicita.

nihilo rariùs exponit miseram, vel enecat. Atqui sexto Præcepto Decalogi, *Nō mœchaberis*: non tantùm prohibetur adulterium, imò omnis prætereà concubitus non coniugatis; sed Scripturæ satis fuit exprimere illum in specie, qui simul frequentissimus est & perniciosissimus. Nam similiter in præceptis aliis quamplurima intelliguntur prohibita, præter ea, quæ disertè nominantur, v. g. in secundo periuria & blasphemia: In tertio violatio festorum à Sabbatho differentium: In quarto contemptus Ecclesiæ & Magistratuum. In quinto mutilationes & rixæ: In septimo rapinæ, sacrilegia, contractus illiciti: In octauo calumniæ, detractiones, mendacia simplicia. Accedit, quòd in aliis Scripturæ locis eiusmodi concubitus leguntur interdicti, vt iam patuit in fornicatione, & docebunt quæ sequuntur in cæteris; hoc est in adulterio, incestu, sacrilegio, sodomia, & bestialitate.

In præceptis plurima contineri præter expressa.

De adulterio dubitare non finit præceptum illud sextum Decalogi, nec sententia tam Christi, quàm Apostoli locis citatis, nec ratio manifesta. Nam iniquus est concubitus, meritóque damnatur, in quo disponit quis de re aliena contra possidentis voluntatem, & multum proli nocetur, & perpetrat id homo, quod sibi fieri nullo modo sustineret; coniux autem adulter non habet sui potestatem corporis, vt scribit Apostolus 1. Cor. 7. sed alius cui in contractu dedit illud; & tamen contra huius voluntatem eo mœchando vtitur.

tur. Item si ex adulterio prolem suscipiat, vel ea scietur esse adulterina, vel non. Si primum, miserrima vt plurimùm erit eius conditio propter confusionem, ignominiam, improperium, exclusionem ab honoribus, abiectionem & educationem prauam; (hinc tot mortes puerorum Turcicorum, qui sanè quamplurimi sunt ob polygamiam; adeò vt scribat Boterus l. 4. de Polit. c. 2. vni Imperatoris filio natos fuisse intra biennium 50. & tamen nó est Turcia regionibus nostris populosior: quia magna pars filiorum eiusmodi adulterorum negligitur, & in prima ætate moritur.) vel etiam ob plagam mortis, qua sæpè Deus percutit illam in delicti pœnam, iuxta illud: *Filius qui natus est tibi, morte morietur.* Si secundum, dissimulans adulterium mater, quæ illum peperit, aget cum illo perindè ac cum aliis legitimis, & ob id reputatus à falso patre legitimus, eadem proportione scribetur bonorum hæres, qua illi alij, non sine magno illorum dispendio. Incestus, seu coitus cum consanguineis; vel affinibus in gradu prohibito, nefarius est, vt constat; quia si non esset nefarius, non esset gradus ille iure prohibitus, quod est contra hypothesim. Solùm itaque explicandum, qui & quot sint gradus prohibiti, quo item iure prohibeantur. Dico esse quatuor, quorum primus inter parentes ac filios, inter fratres & sorores, satis perspicuè reiicitur in diuinis literis, à numero legitimorum ad contrahen

Proles quæ abundans apud Turcas.

2. Reg. 12.

Incestus nefarius & quid.

Gradus prohibiti quot.

trahendum, vndè miratur Apostolus 1. Cor. 5. quòd quidam nouerca sua pro vxore vteretur, & Marci 6. ait Herodi Ioannes; *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, & Gen. 19. dixit Iacob ad Ruben: *Ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*. Et Leuit. 18. *Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius*. Reliqui tres ideò quoque vetantur, & virum ac vxorem inhabiles reddunt ad contrahendum; quia si sunt affines & consanguinei intra eiusmodi gradus, quadantenus habentur parentum loco, quæ causa est, cur singulariter punire se dicat Deus parentes in tertiam & quartam generationem, velut peculiariter ad eos pertinentem. Sicut ergo postulat reuerentia naturalis; ne vel proles parentibus, vel parentes prolibus copulentur; ne sic illas vel superiores habeant vel æquales: ita requirit ne coeatur cum eiusmodi consanguineis & affinibus. Et quia hoc requirit honestas, atque reuerentia, iure etiam humano interdici gradus eiusmodi potuerunt, cùm Ecclesiasticæ potestati, quæ tractat res sacras, & totũ quoddam est, non minùs licere debuit irritos facere subditorum suorum, seu membrorum contractus sacros; cuiusmodi est coniugalis cum honestate pugnantes, quàm ciuili fas est irritare donationes pupillorum; & eiusmodi alia pacta ciuilia, quæ grauia post se trahunt incommoda. Sacrilegium, ideò nefarius est coitus, quia violatio est coniugij spiritualis, quod intercedit inter Christum & personã sacram; quæ

Sacrilegium cur nefarius coitus.

quæ ei ſeſe addixerat per votum perpetuæ caſtitatis, cuius violationi coniunctam eſſe damnationem teſtantur verba Apoſtoli: *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5. Sodomia interdicitur, quia actus eſt venereus per ſe repugnans & obſtans generationi humanæ (quæ interim finis eſt eiuſmodi actus) ſiue vir cum viro copuletur, ſiue fœmina; ſiue vir cum fœmina, ſed præpoſterè, ſeu in vaſe indebito. *Sodomia interdicta cur.* Quas omnes abominationes complexus eſt Apoſtolus Rom. 1. dicens: *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Immanior adhuc, ac deteſtabilior eſt beſtialitas, de qua Leuit. 18. & talis morte punitur ibid. & cap. 20. *Beſtialitas quàm deteſtanda.*

Pergamus porrò, Caſtitatem triplicis generis penè omnes meritóque faciunt, coniugalem, vidualem, virginalem. *Caſtitas triplicis generis.* Hæc tertia nobiliſſima eſt omnium, propter longè grauiora cum carne certamina, vt idcircò ad illam propriè ſpectet acroama illud nobile: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* *Virginalis quantæ dignitatis.* Sap. 4. Et infrà: *In perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Meritóque ab eodem Apoſtolo antefertur coniugio, 1. Cor. 7. Et adepta virginitatis nomen à virore, propter immunitatem perfectam ab aduſtione concupiſcentiæ, vt notat S. Th. 2. 2. q. 152.

 art. 1,

art. 1. Secundum perfectionis gradum tenet vidualis; tertium ac postremum coniugalis. Nam coniugibus certamen duntaxat est aduersus carnis voluptates non coniugales: Viduis aduersus non coniugales, & coniugales futuras. Nam quod ad coniugales præteritas, quorundam santentia est, non peccare viduas delectationem ex iis capientes reductis ad memoriam (modò non exponantur periculo pollutionis, aut oblectandi se de actu quasi præsenti aut præsentem appetendi) tametsi valdè sint admonendæ, vt à tali delectatione abstineant. Contraria autem sententia, quam vt veriorem, tutioremque defendit meritò Vasquez 1,2. disp. 114. ait quidem detestationem veneream de præterito actu coniugali apprehenso peccatum esse in viduis; non tamen illam quæ venerea non est, seu non respicit oblectationem carnis, sed obiectum honestum: verbi gratia, redditionem debiti factam per talem actum, susceptionem prolis, remedium contra fornicationem, &c. Virginibus verò luctandum est, cum actu, desiderio, consensu, delectationum omnium Venerearum etiam coniugalium. De perfectis virginibus præcicipuè loquor votum habentibus perpetuæ castitatis Christi gratia nuncupatum.

Virginum luctamina.

§. 2. Castitatis laudes hucusque delibauimus, ad ampliorem eius commendationem addamus quod sequitur; quia hoc quoque ad prudentiam spectat, vt virtutum dignitatem, ac pulchritudinem oculis sæpè nostris objiciamus.

mus. In bellis carnalibus depugnasse fortiter, non cessisse grauissimis hostibus, vniuersos eorum conatus fecisse irritos, heroicum repu-tabant veteres, & singulari præmio dignum, quod καλλιστεῖον seu ἀριστεῖον dicebatur. At resti-tisse incentiuis libidinis adminiculo castitatis, ideò maius adhuc est, quòd certamine in quo aduersus eam decertatur, nullum sit potétius, sed neque periculosius. In eo siquidem succu-buere innumeri viri fortissimi, qui à priori-bus illis victores semper redierunt, vt Dauid, Alexander Magnus, Hercules. Quin etiam fortes aliquot Christi athletæ, contra quos grauissimè expostulat S. Cyprianus lib. de la-psis; quòd victi fuerint à voluptatibus carnis, qui victores gloriosi redierant à tormentis ty-rannorum.

§. 3. Luxuria contrà, tota est vituperabilis, propter grauissima animi corporisque detri-menta, quæ ex illa deriuantur. Animi sunt, ia-ctura diuinæ gratiæ, tristitia, metus, seruitus, infamia, pudor, inquietudo siue insatiabilitas, cœcitas; denique impietas. Corporis verò, ho-micidia, morbi incurabiles, afflictiones viriū, amissiones regnorum; & peculiaris apud in-feros cruciatus. De singulis aliquid in trans-cursu differamus. Diuina gratia destituit ho-minem, quia vt agnouere ipsimet Ethnici, *ca-sta placent superis*; & cum placeant, consequens est, vt turpia contrà, fœdáque displiceant: & ita sanè est; vndè legimus à Deo dictum: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum,*

Animi detrimenta à luxuria. Corporis item.

quia caro est. Ingratissima sunt Deo, quæ gratissima sunt Diabolo. Hic autem libidine supra modum gaudet, non propter se; quia spiritus cùm sit, incapax est voluptatis corporeæ, vt docet S. Th. 1. p. q. 63. art. 2. sed quia delectatur Dei offensa, & actu illo, quo mortales Deus auersatur & excludit à regno suo, à quo denique solent iidem ægerrimè sese extricare. Has ob causas totus est in vrgenda luxuria, & corpus sibi fabricat, quocum vel incumbendo, vel succumbendo, satisfacere possit sceleratis eorum cupiditatibus. 2. Vehementem inducit scrupulum, ac tristitiam in eos, qui, vt scriptura loquitur, nondum inueterati sunt dierum malorum, nec venerunt in profundum, vti expertus est S. Augustinus: scribit enim: *Tu autem Domine mihi semper aderas misericorditer sæuiens, & aspergens amarissimis offensionibus omnes illicitas iucunditates meas.* Eodem spectant verba S. Hieronymi l. 2 cont. Iouin. *Expleta voluptate rursum accendimur, quærimusque facere, quod cùm fecerimus, iterum fecisse pœniteat.* Demosthenes Corynthum profectus ad Laidem, mille dracmas postulanti respondit: *Ego tanti pœnitere non emo.* Huius tristitiæ peculiaris est causa in pueris coeuntibus, sed naturalis; cuius meminit Aristoteles sect. 4. probl. 11. quod scilicet per præcocem coitum, magna, insueta, & molesta fiat in illis humorum mutatio, & multùm conentur partes adhuc debiles. Ita fit vt mox non tristentur solùm ob alterationis sensum, sed tristitiæ huius

Diabolus cur gaudeat in hominum luxuria.

S. Aug. in Conf. l. 2. c. 2.

Pueri cur tristes post coitum.

sequentis

sequentis memores, fœminas principio auersentur tanquam fontes, & mali sui principium, ad quas sese applicuerunt. Atque hæc vna causa est, cur non expediat vxores quærere adolescentibus. Metuendi occasionem iustissimam parit diuinæ iustitiæ seueritas, in hanc turpitudinem grauissimè animaduertere solitæ, vt ex diluuio liquet, quod exterminium fuit totius humani generis, si personas octo excipias; & prodigiosa item conflagratione Pentapoleos, &c. Mirum si priuatus non rimet sibi ab ira Dei, quam non pepercisse videt ipsi humano generi similibus sordibus inquinato. *Miror te Antoni*, dicebat Cicero, *quod quorum facta imitaris, exitus non perhorrescis*. Philipp. 2. Dimanantem à libidine seruitutem declarat his verbis Galenus: *Animalia semel libidine incensa abstinere non possunt, titillata quodammodo & impulsa, & stimulata ab eiusmodi affectus impotentia.* Galen. ad Aphorism. 22. lib. 1. Exemplo rem illustrat aptissimo: *Humores dum motu feruntur concitatiore, & de vna parte in alteram fluunt, initio morbi hominem angunt concitantes & titillantes, nec quiescere sinunt: tales ergò vacuare oportet.* Cautè interim interpretemur quod ait, eiusmodi animalia abstinere non posse. Bruta quidem nequeunt, nec homines facilè: possunt tamen absolutè, ope proprij arbitrij, & gratiæ Dei offerentis omnibus sufficientem ad repugnandum carnis tentationibus, non patientem ea vti volentes tentari supra id quod possunt. Hoc de fide est, nec debet in dubium reuocari. Ipsæ meretrices, qua-

S. Vitalius emebat noctes à meretricibus.

rum noctes emebat S. Vitalius, ne fornicarentur, aliàs libidinosissimæ, accepto ab eo pretio se continebant: nemo ergo necessitate adigitur ad libidinem, à qua tam efficaciter auertitur præmij propositione, aut supplicij. Seruitutis huius causa quam protulimus, naturalis est; præter quam illa moralis, quòd quò quis habenas libidini laxat liberiùs, eò minùs Dei auxilium ad resistendum in promptu habeat; magis autem aduersus illum præualeat inimicus, quò magis videt tanto præsidio destitutum, ob idque clamat ad socios Psal. 70. *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Deindè naturale homini est, sibi caueat, de impudente vt fieri impudentissimum, idque sibi volunt verba eiusdem M. Tullij. *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè & nauiter oportet esse impudentem.* Ita vix est aliud quod expectes ab eo, qui se luxuriæ tradiderit, & pudorem contempserit, quo quasi fræno casti retinentur, quàm vt in dies fiat libidinosior, & impurorum frequentatione actuum fiat concupiscentiæ suæ mancipium. Infamia idcircò luxuriam sequitur, quòd luxuria opus sit pecuinum, hominis mentem adeò deprimens, vt nihil aliud possit eo tempore cogitare, & mutuum aspectum erubescere soleant, qui ei dant operam, quærantque sibi latebras. Aristotelis verba hîc reddamus, loquentis de congressu eiusmodi:

Cicero l. 5. Epist. 13.

Libidinosus ad quid tãdem deueniat.

Infamia luxuriam sequitur.

Arist. l. 3. Eth. cap. 10.

Meritò abiectus videri propterea debet, quia eius appetitus nobis inest, non quatenus homines, sed

quatenus sumus animalia. Vndè concludit: *Talibus igitur oblectari, & acquiescere, ferinum est.* Sed, inquis, si ita est, ergo infames & ignominiosi etiam sunt coniugati incumbentes in hanc ipsam voluptatem. Respondeo admitti id posse, si solum sectentur voluptatem more pecudũ; secus si prolis susceptionem, & piam educationem sibi præstituant, quia susceptio ista & educatio bonum est honestum, excusans censum illum accessoriæ voluptatis. Exemplum persimile est in eo, qui delicatis cibis vescitur. Si quod faciunt bruta propter solam gustus oblectationẽ, id faciat; haud dubiè dignus est vituperio; secus si propositam habeat honestam corporis sustentationem in ordine ad bonũ finem; esto dum corpus reficit, oblectatione illa perfruatur. Infamiæ coniũctus est pudor; nam similiter pudere solet libidinosum propter hanc ipsam venerei operis vilitatem (in quo instar pecudum ad solam attẽdit voluptatem, totusque illius sensu absorbetur) & propter membrorum inobedientiam, quorum motibus videt se non imperare pro arbitrio, idque sua culpa; vel si mauis culpa primi parentis, in quo, teste Apostolo, omnes peccauerunt; Sic erubescit vir grauis non valens ad libitum domare, & inflectere equum, quo vehitur; præsertim si errore aliquo suo experiatur intractabilem. Luxuriosorum inquietudinem & instabilitatem insinuat satis prosa illa Boetij. **Coniugati cur non infames.**

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentem,

Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit ac nimium tenaci
Ferit icta corda morsu.

Prou. 30. Depingit eandem graphicè Salomon, dicens: *Tria sunt insaturabilia, infernus, os vulua, & terra, quæ non satiatur aqua.* Expertus scripsit talia. Nam cùm initio vnicam vel paucas haberet vxores, posteà fuerunt ei quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, 3. Reg. 11. Dagobertus item Franciæ Rex, magnus alioqui eleemosynarius, & celeberrimæ EcclesiæS.Dionysij propè Lutetiam fundator, non contentus Nautilda vxore sua, tres habuit quasi Reginas, & ingentem turmam aliarum fœminarum, quocumque iret sequentium.

Bellef. in Dagoberto.

Dagoberti Luxuria.

Psal. 37. Cæcitatis spiritualis, quam parit luxuria, meminit qui gemens dicebat: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Insinuare eandem voluit Deus percutiens corporali cæcitate nefandos habitatores Sodomæ. Et ratio est, quia lumine seu cogitatione tota intellectus occupata circa vehemētissimum actum illum Veneris, siue cùm reipsa exercetur, siue cùm viæ tentantur omnes ad illum perueniendi; nihil relinquitur ad considerandas res alias etiam grauissimas, atque ita quoad istas perindè se habet libidinosus, ac si omnis eum visus, omne lumen deficeret. Restat impietas, de qua Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Nempe quisquis Veneri deditissimus est, summum

summum in ea bonum constituit, tamque est fascinatus, vt ne eo priuetur, paratus sæpè sit quamcumque conditionem admittere etiam execrabilem, vt Deum abnegare, vel cum Salomone idola colere, &c.

Quod ad damna corporis. Nunc tabe conficiuntur vel febricitant impuri amatores, vt Amnon primogenitus Dauid. Nunc districtis gladiis se mutuò adoriuntur, vel ex improuiso conficiunt, vt Æneas & Turnus riuales inter se, proci autem Lauiniæ filiæ Latini Regis & Amatæ, ex quibus Turnum occidit Æneas, vel vt scribunt alij, Æneam Turnus. Nunc morbos contagiosissimos contrahunt, quibus planè depilantur, adeóque fœtent, & toto deformantur corpore, vt seipsos horreant, vixque inueniant, qui vel summo illecti precio velint curandos suscipere. Talibus prætereà dentes omnes vacillant, aut cadunt, manus ad os admouere vix possunt. Quid plura? quodlibet membrum tactum quadam velut paralysi ad munus suum fit inidoneū. Carolus primus Nauarræ Rex in Iuuentute libidinosissimus ita sensim natiuum exhausit calorem, vt annos natus 54. calefieri nullo modo posset. Vndè suasu Medicorum inuolutus panno est aqua benè tincto, quam viuam vocant. Contigit autem, vereor ne in tantæ pœnam intemperātiæ, vt dum famulus qui illum consuerat, ne exhalaret calor, non habens cultrum aut forfices ad secandum filum, vteretur accenso cereo; statim verò aqua vndique flammam concepit

2.Reg.13.
Corporis dāna à Luxuria.

Caroli Nauarræ regis miserum fatum.

cepit, quæ miserum Regem confecit. Adhæc frequenti vsu libidinis affliguntur vires corporis, vt eam ob causam olim lata lege, temperantes esse debuerint, qui certaturi in arenam descendebant, imò etiam depugnando in nullam egregiam formam oculos intendere, vt scribit S. Basil. serm. *ne rebus tempori affixi simus.* Mos quoque fuit excludere ab exercitibus fœminas, qui ob id castra dicti sunt, à castrandi verbo, quod execare, seu virilia amputare significat. Quanquam non desunt boni authores, qui malunt exercitus à castris castra dictos, quia circumdari castrorum seu Arcium more, fossis vallisque consueuerunt. Exitium Troiæ libido attulit, seu raptus Helenæ. Eiectus de regno suo est Dauid à filio suo Absalone post perpetratum adulterium. Et tota penè tribus Beniamin deleta ob violatam Leuitæ coniugem. Num. 25. Romanorum quoque Reges exacti, propter compressam à Tarquinio Lucretiam Collatini vxorem. Et regnum Assyriorum sub Sardanapalo longè salacissimo translatum ad Chaldæos. Non enim poterant sustinere Assyrij hirci huius libidines & ineptias, quem non pudebat inter meretriculas suas pensa ducere. Tantum non rebellauit Ludouicus XI. Galliæ Rex in Carolum VII. parentem suum, videns quòd spreta vxore legitima totus deperiret Agnetem cognomento Pulchram, quæ ancilla fuerat Reginæ Siciliæ, & Domina Pulchritudinis vocabatur; ac post eius obitum pari studio adamare:

Exercitus castra dicti, & cur.

Beilef. in Ludou. 11.

maret D. de Villequier, nec quidquam cuiquã concederet nisi eius arbitrio. Ab illo certè diuortium faciens Ludouicus recepit sese ad Delphinates; vbi per decennium totum se cõtinuit, nec persuaderi vnquam potuit, adactus licet paternis monitis ac precibus ad concubinarium patrem vt reuerteretur, totque eius aduersum Anglos victoriis interesset. Venit tandem ad eum pater cum numeroso exercitu vt nolentem vi abduceret: sed ille factus certior fugit in Belgium ad Ducem Burgundiæ, nec indè antè discessit, quàm patrem audiuit fecisse viuendi finem. Denique sicut peculiari gaudio perfundũtur in cœlo Virgines, de quibus Isa. 56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis*. Et Apocal. 14. *Cantabant canticum nouum ante sedem, & nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit.* (nam per hoc canticum intelligit glossa speciale gaudium, esto de speciali etiam laude possit intelligi.) Ita in inferno specialem cruciatum sustinent libidinosi. Ratio est, quia plus ibi perpetiuntur, qui amplius in hac vita proluerunt se illicitis maioribusque voluptatibus, iuxta diuinum illud decretum: *Quantum in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Apoc. 18. Voluptates autẽ Venereæ non coniugales illicitæ sunt, omniumque fortissimæ quoad sensum; meritò itaque apud inferos

speciali

ſpeciali dolore, atque triſtitia vindicantur.

§. 4. Ad caſtitatis cuſtodiam, libidinis verò expugnationem conferent non parum quæ iã ſubiiciam. Primò, vbique Deum tibi repræſenta exemplo Dauid dicentis: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper:* & vehementer erubeſcere vidente eo turpiter agere, qui coram homine non preſumeres. Magna ſecus erit peruerſitas, de qua S. Chryſoſtomus: *In ſceleribus Deo contempto homines formidamus. Homine præſente nemo ſcortaretur; ſed licet maiorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat, adulterant. Nonne vel hoc ſolùm ſatis eſſet, quo cœlitus innumeris peteremur fulminibus?* Aduerſus eundem exclamat alius:

Pſ. 15.

S. Chryſ. in c. 4. 1. ad Cor.

Cùm quid turpe facis, quod me præſente rubeѕ,
Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes?

Caſtitas à Deo efflagitanda.

Sap. 8.

Secundò, inſtanter à Deo efflagita, iſto vt te eximio dono communiet. Fecit hoc prudentiſſimè Salomon. *Vt ſciui*, inquit, *quod aliter nõ poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* Ab Apoſtolo idem factum hæc eius verba teſtantur, 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis propter quod ter Dominum rogaui.* Et à S. Auguſtino 10. Conf. 29. *Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Quo autem faciliùs impetrare id valeas, patrocinium interpone vnius vel plurium Sanctorum,

ctorum, qui statu simili vitam castissimè traduxerunt, vt beatissimæ Virginis Mariæ, si profiteare virginitatem: B. Annæ Prophetissæ si viduitatem: S. Zachariæ & S. Elizabetæ, si vitam coniugalem. O quàm multa largietur tibi Deus his patronis interpositis, quæ aliàs non largiretur. Quàm gratum ipsis erit, suam in hac parte authoritatem impendere, cùm pronus sit quilibet ad vrgenda, quibus delectatur. Tertiò impuros socios, & quascumque alias libidinandi occasiones & pericula procul deuita, quia *qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est peccabit mortaliter, vel scelus ipsum tandem perpetrando, vel concipiendo affectum eius aut retinendo, quod tacitè fieri videtur, quando à proxima illa peccandi occasione non receditur, cùm tamen recedi possit absque graui vllo incommodo. Nam si non recedere grauis cogat necessitas, non ita facilè affectus hic malus præsumitur, vt docet Suares tom. 4. disp. 32. sect. 2. n. vltimo. & exoratus Deus singulariter adest personæ periclitanti, ne cadat, vt Nebridio; de quo S. Hieronymus: *Mirum dictu, nutritus in palatio, contubernalis Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terræ, & maria seruiunt inter rerum omniũ abundantiam, in primo ætatis flore, tanta verecundia fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret.* Hæc sanè castè viuendi ratio, fugiendo, inquam, aptissima est, probatissima sanctis patribus, miniméque ignominiosa. Ioseph Patriarcha

Patrociniũ expostulandum Sanctorum.

Eccles. 3.

S. Hier. ad Saluinam.

Ioseph vincit fugienda.

cha ad ſtuprum illectus ab hera ſua quacum die quodam verſabatur ſine arbitris, foras ſe proripuit relicta tunica. Antiochus Aſiæ Rex huius nominis tertius, cùm eſſet Epheſi, & ſe amore captum cerneret formoſiſſimæ fœminæ, qua potiri ſine ingenti dedecore non poterat, indè diſceſſit, ne aliàs tandem quod nefas erat, perpetraret. At meticuloſi animi videtur fugere. Ita quidem, quando non eſt fugiendum, prudentiſſimi verò, quando ſecus. *Temperans voluptates fugit. Item prudens quod dolore vacat, perſequitur, non quod iucundum eſt.* S. Ioan. Baptiſta, quo nullus maior inter natos mulierum, in deſertum ſeceſſit & fugit, vbi ad virilem ætatem vſque carnem ſubigeret. Nemo ridet, nemo puſillanimitatis accuſat fugientem infecta peſte loca. Ecce autem pluſquàm peſtis hîc. Qui peſte corripitur, nullum prius habuit luis huius principium, cùm ſaniſſimo eſſet corpore; ideóque potuit, quodammodò, nec multum timere ſibi à contagio, nec fugere: Quiuis autem mortalium circumfert ſecum diſpoſitionem maximam ad incontinétiam. Obiecta verò adeò efficacia ſolent eſſe, vt rarò non perimant. Nemo item riſerit proripientem ſe ocyſſimè extra ædes, quas videt ſentitque conflagrare. Quid autem aliud eſt contubernium ſalacium hominum, quàm libidine incenſum ardenſque domicilium? Ne in bellis quidem ciuilibus turpe ſemper eſt fugere; ſed ſalutare, & laude dignum; quando hoſtes potentiſſimi ſunt & verſutiſſimi. Vndè Antigonus

Laſciuia fugiendo vincenda.

Ariſt. l. 7. Eth. c. 11.

tigonus secundus, cùm aliquando cederet hostibus imminentibus, aiebat se non fugere, sed vtilitatem à tergo sitam persequi. Nullos porrò esse voluptatibus fortiores demonstrat dictum illud S. Cypriani: *Nulla est maior victoria quàm quæ à voluptatibus refertur*, & apud T. Liuium his verbis Scipio: *Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum à circumfusis vndique voluptatibus.* Denique sicut morbi quidam curantur ingestione ciborum, alij verò subtractione & euacuatione; ita vicia quædam inuadendo vincuntur, vt acedia; alia fugam arripiendo, vt luxuria. Cæterùm cùm castitatis amatori vitandi sunt omnes, quorum conuersatione inflammari potest ad res venereas, tum præcipuè fœminis viri, & viris fœminæ; quandoquidem hi duo sexus sunt, quorum commixtione Venus peragitur: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Hinc Neporianum grauiter monet S. Hieronymus: *Hospitiolum tuum raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior.* Affine est quod scribit S. Basilius: *Oportet mulierum conuersationes fugere, nisi aliqua ineuitabilis necessitas ad congressum cogat; quæ si etiam contingat, velut ab igne cauere conuenit, ita vt celeres discessus faciamus.* Nempè, si etiam: *Eunuchi desiderium est deuirginare puellam,*

S.Cypr.l.de Disciplina.
T.Liu.l.10. Dec.3.
Cõuersationes fugiẽdæ & quorum.
Prou.6.
S.Basil.in Const.c.3.

vt ait Eccleſ. cap.20. quantò facilius tibi corpore integro obrepet ex cõuerſatione & colloquiocũ fœminis, libidinãdi cõcupiſcẽtia? Et tibi vt nõ obrepat, facile tamẽ illã fœmina ipſa concipiet, quæ vt ſcribit idem S. Baſilius ibidem, *debili ratione prædita, & affectum facilè repentem habens, ſæpè patitur aliquid ex eo, qui incautè congreſſum facit.* Et quia cauſari poſſet aliquis; *de rebus piis loquimur, bono item fine, ideóque nihil valdè metuendum*; docet, hîc quoque non deeſſe periculum; ſed Angelum Satanæ transfigurare ſe frequenter in Angelũ lucis, & amorem Spiritualem non rarò degenerare in carnalem. *Stimulata ſpirituali dilectione mulierculа, ſæpè ad pietatis exercitatorem accedens, per oculos impleri incipit, & laſciuo aſpectu proximi ſpeciem depaſcitur, & internam virginem impuris cogitationibus corrumpit.* Quod dico de vitanda à viris, crebra, occulta, ſuſpecta conuerſatione fœminarum; ad coniugatos quoque pertinet reſpectu earum, quarum viri non ſunt. Quartum ex communibus luxuriæ remediis ſit, abſtinentiam ſobrietatemque colere; ac ſi valdè prurit caro, ad ieiunium corporale confugere, quo ſanè velut infuſa frigida, certò ſubſidit feruor impetuſque libidinis. Contra verò, vbi locum habet ſaturitas & abundantia panis, regnat luxuria, & quidem interdum deteſtabilis, vt Sodomorum, Ezech. 16. Idem de profuſo vini vſu iudicium: vndè Bacchum ſcribunt Poetæ armigerum eſſe Veneris: & ſcribit S. Hieron.

Abſtinentia ſobrietaſque colenda.

Dixiſſe

Dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum in vino luxuria sit. Vbicumque satietas, atque ebrietas fuerit, ibi libido dominatur. In cap. 1. ep. ad Tim.

En tibi sextum, labor & occupatio seria circa res aut per se bonas aut indifferentes, quam tanti fecit vnus de gentiliciis scriptoribus vt diceret; *Labor & occupatio.*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Cedet amor rebus: res age, tutus eris.
Quaritur Ægistus quare sit factus adulter, Ouid. de redem. Am.
In promptu causa est, desidiosus erat.

Narrat idem S. Hieronymus in epistola ad Rusticum, monachum quendam otio deditum cœpisse pulsari grauissimis luxuriæ aculeis: quod vbi resciuit Abbas, submisit quosdam qui eum apud se reum agerent diuersorum criminum, otiumque eius conuerterent in negotiosissimā curam, ac necessitatem probandi se innocentem. Quam probationem cùm toto currente anno admitti non cerneret, indéque vehementer angeretur, ab Abbate obiter interrogatus, vtrum solitos adhuc carnis impetus sustineret? exclamans respondit: *Papæ viuere non licet, & licebit fornicari?* Auis quę ociosa ramo insidet facilè traiicitur, secus quando volat. Sic otiosum facilè configit Diabolus carnalium tentationum iaculis; non sic negotiosum, eò quòd in alia intendens animum, nequit simul aures dare impuris illis suggestionibus; ita cogitur immundus ille spiritus confusus infectisque rebus discedere. Hinc salubre illud eiusdem sancti Patris consilium. *Ali-* Ibid. *Rusticus qua arte reuocatus à Luxuria.*

Qq *quid*

Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit ac nimium tenaci
Ferit icta corda morsu.

Depingit eandem graphicè Salomon, dicens: *Tria sunt insaturabilia, infernus, os vulua, & terra, qua non satiatur aqua.* Expertus scripsit talia. Nam cùm initio vnicam vel paucas haberet vxores, posteà fuerunt ei quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, 3. Reg. 11. Dagobertus item Franciæ Rex, magnus alioqui eleemosynarius, & celeberrimæ Ecclesiæ S. Dionysij propè Lutetiam fundator, non contentus Nautilda vxore sua, tres habuit quasi Reginas, & ingentem turmam aliarum fœminarum, quocumque iret sequentium. Cæcitatis spiritualis, quam parit luxuria, meminit qui gemens dicebat: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Insinuare eandem voluit Deus percutiens corporali cæcitate nefandos habitatores Sodomæ. Et ratio est, quia lumine seu cogitatione tota intellectus occupata circa vehementissimum actum illum Veneris, siue cùm reipsa exercetur, siue cùm viæ tentantur omnes ad illum perueniendi; nihil relinquitur ad considerandas res alias etiam grauissimas, atque ita quoad istas perindè se habet libidinosus, ac si omnis eum visus, omne lumen deficeret. Restat impietas, de qua Ecclesi. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Nempe quisquis Veneri deditissimus est, summum

Prou. 30.
Bellef. in Dagoberto.
Dagoberti Luxuria.
Psal. 37.

summum in ea bonum constituit, tamque est fascinatus, vt ne eo priuetur, paratus sæpè sit quamcumque conditionem admittere etiam execrabilem, vt Deum abnegare, vel cum Salomone idola colere, &c.

Quod ad damna corporis. Nunc tabe conficiuntur vel febricitant impuri amatores, vt Amnon primogenitus Dauid. Nunc districtis gladiis se mutuò adoriuntur, vel ex improuiso conficiunt, vt Æneas & Turnus riuales inter se, proci autem Lauiniæ filiæ Latini Regis & Amatæ, ex quibus Turnum occidit Æneas, vel vt scribunt alij, Æneam Turnus. Nunc morbos contagiosissimos contrahunt, quibus planè depilantur, adeóque fœtent, & toto deformantur corpore, vt seipsos horreant, vixque inueniant, qui vel summo illecti precio velint curandos suscipere. Talibus prætereà dentes omnes vacillant, aut cadunt, manus ad os admouere vix possunt. Quid plura? quodlibet membrum tactum quadam velut paralysi ad munus suum fit inidoneū. Carolus primus Nauarræ Rex in Iuuentute libidinosissimus ita sensim natiuum exhausit calorem, vt annos natus 54. calefieri nullo modo posset. Vndè suasu Medicorum inuolutus panno est aqua benè tincto, quam viuam vocant. Contigit autem, vereor ne in tantæ pœnam intemperātiæ, vt dum famulus qui illum consuerat, ne exhalaret calor, non habens cultrum aut forfices ad secandum filum, vteretur accenso cereo; statim verò aqua vndique flammam con-

2. Reg. 13. *Corporis dāna à Luxuria.*

Caroli Nauarræ regis miserum fatum.

cepit, quæ miserum Regem confecit. Adhæc frequenti vſu libidinis affliguntur vires corporis, vt eam ob cauſam olim lata lege, temperantes eſſe debuerint, qui certaturi in arenam deſcendebant, imò etiam depugnando in nullam egregiam formam oculos intendere, vt ſcribit S. Baſil. ſerm. *ne rebus tempori affixi ſimus*. Mos quoque fuit excludere ab exercitibus fœminas, qui ob id caſtra dicti ſunt, à caſtrandi verbo, quod execare, ſeu virilia amputare ſignificat. Quanquam non deſunt boni authores, qui malunt exercitus à caſtris caſtra dictos, quia circundari caſtrorum ſeu Arcium more, foſſis valliſque conſueuerunt. Exitium Troiæ libido attulit, ſeu raptus Helenæ. Eiectus de regno ſuo eſt Dauid à filio ſuo Abſalone poſt perpetratum adulterium. Et tota penè tribus Beniamin deleta ob violatam Leuitæ coniugem. Num. 25. Romanorum quoque Reges exacti, propter compreſſam à Tarquinio Lucretiam Collatini vxorem. Et regnum Aſſyriorum ſub Sardanapalo longè ſalaciſſimo tranſlatum ad Chaldæos. Non enim poterant ſuſtinere Aſſyrij hirci huius libidines & ineptias, quem non pudebat inter meretriculas ſuas penſa ducere. Tantum non rebellauit Ludouicus XI. Galliæ Rex in Carolum VII. parentem ſuum, videns quòd ſpreta vxore legitima totus deperiret Agnetem cognomento Pulchram, quæ ancilla fuerat Reginæ Siciliæ, & Domina Pulchritudinis vocabatur; ac poſt eius obitum pari ſtudio adamare

Exercitus caſtra dicti, & cur.

Bellef. in Ludou. 11.

maret D. de Villequier, nec quidquam cuiquã concederet nisi eius arbitrio. Ab illo certè diuortium faciens Ludouicus recepit sese ad Delphinates; vbi per decennium totum se cõtinuit, nec persuaderi vnquam potuit, adactus licet paternis monitis ac precibus ad concubinarium patrem vt reuerteretur, totque eius aduersum Anglos victoriis interesset. Venit tandem ad eum pater cum numeroso exercitu vt nolentem vi abduceret: sed ille factus certior fugit in Belgium ad Ducem Burgundiæ, nec indè antè discessit, quàm patrem audiuit fecisse viuendi finem. Denique sicut peculiari gaudio perfundũtur in cœlo Virgines, de quibus Isa.56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis*. Et Apocal.14. *Cantabant canticum nouum ante sedem, & nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit.* (nam per hoc canticum intelligit glossa speciale gaudium, esto de speciali etiam laude possit intelligi.) Ita in inferno specialem cruciatum sustinent libidinosi. Ratio est, quia plus ibi perpetiuntur, qui amplius in hac vita proluerunt se illicitis maioribusque voluptatibus, iuxta diuinum illud decretum: *Quantum in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Apoc.18. Voluptates autẽ Venereæ non coniugales illicitæ sunt, omniumque fortissimæ quoad sensum; meritò itaque apud inferos speciali

ſpeciali dolore, atque triſtitia vindicantur.

§. 4. Ad caſtitatis cuſtodiam, libidinis verò expugnationem conferent non parum quæ iā ſubiiciam. Primò, vbique Deum tibi repræ-
Pſ. 15. ſenta exemplo Dauid dicentis: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper:* & vehementer erubeſcere vidente eo turpiter agere, qui coram homine non præſumeres. Magna ſecus erit
S. Chryſ. in c. 4. 1. ad Cor. peruerſitas, de qua S. Chryſoſtomus: *In ſceleribus Deo contempto homines formidamus. Homine præſente nemo ſcortaretur; ſed licet maiorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia pudore hominum vinceretur. Cùm autem Deus videat, adulterant. Nonne vel hoc ſolùm ſatis eſſet, quo cœlitus innumeris peteremur fulminibus?* Aduerſus eundem exclamat alius:

Cùm quid turpe facis, quod me præſente ruberes,
Cur ſpectante Deo non magis ipſe rubes?

Caſtitas à Deo efflagitanda. Secundò, inſtanter à Deo efflagita, iſto vt te eximio dono communiat. Fecit hoc pruden-
Sap. 8. tiſſimè Salomon. *Vt ſciui*, inquit, *quod aliter nō poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum; adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* Ab Apoſtolo idem factum hæc eius verba teſtantur, 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis propter quod ter Dominum rogaui.* Et à S. Auguſtino 10. Conf. 29. *Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Quo autem faciliùs impetrare id valeas, patrocinium interpone vnius vel plurium Sanctorum,

ctorum, qui statu simili vitam castissimè traduxerunt, vt beatissimæ Virginis Mariæ, si profiteare virginitatem: B. Annæ Prophetissæ si viduitatem: S. Zachariæ & S. Elizabetæ, si vitam coniugalem. O quàm multa largietur tibi Deus his patronis interpositis, quæ aliàs non largiretur. Quàm gratum ipsis erit, suam in hac parte authoritatem impendere, cùm pronus sit quilibet ad vrgenda, quibus delectatur. Tertiò impuros socios, & quascumque alias libidinandi occasiones & pericula procul deuita, quia *qui amat periculum, peribit in illo*, hoc est peccabit mortaliter, vel scelus ipsum tandem perpetrando, vel concipiendo affectum eius aut retinendo, quod tacitè fieri videtur, quando à proxima illa peccandi occasione non receditur, cùm tamen recedi possit absque graui vllo incommodo. Nam si non recedere grauis cogat necessitas, non ita facilè affectus hic malus præsumitur, vt docet Suares tom. 4. disp. 32. sect. 2. n. vltimo. & exoratus Deus singulariter adest personæ periclitanti, ne cadat, vt Nebridio; de quo S. Hieronymus: *Mirum dictu, nutritus in palatio, contubernalis Augustorum, quorum mensa ministrat orbis, & terra, & maria seruiunt inter rerum omniũ abundantiam, in primo ætatis flore, tanta verecundia fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret.* Hæc sanè castè viuendi ratio, fungiendo, inquam, aptissima est, probatissima sanctis patribus, miniméque ignominiosa. Ioseph Patriar-cha

Patrociniũ expostulandum Sanctorum.

Eccles. 3.

S. Hier. ad Saluinam.

Iosephvincit fugienda.

cha ad stuprum illectus ab hera sua quacum die quodam versabatur sine arbitris, foras se proripuit relicta tunica. Antiochus Asiæ Rex huius nominis tertius, cùm esset Ephesi, & se amore captum cerneret formosissimæ fœminæ, qua potiri sine ingenti dedecore non poterat, indè discessit, ne aliàs tandem quod nefas erat, perpetraret. At meticulosi animi videtur fugere. Ita quidem, quando non est fugiendum, prudentissimi verò, quando secus. *Temperans voluptates fugit. Item prudens quod dolore vacat, persequitur, non quod iucundum est.* S. Ioan. Baptista, quo nullus maior inter natos mulierum, in desertum secessit & fugit, vbi ad virilem ætatem vsque carnem subigeret. Nemo ridet, nemo pusillanimitatis accusat fugientem infecta peste loca. Ecce autem plusquàm pestis hîc. Qui peste corripitur, nullum prius habuit luis huius principium, cùm sanissimo esset corpore; ideóque potuit, quodammodò, nec multum timere sibi à contagio, nec fugere: Quiuis autem mortalium circumfert secum dispositionem maximam ad incontinétiam. Obiecta verò adeò efficacia solent esse, vt rarò non perimant. Nemo item riserit proripientem se ocyssimè extra ædes, quas videt sentitque conflagrare. Quid autem aliud est contubernium salacium hominum, quàm libidine incensum ardensque domicilium? Ne in bellis quidem ciuilibus turpe semper est fugere; sed salutare, & laude dignum; quando hostes potentissimi sunt & versutissimi. Vndè Antigonus

Lasciuia fugiendo vincenda.

Arist. l. 7. Eth. c. 11.

tigonus secundus, cùm aliquando cederet hostibus imminentibus, aiebat se non fugere, sed vtilitatem à tergo sitam persequi. Nullos porrò esse voluptatibus fortiores demonstrat dictum illud S. Cypriani: *Nulla est maior victoria quàm quæ à voluptatibus refertur*, & aput T. Liuium his verbis Scipio: *Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculi, quantum à circumfusis vndique voluptatibus*. Denique sicut morbi quidam curantur ingestione ciborum, alij verò subtractione & euacuatione; ita vicia quædam inuadendo vincuntur, vt acedia; alia fugam arripiendo, vt luxuria. Cæterùm cùm castitatis amatori vitandi sunt omnes, quorum conuersatione inflammari potest ad res venereas, tum præcipuè fœminis viri, & viris fœminæ; quandoquidem hi duo sexus sunt, quorum commixtione Venus peragitur: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Hinc Nepotianum grauiter monet S. Hieronymus: *Hospitiolum tuum rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior.* Affine est quod scribit S. Basilius: *Oportet mulierum conuersationes fugere, nisi aliqua ineuitabilis necessitas ad congressum cogat; quæ si etiam contingat, velut ab igne cauere conuenit, ita vt celeres discessus faciamus.* Nempè, si etiam: *Eunuchi desiderium est deuirginare puellam,*

S.Cypr.l.de Disciplina.
T.Liu. l.10. Dec.3.

Cõuersationes fugiẽdæ & quorum.
Prou.6.

S.Basil.in Const.c.3.

Dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum in vino luxuria sit. Vbicumque satietas, atque ebrietas fuerit, ibi libido dominatur. In cap. 1. ep. ad Tim.

En tibi sextum, labor & occupatio seria circa res aut per se bonas aut indifferentes, quam tanti fecit vnus de gentiliciis scriptoribus vt diceret; *Labor & occupatio.*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Cedet amor rebus: res age, tutus eris.
Quaritur Ægistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Ouid. de remed. Am.

Narrat idem S. Hieronymus in epistola ad Rusticum, monachum quendam otio deditum cœpisse pulsari grauissimis luxuriæ aculeis: quod vbi resciuit Abbas, submisit quosdam qui eum apud se reum agerent diuersorum criminum, otiumque eius conuerterent in negotiosissimā curam, ac necessitatem probandi se innocentem. Quam probationem cùm toto currente anno admitti non cerneret, indéque vehementer angeretur, ab Abbate obiter interrogatus, vtrum solitos adhuc carnis impetus sustineret? exclamans respondit: *Papæ viuere non licet, & licebit fornicari?* Auis quę ociosa ramo insidet facilè traiicitur, secus quando volat. Sic otiosum facilè configit Diabolus carnalium tentationum iaculis; non sic negotiosum, eò quòd in alia intendens animum, nequit simul aures dare impuris illis suggestionibus; ita cogitur immundus ille spiritus confusus infectisque rebus discedere. Hinc salubre illud eiusdem sancti Patris consilium. *Ali-* *Rusticus qua arte reuocatus à Luxuria.* Ibid.

quid boni operis facito, vt te Diabolus inueniat occupatum. Quemadmodum in terra inculta nascuntur vepres, & in aqua stagnante ac paludosa vermes: ita in anima ociosa prauæ cogitationes, & desideria, quibus citò ruitur in fornicationem & adulterium. Sunt profectò mentes hominum ad aliquid agendum natæ, pascuntur, roborantur, & gaudent opere; ocio verò dissoluuntur, inertia cadunt, & cùm nequeunt nihil omninò agere, in libidinem & vitia alia deuoluuntur; cùm melius aliquid deest in quo occupentur. Cæterum hîc me loqui lector intelligat de otio verò. Nam dicere cum Erasmo, hodiernarum hæresum incentore, ac prodromo, ociosam ac Reip. inutilem esse vitam, occupationemque Sacerdotum, hominis est ἀθεωτατȣ, capite, hoc est proprio sacrificio destituere conantis religionem Christianam, & imitantis Pharaonem; qui dicebat Exod. 5. *Vacatis otio, & idcirco dicitis: eamus & sacrificemus Domino.* Certè vix vlli sunt sacerdotibus occupatiores, si quod debent, exactè faciunt.

Sextum sit, meditatio vtilitatis, quæ ex castitate in corpus redundat. Cui multum incommodare libidinem quoad sanitatem & vitam documento sunt, quæ in proximum §. congessimus. Consequens proindè est, vt ex aduerso castitas multùm vtramque promoueat. Et profectò ita est, si Plutarcho credimus: cuius en tibi verba: *Proindè præclarè dictum est illud, vesci citra saturitatem, impigrum esse ad laborem*

Plut. l. de Val. tuend.

laborem, vitale semen conseruare, res esse longè saluberrimas. Etenim coitus immodicus propterea quod maximè vim eam extrahit, qua cibus concoquitur, plurimum superfluitatis & redundantiæ gignit.

Septimum, idemque proprium ac peculiare studiosorum hominum sit, familiares sibi facere, seu oculis sæpè vsurpare scripturas sacras. Constat in iis Deum loqui, puritatis omnis authorem, qui proindè sine dubio suo ad nos alloquio in nos transfundet aliquam puritatis suæ particulam. Testatur hoc S. Hieronymus, inquiens: *Ama scripturas, & carnis desideria non amabis.* Expertus verò vtilissimè est S. Augustinus. Nam cùm nondum liber esset ab impudicitiæ laqueis, in quos illum iuuentus & improborum societas impulerant: & propter illos, assiduè à conscientia redargutus, inquietissimam acerbissimamque vitam viueret, non prius sanatus est à morbo & languore suo, quàm cœlestis vocis admonitu aliquoties inclamantis: *Tolle lege, tolle lege*, Codicem accepit Apostoli, aperuit, & legit in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi: *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & æmulatione; sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Qua lectione statim immutatus est, & factus à se alius. *Statim cum fine huius sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerũt.* Et c. sequẽti, quod est primũ lib. 9. Cõf. hæc habet. *Quàm suaue mihi subito factũ est*

Scriptura S. familiaritas quàm vtilis.

S. Hieron. epistola ad Rusticum.

S. Aug. vnde immutatus.

Rom. 13.

S. Aug. lib. 8. Conf. cap. vlt.

carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Causa & ratio vna inter cæteras est, quòd hæ sacræ paginæ non solùm admoneant eximiam in cœlo coronam iis repositam, qui illicitas voluptates omnes fortiter subegerint; sed ad memoriam quoque reuocant mortem, iudicium, & infernum; quorum seria meditatio efficacissimum remedium est aduersus omnem intemperantiam, sicut ait Eccles. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Sanè sicut deferuescit olla ebulliens superinfusá frigida; & detumescit pauo, pennasque suæ demittit superbiæ, cùm deformes pedes suos intuetur; ita concidet vniuersa carnis tentatio, si apud te diligenter expenderis vniuersis carnis oblectamentis, impositum iri morte finem tristissimum, quem his verbis digito insinuant sacri illi codices. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, arguentur vanitatis præterita.* Et mox cum per ironiam dixisset Spiritus sanctus: *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua*, &c. concludit seriò, & ait: *Scito, quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.*

Eccles. 11.

Eccles. 7.

§. 5. De cautela iam dicamus adhibenda circa cogitationes, turpiloquia, aspectum, lectiones amatorias, auditum, tactum, vsumque coniugij.

Rerum venerearum cogitationes in quantum noxiæ.

Rerum venerearum cogitationes esse ex se indifferentes, indè certò liquet, quod si essent per

per se malæ, nunquam à culpa immunis esset, quicumque illas conciperet, ne quidem Concionatores qui illas dissuadent, Doctores qui de illis scribunt aut disserunt; vt quando, & qualia sint peccata, definire possint,& respondere interrogati. Confessarij denique & Pœnitentes, quorum hi apud illos de iis in Exomologesibus suis sese accusant. (Neque enim horum aliquid fieri potest sine actualibus eiusmodi cogitationibus.) hoc autem dicere manifestè est absurdissimum. Vicissim si nunquam essent malæ, non diceret Deus, Isa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum*; & Sap. 1. *Cogitationes prauæ separant à Deo.* & Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c. & hæc coinquinant hominem.* Videndum proindè, quo fine, & modo suscipiatur de venereis rebus illis cogitatio. Si enim absque causa vlla necessaria & rationabili; mala est; quia tunc proponit sibi homo vel illicitam delectationem indè animo aucupandam; vel sciendi curiositatem ob id prauam & inexcusabilem; quia per illam exponit se periculo consensus in insurgentem delectationem libidinosam, quod periculum non ita subest, cùm necessitate vel causa rationabili turpia cogitantur;quia Deus qui adiutor est in opportunitatibus; & bonæ fidei singulariter rationem habet, speciali auxilio protegit cogitantes; sicut dixit ad Abimelech: *Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideò custodiui te ne peccares in me.* Si prætereà cogitationibus rerum turpium, etiam bono fi- Gen. 20.

ne & iusta de causa susceptis, admisceat sese eiusmodi delectatio, & placeat cogitanti, erit culpabilis, atque haud dubiè reum illum faciet: idque clarè docet S. August. *Cùm sola cogitatione mens delectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volens libenter; quæ statim vt attigerunt animum, respui debuerunt, negandum non est esse peccatum; sed longe minus, quàm si & opere statuatur implendum.* Et rursus: *Totus homo damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animũ talibus oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.* Vbi vides secundum verissimam eius doctrinam, non reprobari solùm consensum in turpe opus cogitatum; verum etiam consensum in delectationem cogitationis de eo habitæ. Ratio est, quia hæc tota delectatio accessoria est ad opus turpe, ideóque hoc sensu conditionem induit, ac sequitur eiusmodi operis, quòd quisquis ius ad istud non habet, nec ad illam habere consendus est. Nulli autem ius ad illud habent exceptis coniugatis, idque ad inuicem tantùm; ergo nec vllis aliis licet, præfatas delectationes admittere. Quo proindè loco etiam Doctores & Confessarios oportet esse cautissimos; quia licet minùs periculo exponantur ob rationem insinuatam; exponuntur tamen, & cauere debent, ne dum repurgare pœnitentes à suis student sordibus, inquinentur ipsi à nefaria quæ obrepere posset, complacentia; sint itaque illorum conscientiæ

S. Aug. lib. 12. Trin. cap. 12.

Confessariis cauendum.

tiæ quasi viscosæ pennæ anserum, quæ humorem non admittunt; nec madescunt, quantumuis immergantur: sed puræ vt priùs siccæque emergunt. Easdem impuras cogitationes si contingat importunè recurrere, non propterea tibi cadat animus: Non enim nocebunt quandiu displicebunt; sed magis proderunt ob patientiam tuam, cuius exercendæ occasionem tibi ministrabunt. Et sic *faciet Dominus cum tentatione prouentum.* Sed neque vicisse videri poterunt, quòd te lacessiuerint; tu magis victor recedes, vbi repugnaueris. Etiam vicit qui non cessit, vndè victoria dicitur νίκη, παρὰ τὸ μὴ εἴκειν, à non cedendo. Citò item cessabunt; quia confusus Satanas à quo suggeruntur, diu te fatigare verebitur. Quocirca contemnantur & rideantur, velut mera nugamenta nihil ad te pertinentia. 1. Cor. 11.

Affinia iis sunt fœda somnia, nihil similiter tibi obfutura, si neque iis causam præbueris per turpia aliqua cogitata, dicta, factaue tempore antecedente, vel expergefactus in iis tibi complaceas. Factorum exemplum sit, ventrem immodicè potu ciboque, calido præsertim & magni succi, saginasse; ita quippè genitura copiosa colligitur, & collecta exstimulat carnem, & interdiu noctuque phantasiam mouet. Quandoquidem consentiunt & conformantur somni affectui complexionique corporũ; vt cõstat ex biliosis, sanguineis, phlegmaticis & melãcholicis: quorum primis in somno repræsentãtur vulgò biliosa, vt incẽdia, *Somnia affectionibus respondent.*

tonitrua, cædes, iurgia, &c. secundis cantus, volatus, prata, picturæ elegantes, choreæ & similia. Tertiis cibi, potus, flumina, pluuiæ, balnea, lachrymæ. Postremis vmbræ, mortui, dæmones, mortes, sepulchra, carceres, &c. cùm ergo geniture affinia sint quæcumque venerea; nihil mirum, si qui valdè curant cutem, & sic abundant semine, de illis in somno cogitent cum delectatione sensibili; quod si futurum præuiderunt vt facilè potuerunt, viderint quomodò culpa vacent.

§. 6. Turpiloquiorum eadem penè est ratio, quæ cogitationum turpium, nam cogitare est quoddam loqui internum, sicut dicit Iob. cap. 7. *Loquar in tribulatione spiritus mei; confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Et infrà: *Releuabor loquens mecum in strato meo.* Hinc verbum mentis, in quod videlicet desinunt mentis cogitationes velut in terminum. Cùm autem cogitare sit quoddam loqui; fit vt turpe cogitare sit quoddam turpe loqui, vtrumque ex se indifferens, & bonum vel malum prout bono vel malo fine suscipitur; & prout arcetur vel admiscetur libidinosa delectatio. Sic tamen vt turpiloquium externum, hoc est, voce prolatum vix vnquam culpa vacet, cùm subesse non soleat causa eius proferendi iusta & necessaria. Est prætereà interno grauius propter scandalum. Ab eo proinde abstineat vir prudens diligenter, & à quibusque æquipollentibus; cuiusmodi sunt nutus & scripta lasciua. Dixi, *propter scandalum*, quia verba

verba eiuſmodi iacula & incentiua fortiſſima ſunt libidinis: maximè ſi ad diuerſum ſexum dirigantur, tunc imbecillũ cor ſauciãt, vel tandiu circumferuntur, quouſque icta præda cadat. Propter hoc tædæ vocantur Diaboli, omnia deuaſtantes Iob. 31. *De ore eius lampades procedunt, velut tæda ignis accenſæ, halitus eius prunas ardere facit.* Et Hier. 11. *Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius.* Addit Apoſtolus: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Alibi vetat audiri ea de ore cuiuſquam: *Fornicatio & omnis immundicia non nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpiloquium.* Perſimile eſt interdictum illud Ariſtotelis l. 7. Polit. c. vltimo. *Omnis obſcenitas verborum per Legiſlatorem exterminanda eſt de ciuitate. Ex turpiter enim loquendi licentia, ſequitur & turpiter facere. Si quis dicere aut facere prohibitorum quicquam deprehenſus fuerit, honore priuetur, & verberibus caſtigetur: ſed ſi ſit maioris ætatis, ſeruili afficiatur infamia.* Nempè vidit vno prohibito id omne prohibitũ videri, per quod ad illud peruenitur; turpiloquiis autem promouetur in primis negotium libidinis. Non prætereundum, recipere nos ore ſacroſanctã Euchariſtiam, quod proindè nefas eſt ſermone illo fœdo polluere. *Videte fratres,* ait S. Auguſt. *ſi iuſtum eſt, vt ex ore Chriſtianorum, vbi corpus Chriſti ingredietur, luxurioſum canticum quaſi venenum Diaboli proferatur.* Sed & verba noſtra dedecet minus pudica eſſe quàm Iudæorum; hi autem vt narrat Ioſephus vſque eò

1. Cor. 15.

Epheſ. 5. *Immundicia ne nominãda quidem.*

ff. de Sponſ. l. oratio.

S. Auguſt. ſerm. 215. de Temp.

abhorrebāt à turpiloquiis, vt etiam horrerent animalia valdè sordida proprio appellare vocabulo; sed per periphrasim *nefanda animalia.* Ridiculum denique est, religiosè abstinere à cõmemoratione excrementorum corporis, vel partium infamium per quas egeruntur; & nõ etiam ac multò magis à libidinosa quauis: cùm illa nullum vehat secum culpæ periculum; hæc verò maximum. Sic *excolatur culex, camelus deglutitur.*

§. 7. Ad custodiam sensuum venio, de quibus S. Hieron. l. 2. aduersus Iouin. cap. 7. *Per quinque sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est. Non potest ante metropolis, & arx mentis capi, nisi per portas eius irruerit hostilis exercitus.* Dicamus primùm omnium, de cura Oculorum castitatis amatoribus valdè necessaria. olim sanè gemituris si eã negligant, & dicturis: *Mors ascendit per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Rectè planè portarum nomen sibi sensus vendicant, quia sicut per portas intratur & exitur, inferuntur omnis generis res vel efferuntur, ita per illos mille rerum species ad mentem penetrant. Imitandi proindè præfecti vrbium in custodiendis portis cautissimi. Prçsidiarios adhibent lata lege, ne promiscuè admittant quoslibet. Antemuralia erigunt, aut ligna ponunt transuersa, aut ponticulos, qui attolli ad nutum possint. Addunt vtrinque turres fortissimas, suspendunt crates ferreas aut ferro acuminatas, quas deprimunt hosti præclusuras aditum vel

Hier. 5. *Sensus sunt totidem fenestra vitiorum.*

Oculi.

vel intrantem oppressuras. Muniamus nihilo segnius sensus nostros, atque in primis oculos quos meritò poterat Propheta vocare portas; sed maluit fenestras, quòd emineant more fenestrarum, & in homine paruo admodum dirimantur interstitio; non tota fronte, vt in brutis. Peccatum mors est, & infert sese per oculos, quando externa obiecta prohibita concupisci per species sese ingerunt; eodem sensu quo ebrietatem dicere possumus intrare in ciuitatem; quando copia intrat vini optimi, quo abuti ciues vrbis illius consueuerunt. Si ex iis tantum obiectis visibilibus voluptatem hauriremus, quę virore suo aut virtute alia naturali aciem corroborant oculorum, vt Smaragdi, herbæ recentes, eæque aromaticæ; nullus reprehensioni esset locus, nec abs re vsurparemus illud Psal. 91. *Delectasti me Domine in factura tua*: secus autem, quando delectamur aspectu eorum, quæ per se mala sunt; vt duellum; vel detrimentosa proximo, vt morbus eius quem auersamur, vel delectationem mouent inconcessam, ad quam scilicet ius non habemus. Huius generis Venerea est, quam nisi valdè accenderet aspectus curiosus formarum alterius sexus, non exarsisset vxor Putipharis in concupiscentiam Ioseph; nec Susannam deperiissent senes illi duo apud Danielem. Non emolliuisset visa Bersabee Dauid Regem, nec Holofernem Iudith, nec Ammonem Thamar. Sicut remissior

Aspectus lasciuus quàm multos & præclaros obcæcarit.

sior multò est voluptas gustus, quàm venerea; ita longè inefficacior fructus terræ quantumuis elegans ad irritandum gustum, quàm fixus aspectus formosæ mulieris ad accendendum eius desiderium: Eua interim vix conspectum pomum pulchrum oculis, & aspectu delectabile mox concupiuit. Nihil mali habet, fateor, in se considerata viri species aut fœminæ; imò Dei donum est & aspectu dignum; sed cùm in statu naturæ lapsæ obstet vt plurimùm fragilitas nostra, ne oculis in illam diu intendamus sine periculo; ne insuper retineamus atque imitemur sanctam illam simplicitatem, qua fratres sorores, qua sorores fratres, qua puellas pueri adhuc innocentes, qua viri viros, qua fœminę fœminas se mutuò vident & contemplantur, sine vllo motu carnalis concupiscentiæ; aliò debemus obtutum dirigere, & in eum

Psal. 118. finem orare Dominum: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quid prodest tentationis causam quærere? quid euagationes mentis Deo vacaturæ procurare? Cur pudet nos sputum putridum, stercora, & spurca alia cernere, quod id absque discrimine culpæ facere possumus; & nō multò magis obscœna vel affinia intueri, quorum visu conscientia sauciatur? Mulierem si nunquam vidissemus, excusationem aliquam haberet curiositas; iam verò cùm tot frōtes viderimus, tot oculos, tot nasos & auriculas, tot mēta & genas, stupēdū est tāto ardore & leuitate ferri aliquē ad id cōspiciēdū, quod nihil pręter ista continet. Nescio itē, qua constantia

ſtantia ſuſtinebimus in die iudicij cenſuram ſanctorum illorum Patrum, qui totis quadraginta annis interdicentes ſibi aſpectu omnium prorſus fœminarum, oſtenderunt planè quid facere ſimiliter poſſemus auxiliante Deo, niſi vecordes eſſemus. Cùm audiuiſſet Ioannes Abbas à Tribuno plebis: *Permota vxor mea rumore ſanctitatis tuæ, videre te percupit; rogo vt te ei videndum præbeas.* Poſtulauit inducias, quibus impetratis obnixè Deum rogauit: *Domine Deus, ſi fieri poteſt, oſtende ei in ſomnis ſpeciem meam, qua plenè ſacietur eius curioſitas, meque aliàs non videat.* Dictum factum, ſatiata eſt illius imagine, nec vltrà vrſit, vel appetiit videre eum. Pioris ſimiliter monachi ſoror penè decrepita ipſum poſt exactos in ſolitudine annos quamplurimos videre expetiit: quod cùm obtinere ab ipſo nequiret, ab ipſius Abbate impetrauit, cuius iuſſu adactus Pior vtriuſque ſatisfecit voluntati; nec tamen ſuum læſit inſtitutum. Venit ad fores ſororis, ſe adeſſe ſignificauit; illa in fratrem ſenem incidit claudentem oculos, & dicentem: *Ecce me ſoror mea, fruere aſpectu meo vt lubet, & ſine me redire ad patriam meam,* dixit & mox cellam ſuam repetiit. Nouerimus denique impudicum oculum impudici cordis eſſe nuntium, & Magorum faſcino perſimilem, aut veneficorum, de quo quidam:

Ioannes Abbas quomodo ſatiat mulieris curioſitatem.

Pior clauſis oculis videndum ſe præbet ſorori.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Virgilius.

Sicut enim venefico magi aſpectu vtitur Diabolus

bolus ad nocendum corpori eius, qui veneficio petitur: ita, venereo aspectu ad inflammandam personæ concupiscentiam, quæ impudicè aspicitur. De lasciuis picturis nihil est quod multa dicamus; eadē earum est, quæ rerum pictarum ratio. *Cùm verò dicere quicquam interdixerimus*, verba recito Aristotelis, *clarum est, quod & aspicere, aut picturas, aut actus deformes prohibemus. Sit igitur cura Magistratibus, nullam neque picturam, neque statuam esse talium rerum imitatricem.* Imò sicut scripturæ perniciosæ licet anima carentis nocumentum est maius, quàm verborum, quatenus constantior est, & magis in otio legitur; ita picturæ turpis quàm rerum ipsarum, quæ citò procul absunt & subducuntur. Addo ex Quintiliano lib. 11. c. 3. pictura sic in intimos penetrat affectus, vt ipsam vim dicendi nonnumquam superare videatur.

Arist. lib. 7. Pol. c. vlt.

Auditus. §. 8. Nihilò minor circa Auditum cautela requiritur, imò quodammodò maior. Licet enim quoad res spirituales auditus in hoc visu præstet, quòd sit magis ad salutem necessarius; quandoquidem à visu non pendet fides, sine qua impossibile est placere Deo; pendet autem ab auditu, dicente Apostolo: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*; hoc tamen alio nomine inferior est, quòd tentationibus magis pateat. Oculos claudere possumus, si volumus; & claudendo tentationibus occurrere, quæ per illos irrepunt in animam;

Rom. 10.

mam; aures autem aduersum turpiloquia nec perfectè, nec sine graui seruitute communi-te quis potest. Quamuis prætereà eò grauiores ex suo genere sint tentationes visus, quo sensus est auditu præstantior, quoad naturalem vsum & conditionem; alia tamen ex parte pluribus viis sese inferunt tentationes aurium, hoc est per verba, per scripturas impudicas (nam etiam talium author suo modo loquitur) per cantilenas siue impuras, siue molles & fœmineas. Vndè cùm dixisset S. Cyprianus: *Quocirca excubandum atque omnibus viribus elaborandum, vt inimico sæuienti & iacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari possumus, dirigenti, sollicita & plena vigilantia repugnemus. Offert oculis formas illices, vt visu destruant castitatem.* mox adiecit: *Aures per canoram musicam tentat, vt soni dulcioris auditu soluat & molliat Christianum vigorem.* S.Cypr. lib. de Zelo & Liuore.

Subiiciamus iam opportuna quædam his omnibus remedia. Primum sit arcere procul pestilentem quorundam opinionem, peccare quidem loquentem turpia; sed non audientem. Equidem verum dicunt, si de præcisa auditione, quæ per sensum fit, agitur; cùm ea non sit in nostra potestate; secus si de eius approbatione facta per voluntatem; vel si mauis, de delectatione, quam inde voluntas haurit. Sic audire dico esse peccare. Scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Eccles.28. Quis autem inter linguas nequam, non reponat impudicas? Non licet interiùs

Dæmo

Dæmonem audire turpia ſuggerentem; ergo neque exteriùs per organa ſua, quæ libidinis ſunt effutientem. Detractori aures date non conceditur: ergo tantò minus turpiloquo, quantò eſt nocentior. Nam detractor non nobis, ſed alteri nocere nititur; nobis autem, qui turpem ad nos ſermonem dirigit. Detractione ſoli famæ bonæ officitur; turpiloquio autem ipſa audientis conſcientia ſauciatur. Laudat Dauid Pſal. 57. aſpidem ſurdam, quæ obturat aurem ſuam cauda, ne vocem audiat incantatoris; at turpiloquus incãtator peſſimus eſt, vt ſuprà vidimus, & Diabolo famulatur ad peccatrices animas irretiẽdas: ergo ei multò magis occludere aures cõuenit, ſi laudari à Deo volumus. Hinc tãta lęnonũ abominatio, quos teuera nulli aptius comparaueris, quàm Duci illi quem miſit Antiochus Hieroſolymam verbis pacificis: ingreſſus autem omnia prædatus eſt & fœdauit, non ſine multa ſtrage; fecitque ſibi arcem fortiſſimam in ipſo monte Sion, ex qua omnem regionem diripiebat. Fingunt Poetæ, quod cùm veniſſet Vliſſes ad Syrenarum loca ſuauiter modulantium, obturauerit aures ſuas cera, ne illarum cantu emolliretur, ne vel dormitaret, vel minus attenderet ad nauigationem periculoſiſſimam. Hoc ſine dubio de numero eſt figmentorum, quo nihilominus malum eſſe indicarunt, & periculoſiſſimum admittere verba mollia, cuiuſmodi ſunt venerea. Accedit, quòd de eiuſmodi rebus loqui

Lenonum odium unde.

loqui peccatum sit (de coniugibus inter se non loquor, quamquam ne hi semper his fer- sermonibus culpam omnem effugiunt) ergo & audire; hæc duo siquidem relata sunt, & reciprocam malitiam continent: sicuti benè sequitur; peccatum est rem furtiuam dare: ergo & accipere. Peccat qui turpia loquitur, tum quia turpi sese delectatione oblectat, tū quia occasionem proximo subministrat sese quoque oblectandi. At quisquis sponte audit, vtrumque similiter agit, nefariam delectationem concipit, & sua in audiendo patientia perseuerantiáque loquenti addit animum; multò adhuc magis si corrideat, vel aliter impura colloquia sibi placere insinuet. Proderit insuper ad vtriusque sensus custodiam, continere se domi, loqui cum paucissimis, vitare Veneris nundinas, quales in primis choreæ sunt huius temporis, in quibus nullæ merces prostant copiosiùs, quàm impudici gestus, tactus, aspectus, & salacissima ad aurem verba: ad quæ & alia incentiua libidinis depellenda: *Inuitati multi Philosophorum*, ait S. Hier. in l. illo 2. contra Iouin. *reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos suburbanos, vbi ager irriguus, & arborum coma, & susurrus auium, fontis speculum, riuus immurmurans, & multa oculorum illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, & eius pudicitia constupraretur.* Vtile etiā dixerim, nihil responsi dare turpiloquis, sicut nullo dignati sunt Rapsacē Hierosolymitani, cùm ab eo ob-

Veneris nūdinæ, choreæ, &c.

ſiderentur, 4. Reg. 18. vel recipere ſe ad locum ſeparatum, vndè audiri nequeant, vel reuerberare eos frontis ſeueritate, quo modo rectè compeſci detractorem teſtatur Salomon Prou. 25. *Ventus aquilo diſſipat pluuias & facies triſtis linguam detrahentem.* Vel denique dicere (vbi & quando ſine incommodo licebit) quaſi vna de ſtultis mulieribus, vel ſi vir fuerit, quaſi vnus de ſcurris loquutus es. Erubeſce miſer profari talia, de quibus ſine dubio in tui die iudicij oportebit te grauiſſimam Deo rationẽ reddere. Apage à me interpres Diaboli, inimice omnis pudicitiæ; quercum tibi aliam quære quam excutias; ; nã circa me fauente Deo, verba perdes & operam. Addo quòd Eccleſiaſticũ monentem audiuimus: *Sepi aures tuas ſpinis.* Spinæ ſunt meditationes mortis, vtriuſque iudicij igniſque tartarei, de quibus ſupra §. 4. Habent certè aculeos ſuos, quibus mentem compungant, excitántque dormiturientẽ, & faſtidire faciunt quicquid olet luxuriam, cuius reatu trepidandum ſibi in morte, magis adhuc in tremendo illo iudicio; in inferno autem miſerrimam fore diſcit ex eiuſmodi nouiſſimarum rerum meditationibus. Quomodò non miſerrimam eo carcere, vbi voluptuoſis ſummus decernitur cruciatus ſenſum omnem præteritarum extinguens voluptatum, quin etiam recordationem olim recreantẽ, tunc cõfundentem & affligentem? ibi ſiquidem *deſolantur ad ſupremum, veniunt in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducunt*

Aures ſepienda ſpinis. Eccleſ. 28.

Sap. 4.

ducunt illos ex aduerso iniquitates ipsorum. Sufficit pars minima æterni supplicij ad excludedam lætitiam omnem à præteritæ memoria voluptatis,sicut scriptum est; *Malicia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Eccles. 11.

§.9.Iam de Tactu subiiciendum, quod prudentis est circa illum obseruare.Nullus de reliquis sensibus luxuriam æquè accendit & promouet;quia,vt docet S.Thomas 2.2.q.154. art.4. actus eius actui venereo cognatus,& finitimus est, modico interuallo separantur ab inuicem; eámque ob rem,nullus cautela indiget ampliori. *Tactus alienorum corporum*, verba pono eiusdem S. Hieronymi,*& fœminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est. Ob huic sensum cupimus, irascimur, gestimus, inuidemus, æmulamur, soliciti sumus, & expleta voluptate per quandam plenitudinem rursus accedimur, quærimúsque facere, quod cum fecerimus, iterum pœniteamus.* Admonendos hîc suscipio non solutos modo, se etiam coniugatos, non quà coniugati sunt, (quanquam ne ipsis quidem conceduntur contactus mutui extra sui vsum coniugij, quibus expositum se iri credunt periculo excretionis seminis,) sed quà personas matrimonio sibi non iunctas respiciunt. Non fuit satis præpotenti Deo, interdicere primis parentibus esu arboris scientiæ boni & mali, nisi prætereà legem ferret non tangendi eam. *Præcepit nobis Deus*, verba sunt Euæ, *ne comederemus,& ne tangeremus illud.* Quorsum id, nisi quia probè intelligebat, quanta

Tactus.

Maximè omnium luxuriam accendit.

Gen.3.

dispositio hic contactus esset ad violandum, quod traditum ipsi fuerat, sanctum mandatū? Idem esse crede iudicium, de impudicis tactibus nefarij comparatione operis, ad quod tangentem tactámque exstimulant. Neque tamen isto solo nomine vertuntur vitio, quod ad illud disponant, sed quod sint inchoationes quædam illius fortissimæ, & corpus vniuersum velut occulto quodam veneno commo-

Prou. 6. neant. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad uxorē proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.* Mulieri non licet Clericum percutere; vsque eò nihilominus detestantur iura cōtactus omnes libidinosos, vt causam excipi voluerint; quo Clericus eā contactu fœdo ad stuprum pelliceret. Nauar. c. 27. Ench. n. 85. Tolet. in Inst. l. 1. c. 55. Tunc percussus dignam luit suæ pœnam salacitatis, & in censuram non incurrit mulier. Interrogatus aliquando Heros ille strenuissimus Godefridus Bullonius, vndè ei tantum robur esset in lacertis & manibus, vt hostes etiam armatos posset gladio à vertice ad ventrē vsque dissecare; dextram protulit, & dixit: Hucúsque manus ista ab omni libidinoso contactu sese continuit. Rectè sanè, quia si digni sunt, in quos prodigiosè nonnunquam animaduertat Deus, qui lingua vel aliis membris suis abutuntur, vt Nicanor, cuius dextra exaruit, quam superbè extenderat. 1. Mach. 7.

Mulieri quando liceat Clericum percutere.

&

& Ieroboam eadem mulctatus pœna propter minas manu intentatas Prophetæ Domini, 3. Reg.13. quid mirum castas interdum manus prodigiosè roborari?

Erudietur his omnibus, spero, cultor castitatis, vt circa contactus posthac sit cautissimus, quorum nomine oscula etiam complector, non inter parentes & soboles, nec inter nutrices seu gerulas & infantes; nec inter viros, aut inter fœminas: sed inter eos qui sunt diuersi sexus, rarò sanè sine culpa vtentes mutuis basiis. Vndè cùm olim Christiani communicaturi oscularentur se inuicem, similiterque fœminæ in signum depositi omnis odij; obsoleuit mos iste propter abusum, qui breui cœpit obrepere, præsumentibus illis etiam istas osculari. Ne suspicetur idem amator pudicitiæ, sibi tantùm interdictos contactus fœdos alienorum corporum, interdicuntur & proprij tanto solicitiùs quantò peragi secretiùs possunt.

Tactus, & oscula fugienda, & qualia permissa.

Baron. ad annum. 43. n.8.

§. 10. Actus idem coniugalis ex se bonus est, vtpotè actus instituti à Deo contractus, & ad bonum relatus finem: ad prolis, inquā, susceptionem, quæ piè educata colat Deum, faciátque ad speciei conseruationem. Est præterea meritorius augmenti gratiæ (si in bono exerceatur statu) non ex opere operato, vt cōtractus ipse, in quo consistit ratio vera Sacramenti; sed ex opere operantis, cùm sit actus virtutis iustitiæ, quatenus in eo debitū redditur, aut amoris in speciem, cuius propaga-

Actus coniugalis, ad quid, & abusus.

tioni consulitur. Quæ omnia notare expedit contra Nouatores Ecclesiam calumniantes, quasi docentem pollui homines per legitimũ coniugium, & actum eius; cùm id de solis pronunciet, qui illegitimè coniugantur; vt de Sacerdotibus, & nonnullis aliis: vel etiam de iis, qui legitimè quidem; sed modum non obseruant, nec circumstantias debitas. v. g. si coniux vnus voto castitatis sit obstrictus, aut dubitet, vel credat inualidum esse coniugium; petere non debet, reddere tamen potest, ac tenetur alteri petenti, nec ita affecto. Imò si iste prohibeatur verecundia expresse petere, potest ille alter id prudenter præsumens postulare; quia tunc non postulat in sui gratiam, vt concupiscentiæ propriæ indulgeat; sed gratia complacendi suo illi cõiugi, cui matrimonium aliàs esset onerosum, quique tacitè petit, quod expresse non audet.

Alter coniux voto obstrictus ad quid teneatur.

Exemplum aliud est, si coniugatus in vsu illo delectationem sibi præcipuè, aut solum præstituat; culpam tunc venialem saltem contrahet, teste S. Augustino, quem iuuat audire loquentem: *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satianda, tamen cum coniuge, venialem.* Nihil id mirum, quandoquidẽ peruertitur tunc finis debitus; vt si quis comedat tantùm, vel bibat propter resultantem inde carnis voluptatem. Pœnam luerunt, eámque grauissimam priores septem mariti Saræ filiæ Raguelis suo vtentes coniugio; sed nonne ideò quòd libidinis solius causa

S. Aug. l. de bono coniugal. c. 6.

Sara mariti septem cur puniti. Tob. 6.

ſa ei commiſcerentur? Coniugalē delectationē non vitupero quaſi malam; ſed conſiderandam affirmo vt ſecundariam, vt conceſſam à natura concomitantem illecebram, ne coniuges ſine ea faſtidirent carnis copulam in ſe abiectiſſimam, vires frangentem corporis, & homini communem cum brutis animantibus; faſtidiendo autem non curarent ſpeciei propagationem. Et quia ſecundaria eſt, nec primò intendi debet, nec præcipuè, vt Tobiā iuniorem admonuit his verbis Angelus: *Tranſacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus.* Quod autem culpa hæc lethalis nō ſit, indè conſtare poteſt, quod peruerſitas illa grauis non iudicetur, nec proli detrimentoſa aut coniugi. Nec obſtat, quòd grauiſſima pœna fuerit, quam priores illi Saræ mariri ſuſtinuiſſe leguntur. Nam credibile omninò eſt, culpam in iis fuiſſe lethalem tali pœna dignā; quia voluptate capti ad Sarā accedebant parati accedere, quamuis non fuiſſet vxor; atque ita intentiońe ſua praua matrimonij fines excedebant, vndè equo & mulo comparati ſunt. Non etiam obſtat, quod dici ſolet, *adulter eſt vir omnis in vxorem ſuam intemperantior*; quia ſimiliter intelligi prouerbium debet de viro, qui non modò ſolam ſibi præfigit delectationē; ſed paratus eſt vxore ſua vti quaſi nō ſua: vtrumque enim facit adulter peccans cum adultera. His addo, partim ad maiorem declarationem officij coniugalis, partim ad os

Ibidem.

Xiſtus Pythagoricus.

Actus coniugij quando ex obligatione.

magis adhuc claudendum calumniatoribus illis & sycophantis, obligatorium esse actum coniugii, quando qui petit, seriò & instanter petit, laturus ægerrimè si non impetrauerit, aut exponendus peccati periculo. Alia ex parte non insolenter petit, nec cum notabili damno coniugis, nec cum periculo prolis, nec loco aut tempore interdicto, nec aliquo flagitio suo petere prohibitus. Sunt & alia, de quibus vult prudétia coniuges admoneri. Abstinere discant ab exigendo sui vsu coniugij tanto tempore ante sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem, quantum experimento cognoscitur esse necessarium, vt illa corporis alteratio vsum illum consequens, attentionique incommodans & deuotioni, finem habeat. Quia enim religiosè est accedendum, culpa vtique veniali vacare non videtur accedens, qui priùs tollere non studuit attentionis illius obicem. Loquentem audiamus de hoc argumento beatum Hieronymum, serm. in vigilia Paschatis de esu agni: *Si panes propositionis ab iis, qui vxores suas tetigerant, comedi non poterant: quantò magis panis qui de cœlo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo antè hæserunt amplexibus, violari atque contingi?* Consultum quidem est iuxta Concilium Eliberitanum, cuius meminit canon, *Omnis homo*, de Consecr. d. 2. vt continentiæ tempus Communionem antecedens trium vel quatuor dierum sit. Immò suadet S. Augustinus serm. 116. & serm. 224. de tempore, vt communi

Ante Eucharistiam quid.

municaturus in Paschate, ad vxorem non accedat toto quadragesimali interuallo, nisi causa aliqua grauis vrgeat, nec tantam ferat moram. Verùm ad culpam auertendam, sufficit, quod diximus, interuallum; vt probat Sanches lib.9. de Matrimonio disp.13. n.15. Culpam intelligo venialem, quia indeuotio & hebetudo mentis, de qua suprà, vderi non potest indispositio grauis. Ne venialis quidē erit, si ante elapsum id spatium petat coniux debitum fornicationis vitandæ gratia, non percipiendæ voluptatis. Tunc siquidem ob finem bonū atque necessarium, quem sibi proponit, excusatur à Deo, & in deuotione sua promouetur. Idem iudicium si occurrat causa alia rationabilis, ob quam vsu illo non obstante ad sacram synaxim consultiùs sit accedere. Quod ad personam verò, quæ tunc petenti reddit debitum, nulla est difficultas: non peccat reddens, quamuis constituat post redditionem communicare; cùm reddendo iustitiæ opus faciat ad quod tenetur, nec pietas illa sit necessaria, quæ obtineri non potest sine violatione iustitiæ. Quid si non præcessit quidem communicandi propositum, aut promissio; sit tamen dies festus, an peccet venialiter ex circūstantia temporis sacri, qui eo die debitū petit? Sententiā, quæ negat, longè puto verisimiliorem; quia vna ex parte vsus coniugij de numero nó est rerum seruilium, quæ tunc prohibentur: ex altera dispositio bona seu deuotio, quæ continentiam sequitur, ad *In diebus festis an abstinendum.*

Rr 5 seriem

seriẽ non pertinet rerũ positiuarum, quæ tunc præscribuntur. Atque hoc memoriæ mandare conuenit, ne ex conscientia erronea peccet quis mortaliter; vt peccauit fœmina illa, cuius meminit S. Gregorius lib. 1. Dial, correpta à Dæmone, eò quòd post vsum coniugij interfuerat processioni publicæ, credens id sibi illicitum. Alij in pœnã eiusmodi conscientiæ violatæ miseras proles suscipiunt, de quibus S. August. serm. 244. de tempore: *Qui die Dominico, aut alia solennitate continere se noluerint, leprosos, aut epilepticos, aut etiam Dæmoniacos filios gignunt.* Interim quamuis non peccet petendo bono fine, sicut nec ante Eucharistiã percipiendam, potest coniux alter vtroque tempore suauiter detrectare, vel dilationem flagitare in diẽ sequentem, si onerosum id nõ fore putet verisimiliùs; ita autẽ potest, vt nihilominus nõ teneatur. Nau. c. 21. Ench. n. 51.

Lasciuia cõiugales vbi vitanda.

Lasciuias omnes coniugales suspendant præsentibus arbitris, multis præsertim & infirmis, ne scandalizentur. *Væ homini per quem scandalũ venit*, Matth. 18. *Bonũ erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Marc. 14. Scribit Plutarchus, à Catone ciuem è Senatu motum, quòd vxorem deosculatus fuisset præsente filia. (Plut. in pe. connub.)

(Hebr. 13.) Cùm velit Apostolus *honorabile esse coniugium, & thorum immaculatum*, vitentur omnia aduersantia fini naturali copulæ coniugalis seu generationi.

Menstruorum tempore.

Congressum nõ petat vxor tempore menstruorum, cùm vix vllis tunc vrgeatur libidinis

dinis aculeis, & non petendo occursura sit damnis corporis, quæ prolibus tunc conceptis nonnunquam accidunt. Virorum alia est ratio, qui ad vitandum incontinentiæ periculum, ius habent exigendi debitum: non peccant vtentes iure suo, nec potest proles conqueri, si concepta nascatur cum defectu; quia melius ipsi est sic concipi, quàm nullo modo. Quod si voluptatis tantùm gratia tunc conueniant, euadere non videbuntur culpam venialem, valentes sine graui vllo suo incommodo perfectioni prolis consulere, *nec tamen consulentes*. Reddendo interim tunc debitum immunes à culpa sunt vxores, eò quòd habent parere necesse, vt scribit Apostolus: *Nolite fraudare inuicem*. Vult præterea doctor sanctissimus Augustinus, vt ab vxore prægnante vir se contineat; quia tunc concubitus valdè aduersatur bono prolis, primùm spectando in vsu coniugij, ita vt quandóque perimatur. *Sunt adeò incontinẽtes*, inquit, *vt coniugibus nec grauidis parcant*. His consentiunt verba S. Ambrosij in c. 7. 1. ad Cor. *Ratio cõceptus & partus iuxta legẽ cessare tẽporibus his debere demonstrat.* Illa itẽ S. Hieronymi l. 1. cont. Iouin. *Qui dicunt se causa Reipublicæ, & generis humani iungi, imitentur saltem pecudes; & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant liberos.* Creat hoc periculum partim concussio, partim prægnantis fastidiũ: concussio quidẽ, quia materia fœtus nõ potest cõcussa coalescere, vt notat & authoritate Hippocratis, aliorúmque Medico

1. Cor. 7.

Vxore prægnante.

S. Aug. l. de bon. cõiug. c. 6.

Medicorum confirmat Tiraquellus l. 15. de connubio n. 141. Fastidium verò, quia prægnans congressum fastidit tantò magis, quantò est prolis cupidior; de cuius iam conceptæ securitate meritò curam gerit. Quòd si præterea imbecilla sit, abortit adhuc facilius. Absente autem eiusmodi periculo, non peccat vxor reddendo debitum, ne venialiter quidē; sed neque ex verisimiliori sententia vir exigens, cui sanè perdurum esset obligari ad cōtinendum se tantò tempore. At videtur talis concubitus contra naturam: frustratur namque genitura fine generationis, cum mulier dum grauida est, nequeat concipere. Optimè respondet Sanchez l. 9. de matr. disp. 22. n. 7. quòd tunc concipi fœtus non possit, non prouenire ex natura modóque concubitus; quod tamen requiritur, vt sit peccatū contra naturam; sed per accidens, quia vxor est grauida.

In inopia si proles lac sugat.

Ad singularem Prudentiam spectat coniugum, quos premit inopia, abstinere ab vsu coniugij, quo tempore proli iam natæ dat mater vbera, ne forte tunc aliam concipiant; quod si contingeret vix vtrique alendæ satis pesset esse; & cum nata malè ageretur, eò quòd prægnantis lac valdè immutatur, & ab infante cum molestia sugitur. *A venere*, ait Galenus, *omninò abstinendū esse, quæcumque lac præbebit, moneo. Nā & mēses viri cōsuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat. Quin etiā aliquæ in vtero concipiunt, quo alienius à puero adhuc lactente nihil est.* (De diuitibus aliter iudi

Gal. lib. 1. de sanit. tuenda.

iudicandum, cùm in promptu habeant nutrices precio conducere.) Rectè item fecerint, si iam grauati numero prolium, pluribúsque cõmode alendis impares, ex consensu mutuo simili vtantur remedio, dormiántque separati, quod quo facient diutiùs, eò faciliorem experientur continentiam. Quòd si non consentiat vir, sed non obstante magno prolis numero vti velit iure suo ob fornicationis periculum, reddere debebit vxor; aliàs non, saltē sub mortali; quia non tenetur aliquod iustitiæ debitum persoluere cum ingenti suo incommodo; cuiusmodi est continua illa sollicitudo, labor, & afflictio mentis in alendis tot liberis. Sot. in 4. dist. 32. q. vnica.

§. 11. Nunc pauca de castitatis perditæ recuperatione, cuius nomine nec reditum intelligo diuinæ gratiæ amissæ per opus luxuriæ; nec integritatis corporis per illud deperditæ, cùm constet gratiam in pœnitentiæ sacramento restitui; integritatis autem illius recuperationem nisi miraculum interueniat, prorsus esse impossibilem, vt tradit S. Th. 2. 2. q. 152. a. 3. ad 3. sed habitum illum bonum, quo homo ante dictū opus in actus propēdebat pudicitiæ, à contrariis autem auertebatur. Hunc dico posse recuperari, nec desperationē hîc vllā admittendam. Aut enim sermo est de supernaturali, vi cuius licet cū gaudio castè non viuamus, & sine vlla difficultate, castè tamen viuimus propter summū & supernaturale bonū, ad quod per fidem tendimus; *Castitas quandò possit recuperari.*

aut

aut de naturali, qui acquiritur repetitis castitatis actibus, facitque vt homo in illis absque repugnātia sese exerceat. Si de primo, cōfertur à Deo vnà cū gratia & charitate, siue in sacramento, siue extra sacramentū; quia charitatem quasi reginā hi omnes actus comitātur, vt scribit Sapiens: *Venerunt autē mihi omnia bona pariter cum illa*. Si de secundo, acquiri iterū naturaliter potest, iteratis vt olim actibus, quid enim vetat? Nihil certè; præsertim si homo eius recuperandi cupidus sæpè confiteatur, eò quòd in Confessione peccatū tollitur, in cuius pœnam relabi aliquando finitur. Voluntas item non vltra peccandi instauratur, & ad constantiam à Sacerdote pœnitens inducitur, cui dū erubescit toties lapsum suum confiteri, cauet iterum & frequenter labi.

Castitas quibus necessaria.

§. 12. Clericis, Magistratibus, Coniugatis, Senibus, & Adolescentibus necessaria peculiariter est castitas: Clericis quidem, Principibus, & aliis Magistratibus, eò quòd talium exempla praua subditis vice potentium stimulorū sunt ad peccandū, ad id præsertim iā pronis. Tunc fidenter peccant, ad exempla eiusmodi, velut ad excusationes securas & propugnacula confugiunt. S.Gregor. *Cùm pastor per abruta graditur, necesse est vt ad præcipitium grex sequatur.* Et S.Hieronymus primatem quendam sic alloquitur: S.Hieron. epist. 30. *In te oculi omnium diriguntur, domus tua conuersatio quasi in speculo constituta magistra est publicæ disciplinæ: quicquid enim feceris, illud esse faciendum omnes putant.* Audiant hæc Clerici,

rici, præsertim qui degunt inter vel iuxta hæreticos; qui cùm solidè oppugnare nequeant catholicam fidem, id moliuntur, vt Sacerdotes populo repræsentent impudētiis omnibus coopertos; indéque excusationem quærant, cur fidem illam non amplectantur, & argumentum quo plebem ab eadem absterreant. Si his calumniis suis multùm nocent, quid futurum credimus, si exempla proferre possunt, quibus se demonstrent vera loqui? Incredibili planè damno afficient, vt idcircò pœnas Christo acerbissimas luituri sint Sacerdotes, qui malè viuunt (non modò propter violatum continentiæ votum; sed propter scandalum infirmorum, offensionem bonorum, & ansam quam præbent aduersariis calumniandi Ecclesiam religionemque sanctissimam) & cum illis Prælati, à quibus non corriguntur, spiritum charitatis prætexentes & mansuetudinis. *Non est ista charitas*, ait S. August. *sed languor, ferueat charitas ad corrigendum. Si sint boni mores, delectent; si mali emendentur.* Adeò certè in Clero suo vitium hoc abominatur Ecclesia Spiritus sancti discipula, vt bigamos admittere nolit ad sacros ordines, non quod in Laicis bigamiam damnet, vel credat interdictam: sed quod argumentum sit pronitatis magnæ ad res venereas. His adde, Principes libidine diffluentes facilè procreare spurios, qui aut legitimam successionē hæredibus veris præripiunt,

Clerici in primis, & cur.

S. Aug. in epist. ad Valerium.

Bigami cur ab ordinibus remoti.

Principes cur decent castitas.

ripiunt,aut bello non cessant perturbare principatum. Propria coniugatorum luxuria est adulterium, in quo præter fornicationis maliciam, illa alia continetur,quæ ex grauissima iniustitia petitur; dum coniux qui non habet sui potestatem corporis,alteri contra proprij coniugis Deique voluntatem se prostituit, & datam violat in connubio fidem. Quod ad Senes:

Senes cur.

Est in canicie ridiculosa Venus.

Idem confirmat Plautus in Mercatore: *Tunc in capite cano ames senex nequissimè?* Nempè senem cælo iam maturum oportet esse: à quo procul abest, qui adhuc effundit sese in voluptates. Senem oportet sapere, Venus autẽ dicta est ἀφροδίτη, quod sit ἀφροσύνης ἀρχήδεια; id est,insipientiæ Dea seu mater. Hinc

Genes.18.

illa Saræ admiratio: *Postquàm consenui, & Dominus meus vetulus est,voluptati operam dabo?* Et tamen licita erat voluptas, de qua loquebatur, vtpote coniugalis. Adolescentes libidinando immaturas frangunt vires corporis, eius incremento ponunt obicem, à studiis & seriis aliis auertuntur; quæ habent, prodigunt, & fortissimum contrahunt lasciuiendi habitum, qui vix euellitur. Altius in animum descendunt, qui intensioribus actibus acquiruntur. In talibus autem intensissimi sunt actus luxuriæ.

Adolescentes item.

De

De Prudentiæ regulis circa Fortitudinem.

CAPVT V.

§. 1. *Fortitudo quotuplex, quid propriè sit, & quàm nobilis.*
2. *Viro forti quæ intentio specialiter necessaria.*
3. *Quos potissimùm, quibus in rebus, & quomodò fortes esse oporteat.*
4. *Quibus modis acquiratur fortitudo.*
5. *Quando & quousque aggredienda terribilia.*
6. *Ad perseuerandum in bono arduo, quid vldè conferat.*

§. 1. FORTIS primò quis dicitur, si pollet viribus corporis, vt Milo & athletæ. Secundò, si mediis abundat ad nocendum; quo sensu ait Psaltes: *Irruerunt in me fortes*, vt exponit S. Augustinus. Tertiò, si locupletissimus est, quo modo fortis sibi videbatur epulo ille, cùm diceret: *Habes anima mea, recondita bona plurima, epulare. Ecce tibi fortem*, inquit idem S. Augustinus. Quartò, si proiectus sit ad audenda multa nefaria, potens ad bibendum vinum, fortis ad miscendã ebrietatem, vt dicitur Isa. 5. Quintò si de sua præsumat iustitia. De talibus addit, quod sequitur: *Hoc genus fortium cauendum, metuendum, auersandum, non imitandum. Fortitudo ista*

Fortis quis dicatur, & quotripliciter.

Psalm. 78.

Luc. 12.

non virtutis est, sed insaniæ. Auertat Deus ab imitatione nostra fortes istos. Sic phrenetici, quò meliùs se affectos credunt, morti viciniores, & insipientiores sunt. Nulla de istis vera est fortitudo, nec virtus. Non prima; quia viget magis in bobus, & elephantis. Non secunda; quia nocere posse res est indifferens. Idem de opulentia iudicium, imò possessores suos molles potiùs quàm fortes facit. Non quarta; quia honestum pro scopo non habet. Non quinta, cùm fastus sit, & arrogantia Iudaica. Nam Iudæi de se præsumentes quod iusti essent, medicinam recusarunt, & medicum occiderunt. In hoc prædicamento sunt Nouatores, se quoque gloriantes iustos esse, & de numero prædestinatorum. Magna hæc illusio Dæmonis, magnæ nugæ. Ergo *vera fortitudo virtus est moralis, qua firmatur animus contra timores & pericula rerum terribilium & arduarum, quibus permoueri potest ad faciendum vel omittendum aliquid contra præscriptum rationis.*

Fortitudo vera quæ. Aristot. 2. Eth. 7. & lib. 3. c. 6. D. Th. 2. 2. q. 123. a. 3.

Sciendum enim, quòd sicut quæ bona sunt, aut videntur, naturæ instinctu appetimus & prosequimur; ita declinamus, metuimusque mala nocitura; sed sæpè plus æquo, & incidimus in grauiora. Necessaria itaque virtus fuit, quæ stabiliret nos in ardua terribilique materia; cuiusmodi est mortis periculum; faceretque, vt nihil ingenerosè ageremus, vt ardua illa imminentia non nimis timeremus; vt eadem cùm expedit, moderatè aggrederemur ad futuram in posterum securitatem. Magna &

Circa quæ verfetur.

&verè admirabilis est virtus ista fortitudinis. Versantur reliquæ in materia longè faciliori, idque constanter satis, quandiu nullum instat eiusmodi malum; aliàs hærent imbecillæ egentque huius præsidio; vt terribilia contemnens homo ab illorum exercitiis non absterreatur. Rectè: sed quomodò dici virtus potest, cùm virtus actu suo delectetur; vir autem fortis, dum fortem se præbet, vt dum virgis cæditur, vel imminere sibi virgas sentit, voluptatem nullam capere videatur, vt docet Aristoteles? Certè Christus ipse morti proximus ad mortem vsque tristis fuit, Matth. 26. Quomodò versatur fortitudo circa sola mortis discrimina, cùm multa alia terribilia sint, in quibus æquè expedit hominem confirmari? Respondeo, delectatur verè fortis actu fortitudinis secundùm partem animæ superiorem, videns se propter honestum, Deique gloriam non parcere vitæ propriæ, esto non delectetur secundùm carnem & appetitum sensitiuum; quin potius tristetur, & doleat. Christi exemplo (qui interim dolorem à se excludere poterat, si voluisset) & Eleazari sic Deum alloquentis: *Duros corporis sustineo dolores; secundùm animam verò propter nomen tuum libenter ista patior.* Obscurat quandoque hæc tristitia illam animi delectationem; sed vicissim obscuratur sæpè à superuenientibus consolationibus. S. Tiburtio quas calcabat pedibus prunæ ardentes, rosæ videbantur. Ad paratam sibi crucem

Arist. l. 3. Eth. cap. 9.

2. Mach. 6.

Fortitudinis mira exempla.

S. Andreas lætum se venire dicebat. Sanctus verò Laurentius tyranno sic insultabat: *Non timeo tormenta tua.* Primis Christianis scribit in hæc verba beatus Paulus, Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorũ cum gaudio suscepistis, scientes vos habere meliorem & manentẽ substantiam.* De materia, obiectóque fortitudinis non negat Aristoteles lib. 3. Eth. c. 6. ea contineri mala ardua morte minora, vt carceres, deportationes, bonorum omnium amissiones, orbitates, mutilationes, verbera. Sed mortis potissimum meminit, velut obiecti potissimi, eò quòd morte nihil sit terribilius. Nam similiter fortitudinem versari ait circa pericula mortis in bello imminentis; non quod eam neget moderari etiam metum aliarum mortium, ne propter illas instigetur sapiens ad faciendum quod nòn decet; aut ad id quod decet negligendum; vt moderatus est venerandus ille senex, qui 2. Mach. 6. intuens quemadmodum oporteret accedere; patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitę amorem, prælegit mori pro patriis legibus, cauit scandalo esse alicui, aut moliri aliquid, à canicie, ab ingenita nobilitate, à conuersatione veteri alienum; studuit exemplum relinquere adolescentibus adeundi mortem pro causa eiusmodi animo promptissimo; sed quod bellica mors præstantissima omnium videatur propter ius bonumque publicum, quod in bello iusto defenditur; vel propter Deum, pro quo depugnant martyres in bello; de quo Hebr. 11.

Mors obiectum potissimum fortitudinis.

Fortes

Fortes facti sunt in bello. Adde, quòd obiectum fortitudinis formidabile sit, maximè verò formidabilis est mors bellica propter manifestum ac repentinum periculum, quod hostilis mucro oculis statim obiicit, vbi primum stringitur, & aspicientem fulgore suo quodammodò attonat. *Mors bellica maximè formidabilis.*

§. 2. Præclarè S. Thomas, *cùm vitia reliqua locum habeant in seruis Diaboli, inanis gloria locum habet in seruis Christi*; nec mirum sanè, quia in bonis operibus exercœent se cultores Christi; hæc autem sunt, quibus pascitur vana gloria, non secus ac septem illæ vaccæ macillentæ, & percussæ vredine, Gen. 41. pascebantur *in locis virentibus*. Homo gloriæ à natura cupidus dicto citius occasionem eius ex iis accipit, quæ per se sunt laude dignissima, inter quæ eminet actus fortitudinis. Vndè vix vllus fuit ex tot fortissimis Romanorũ, Lacedęmoniorũ, Atheniensium ducibus, qui victus cupiditate gloriæ ad illam heroica sua omnia non retulerit. Quocircà attendat sibi vir fortis, ne ad eundem impingat lapidem, ne fumum illum humanæ existimationis pro scopo habeat, siue sustinens, siue adiens mortis pericula; nisi velit opus facere non virtutis, sed vitij; ac de Deo non benè mereri, sed malè. Ne fortem se præbeat, vt indè magnifiat, sicut nec vt voluptate aliqua perfruatur, vel lucrum reportet temporale, vel damnum à se auertat, vel amasiæ alicui suæ gratificetur exemplo Galeacei Mantuani, qui Papiæ hybernans, & fortè in D. Th. 2. 2. q. 132. a. 3. *Galeacei stultum facinus.*

Pontan. l. 1. cap. 25. de fortitud.

ponte obuiam habens puellam, ab eaque audiens per quandam iocandi speciem: *Amator egregie, quin è ponte in amnem desilis mei gratia?* Mox concitato equo præcipitauit se in Ticinum, vndè vix natabundus emersit. Ne, inquam, eiusmodi aliquo fine moueatur; cùm hoc sit arduis caput obiicere, non ratione impellente, vel amore honesti, sed passione & cupiditate, faciat quod facit; quia facere, honestum; non facere, turpe est. Et quia intentio recta supponit obiecti notitiam, ne se fortem arbitretur, si ignoret ipsum, verbi gratia, si hostes credat pauciores vel imbecilliores quàm sint. Non est magnum, hoc errore subsistante, facere quæ sunt viri fortis, non concidere animo, non fugere, nihil indecorè agere. Vix tolli incipit hæc ignorantia per scientiam contrariam, cùm trepidando suam probant ignauiam. Idem de iis, qui arte duntaxat vel experientia fortes sunt; hoc est, quia meminerunt se ex certo quodam periculo salnis rebus enatasse, hisque freti experimentis non pauent ad pericula.

Magistratibus maximè necessaria fortitudo.

§. 3. Magistratibus, & quibuscumque aliis in potestate constitutis magis, quàm cæteris necessariam esse animi fortitudinem, indè cognosces; quod eos potissimum deceat præditos esse iustitia, virtutibusque aliis: ergo & fortitudine, quæ firmat animum, vt non obstantibus impedimentis terroris plenis facere pergat, quod illæ postulant in materia propria. Viris in dignitate positis proposita magis quã aliis

aliis ardua sunt, sicut arbores sitæ in montis fastigio maximos sustinere cogũtur ventorum impetus; maximis sunt frigoribus fulminibusque expositæ. Eorundem est populos regere sæpè rebelles, peruicaces, belluis similes multorum capitum. De Hebræo sibi commisso dicebat Moyses: *Quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me.* Exponuntur præterea odiis inuidiisque maximis; noctes cũ assueto Rege ducunt insomnes præ cura Reipublicę, circumuallantur mortis periculis. Adhæc si bellum gerunt, ferũtur in hostes primi, nisi obstet causa grauis. Si tempus est pacis, adhuc necesse habẽt cohorte cingi militum. Si reficiunt corpora, prægustatoribus indigẽt cibi & potus, ne fortè lateat mors in vno vel altero. Vt proindè non abs re Dionysius Syracusanus assentatori suo præcipuo Damocli ostẽsurus statum Regium & conditionem, accumbere illum fecerit mensæ regiæ, ac si Rex esset, insistente interim eius capiti nudo gladio & acuminato, quẽ tenue duntaxat filum retinebat in aere pendulũ, ne caderet. Torquebatur assiduo metu Damocles, nec comedere valens, nec bibere, non faciens flagitandi finem, sibi vt liceret indè discedere. Neq; enim velle se, aut posse tãto cũ discrimine tales experiri delicias. De hoc argumẽto Horatius ad illa verba

Positos in dignitate quos circunstent pericula.

Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet.

Horat. l. 3. Carm ode. 1.

Præpositorum denique est animum suis addere, idcóque & Petrus vniuersalis Christi Vi-

carius dictum sibi audiuit: *Confirma fratres tuos.* Quomodò autem id facient meticulosi? Scilicet fugiendò conspectis malis, eiulando, turpiter dando manus, authores illis esse poterunt, ne mente cadant? Sin contrà expetant pericula intrepidi: Vel etiam quodammodò rideant & contemnant. Si eadem, cùm expedit, aggrediantur; mirum quàm metuere desinent qui eis parent: conformabunt se illorum moribus; non abominabuntur, quod ab iis discent non esse metuendum; de formidolosis Damis Leones euadent ad nullius pauentes occursus. Vt verbo dicam, vbique se præbebunt fortissimos.

Luc. 21.

Res ad materiam pertinentes fortitudinis.

Quænam censendæ sint res verè arduæ ad materiam pertinentes fortitudinis, iam suprà indicaui; cùm eo verbo dixi contineri mortem, & quæcumque morti valdè sunt affinia, vt mutilationes, infamias, orbitates, deportationes, &c. Quibus addere possumus inuidias multorum, irrisiones, contemptus, odia, calumnias, infestationes Dæmonum, concupiscentiæ motus, morti comparatos ab Apostolo, cùm ait: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Prius dixerat: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* In quibus omnibus sustinendis, vel intrepidè expectandis subesse debet causa honesta; cuiusmodi est gloria Christi, quam illustrat non parum, qui constanter eius propugnat fidem. Bonum quo

Rom. 7.

Debet subesse causa honesta.

quoque publicum in bello iusto. Bonum spirituale proximi vel omninò perituri; hoc est, in malo statu ex hac vita discessuri, vel non ita commodè in statu gratiæ impositurі vitæ finem, nisi consolando, adhortando, sacramenta administrando periclitanti succurras. Sub obligationem certè cadit iuuare cum discrimine etiam propriæ vitæ omninò aliàs sic periturum, idque lege charitatis, insuperque iustitiæ, si interiecto stipendio, quod tibi eo fine penditur, te receperis hoc facturum. Consilij verò tantum est; sed laude dignissimi, graue hoc adire periculum illius gratia, qui tuo duntaxat eget ministerio, quo lætiùs, confidentiùs, tranquilliùs, cōmodiúsque imponat vitæ finem. Exemplum aliud causæ honestæ est, exponere te morti propter amicum egregium, quia amicus est. Rationem si quæris, dabo. Quòd erga te propensissima sit voluntate, te iuuet, tibi obsequatur secundùm rectam rationem, honestè agit, & se probat virture præditum. Cùm itaque bonum honestum sit vita melius, rectè illius causa negligitur. Sed vide ne amicus iste tuus iustè sit damnatus extremi supplicij; si quidem puniri talem interest Reipublicæ. Meritò quóque vitam ponet vir fortis, si intuitu proprij boni spiritualis id faciat, v.g. ne scelus perpetret ad quod adigitur; aut temporalis, vt quando ipsiusmet conseruandæ causa vstulationem sustinet medicorum. Ex his obiter liquet, quàm parum fortitudine prestent sectarij, dum exter-

An possit quis exponere se morti propter amicum.

nam fidei confessionem negant ad salutem esse necessariam; quamuis scriptum sit: *Ore confessio fit ad salutem.* Negant enim, quia mori refugiunt; & se credunt fugæ huic ignominiosæ speciosam excusationem prætexere, si persuadeant nihil obesse extrinsecam falsæ fidei simulationem, aut veræ dissimulationem. Hoc quid aliud propriè est, quàm in duas partes claudicare?

Rom. 10.

Circa pericula quomodo versãdum forti.

Idem vir fortis occurrentibus malis habebit se aliter atque aliter secũdùm rectã rationẽ. Nunc pericula grauia despiciet, ac expectabit iuxta doctrinam Senecæ lib. 2. de benef. cap. 34. & lib. 13. epist. 89. nunc fugiet, nunc denique excipiet vel aggredietur. Aliquando expectanda sunt, vt si in militiam cooptatus iubeatur à periculosissima statione non discedere. Aliquando fugiet, vt si non fugientem cæsuri omninò videntur hostes longè potentiores, non sine ingenti pernicie Reipublicæ. Atque huc pertinent illa Christi verba ad Ecclesiæ Prælatos valdè vtiles, qui soli petuntur ad mortem, & populis sibi commissis relinquere nõ possunt vicarios idoneos, ac sufficiẽtes: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Tunc certè fugere non ignauia est, non metus, sed pietas. Nam cùm gloria Dei, salus proximi, Euangelium ipsum, propter quod fugiendum non est, postulat vt fugiamus, quis inficiari audeat fugiendum? Non fugere contra, dici fortitudo non debet, sed pertinacia. Fugit in tali casu Christus, Luc. 4. Ioan.

Matth. 10.
Fugiendum quando.

Ioan. 7. & 8. quia nondum venerat hora siue opportunitas publicè patiendi Hierosolymis mortem crucis vtilissimam nobis, ac necessariam. Fugit Apostolus Actor. 9. & 2. Corinth. 11. Fugit S. Athanasius diuino instinctu cùm insidiaretur vitæ eius Constantius Imperator, & doctissimam de fuga sua conscripsit apologiam. Aliquādo sustinebit, vt si parari sibi crucem videat, nisi eiuret fidem. Tunc potius oportet perferre quidlibet, ac meminisse verbi Domini: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Aliquando denique aggredietur, exemplo Machabæorum, de quibus S. Chrysostomus: *Quando graue bellum ingruebat, nec qui c-quam possent facere, quod prodesset, se abscondebant: nam hoc quoque fecerunt Apostoli. Non enim semper apparentes in media ruebant pericula, sed nonnunquam & fugientes & latentes secedebant. Postquam autem parum respirarunt tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, statuerunt non se amplius solos seruare.* Exemplum aliud est eorum, qui cum Dauid Psalm. 118. intrepidè vbi expedit, loquuntur de testimoniis Domini in conspectu Regum, & non confunduntur; cum Io. Bapt. dicunt adulteris & incestuosis: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Cū S. Petro act. 5. prædicant obediendum Deo magis esse, quàm hominibus. Cum S. Marcellino Papa & fratribus illis, Machabæis, audent impietatem crudelitatémque exprobrare palam Diocletianis & Antiochis:

Matth. 5.

S. Chrys. in Psal. 43.

Iam

Mala quomodo sustinenda. Iam de modo dicendum. Si expectandum, aut sustinendum sit malum terribile, exere vires, datóque operam illud vt sustineas, si non æquanimiter, saltem patienter. Quid est *patienter?* In silentio, de quo Isa. 30. *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Talis fortitudo fuit Martyrum, de quibus est illud:

Caduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia,
Conseruat patientiam.

Hoc habet humana infirmitas, mussitat indigna patiens, erumpit in voces querulas, & ita meritò suo multùm detrahit, aut etiam diuinam in se accendit iram. Quid itaque consilij? Silendum cum eo, qui *tanquam agnus ad victimam ductus, & coram tondente se obmutuit.* (Isai. 53.) Dupliciter fortes sunt, qui tunc silentium colunt; malum enim superant generosa tolerātia, & murmurandi frænant appetitum. Nā, vt scribit Ouid. (Ouid. l. 1. de Trist.)

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.

Æquanimiter terribilia pati quid. *Æquanimiter* verò terribilia pati vel expectare, est cum gaudio id facere, & occasionem luctandi, cum iis sibi gratulari, & cum Apostolo dicere Col. 1. *Gaudeo in passionibus.* Magnam Dei gratiam, magnam virtutem postulat hæc æquanimitas, quam quisquis in se experitur, nō sileat semper; sed partim ad ædificationem præsentium in præclara verba prosiliat;

partim vt seipsum excitet magis magisque ad tolerantiam. Fecit hoc Lugduni S. Blandina mediis in tormentis inclamans: *Christiana sum, Christiana sum.* Simul autem mirabile animi robur ei accedebat. Si tamen alicui non contingit tantum bonum, non propterea existimet nihil sibi esse fortitudinis. Hallucinantur hac in parte plurimi, fortitudini suæ nihil tribuunt, quando experiuntur in sustinendis aduersis difficultatem aliquam & repugnantiã. Quasi verò magna non sit fortitudo repugnãtiam hanc vincere, eáque non obstante velle nihilominus dura pati, & diuinæ voluntati acquiescere, vel immittenti ea, vel permittenti? Quasi præterea valeamus naturam omnem exuere, nullumque prorsus sensum habere aduersarum rerum & terribilium? Non valemus certè, nec necesse est quidquid in oppositum censuerint Stoici, summis in periculis non minus trepidantes, quàm cæteri, vt te docebit lepida historia quam recitat S. August. l. 9. de Ciuit. c. 4. Ego autem studio breuitatis prętermitto. Dictum est Christi: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Idem ad consolationem nostram repugnantiæ huius voluit esse particeps, cùm instante passione *cœpit pauere & tedere*, dixitque, quod suprà audiuimus: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Sed neque plus æquo ingemiscas, si non in bello pro patria, non inter eorum manus, qui sanctam fidem nostram oppugnant; sed inter latrones vel in aquis per naufragium, vel in lecto mori contige

Euseb.

Matth. 26.

contigerit. Hominibus quidem vanæ gloriæ deditis obſcura mors diſplicet, vt Æneæ periclitanti naufragio,& beatos reputanti:

Queis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis,
Contiget oppetere.

Sed ſatis clarè moriuntur, qui moriendo diuino ſe committunt arbitrio, cùm Deum non fugiat, cur hoc vel illud mortis genus ſit tibi conducibilius.

Dum dicto modo aduerſa fortiter ſuſtinenda doceo; de caſu loquor,in quo nec vi repellenda ſunt, nec fugienda. Aliquando certè sũt repellenda;vt cùm iuberis dimicare quàm fortiſſimè, aut aliundè teneris ad tuendam vitam tuam perutilem Reipublicæ, & ſpes eſt fore vt repugnando euadas periculum. Tunc repugna, viriliter dimica, cum fluctibus & immanibus ventis decerta: Sin tanti momenti, hoc eſt, tam vtilis non ſit vita tua, & non ſit tibi fugere ignominioſum aut interdictum;fugam capeſſe ſi potes, ne non capeſſendo cenſearis tentare Deum, & temerè ruere in mortis diſcrimina,quod certè non licet ne prętextu quidem Martyrij, vt infrà dicemus ex S.Thoma. Vbi autem permittente Deo in illa incideris, *pone ori tuo cuſtodiam & oſtium circumſtantiæ labiis tuis*, non gemas implacabiliter, non accuſes Deum, non te putes ab eo derelictum, qui ait, *cum ipſo ſum in tribulatione*: non deturpes faciem,non crinem laceres,non fatiges cœlum clamoribus,non ſit tibi fœmineus vlulatus,nó

Repellenda quando.

Fugiendum quando.

Pſal.90.

pede

pedę perstrepas, non subuertas obuia, aspectu ne sis truculento, ne prorūpas in verba blasphemiæ, nec velis violētas tibi manus afferre. Quid aliud assequere clamoribus & lamentis plurimis, nisi vt omnes puerū te esse intelligāt, aut mollem fœminā, & iacturam facias meriti maximi, quod te indubiè maneret; si, vt dici solet, necessitatem in virtutē cōuerteres, vt sine dubio potes? Potes, inquā, quia quātumuis ingruat tibi extrinseca patiēdi necessitas, tibi nihilominus integrū semper est in præsentis mali tolerantiam sponte propter Deum consentire, eámque referre ad eius gloriam, ad partem quoque pœnæ, quæ præteritis tuis debetur excessibus, vel ad alind eiusmodi.

Ex his patet, fortem esse neminem qui seipsū occidit, siue id faciat oppressus rerū penuria, tristitia, vel aliis vitę incōmodiis; vel ne veniat in manus hostiū, vt Saul & Cato Vticēsis; cū tales adeò aduersa nō sustineant, vt ne illa sustineāt seipsos perimāt. Idē de iis iudiciū, qui sibi vitā eripiūt cū Lucretia illa Romana, ferre nō valētes humanam confusionē ex delicto profectā vel aliūdè. Quin etiam eorū, qui sese in mortem pręcipitant, ne peccare cogantur, aut peccato cōsentire, cùm cogi nullo modo possint; sed cooperantes diuinæ gratiæ omninò sint eiusmodi consensum repressuri. *Fortis non est qui se occidit.*

§.4. Ad sublimem fortitudinem acquirendam, de qua in proximo §. multa proderunt. Primò, ardens in Deum charitas. Nam vulgare est amicos amicorū causa ferre plurima, *Ad sublimē fortitudinē acquirendā quæ conferant.*

ne

ne quidem mortem detrectare. Vt incomparabiliter dilexit nos Christus, ita pro nobis animam suam posuit. Faciemus idem pro eo vicissim, & de manu eius aduersa omnia vltrò suscipiemus, si nos eius incendat amor, quia charitas omnia suffert, omnia sustinet. *Cum se hoc amore anima tua in Deum conuerterit, mortem nō modo contemnet, verum etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio. Nihil est tam durum ac ferreum, quod non amoris igne vincatur.* Sententia est S. August. quam probat exemplo amatorum auri, laudis, & fœminarum; qui omnes mirabili ardore animi ad ea quæ diligūt, indefesso & alacri cursu per immania quæque tendunt. Amore de duobus cor vnum efficitur, idem vult amicorum vnus quod alter. Cùm ergo non nisi volente Deo in te mala irruant, non admodum ægrè tolerabis ea, si verè Deū dilexeris. Adde, quòd si amemus Deum, amabit nos, & prouidebit, vt *omnia cooperentur nobis in bonum*, vt nihil desit necessarium. Caueamus itaque sub tali protectore nimis aduersa formidare, quæcumque illa sint. Secundò oratio, quam constat conducere plurimum ad impetrandum quæcumque vtilia sunt nobis aut necessaria: vtilissimum autem est, aduersa pati, præsertim grauia; cur non etiam expectare intrepidè, & cum Propheta dicere Psal. 26. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum?* Vtilissimum, inquam, est aduersa pati, cùm dicat Dominus: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Et,

Charitas.

1. Cor. 13. S. Aug. lib. de mor. Eccles. c. 22.

Oratio.

Matth. 5.

Et, *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21.
Et, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psal. 115.
Et 2. Cor. 4. *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hinc illa S. Cypriani exclamatio: *Quanta est gloriæ dignitas, quanta fœlicitas præside Deo congredi, & Christo iudice coronari.* Et dulcis illa Apostoli gloriatio, 2. Tim. 4. *bonum certamen certaui*: & infrà *reposita est mihi corona iustitiæ.* Et Dauid Psal. 16. scribit se *custodisse vias duras, propter verba labiorum Domini*, hoc est, propter diuinas promissiones consolationis magnæ, quæ in cælo manet tolerantes aduersa fortiter. Hæc cùm ita sint, tantò magis postulare te conuenit à Deo fortitudinem, quantò experientia doctus videris tibi imbecillior. Fecit hoc Iudas Machabæus, cùm diceret: *Quomodo poterimus subsistere antè faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos?* 1. Mach. 3. Et Iob similiter repræsentans Deo suam imbecillitatem: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea; nec caro mea ænea est.* Iob. 6.

Tertiò consideratio legis vniuersalis moriendi, & aduersa pleraque alia sustinẽdi, à qua ne Reges quidem & Imperatores eximuntur; sed vt quidã ait: *Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regúmque turres.* Et Iob Propheta vniuersim pronunciat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

Consideratio legis moriendi. Horat. l. 1. Carm. Ode. 4. Iob. 14.

manet. Consolatio quædam miserorum est, socios nancisci miseriæ; eóque argumento vti non omisit S. Petrus, fortitudinem commendans primæuis Christianis: *Resistite fortes in*
1. Pet. 5. *fide*, inquit, *scientes eandem passionem ei quæ in mundo est, vestra fraternitati fieri*. Cùm igitur ipsi etiam mundi Reges & Principes mortis legi subiaceant, nec minùs quàm reliqui obnoxij sint animi corporísque afflictionibus, vitámque viuant omnibus morborum telis æquè propositam; nihil sanè est, cur nos valdè perturbent hæc mala, aut in admirationem rapiant ex insidiis in nos insilientia. Nihil dicam de mortis commodis, propter quæ adeò non est multum refugienda, vt expetenda etiam videatur. Præcidit certè continuum sui metum, finem imponit humanis calamitatibus tot tantísque, iudicio Ecclesiastæ, vt scripserit: *Laudaui ma-*
Ecclesi. 31. *gis mortuos quàm viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidi mala qua sub sole fiunt*, & votis multis accersant illam quamplurimi, vel dicant: *Pereat dies in qua natus sum. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus, lactatus vberibus*? Amputat prætereà peccatorum occasiones innumeras, quæ viuendo diu, heu non tam emendamus, & dolemus per veram pœnitentiam, quàm augemus eo modo, quo pueri niueum globum quē antè se promouent, magis magísque amplificant nouas semper colligentē niuis particulas. Quæ causa est, cur diuina prouiden-

tia pleróſque cælo deſtinatos eò vocet priuſquã adoleſcant, *ne malitia mutet eorum intellectum.* Id ſi diligenter apud ſe parentes expenderẽt, non ita eiularent amiſſis paruulis; ſed ſibi quidem gauderent, illis verò gratularentur. Dum autem non expendunt, habenas laxant triſtitiæ, dant ſe lamentis inanibus. *O ſæuam mortem, quæ ſpem meam ſuſtulit, baculum ſenectutis, memoriam hominis, noſtri ſubſidium generis, futurum hæredem familiæ, deſignatum iam ciuem Reipublicæ. Neſcis amice, ignoras vicine; quid mihi acciderit, quo me infortunio vel fortuna improba, vel Deus affecerit. Filius mihi erat adoleſcens ſolus vitæ ſucceſſor ſolatiũ ſenectæ, gloria generis, fulcrum domus. Habebã in illo omnia, ætatẽ agebat gratioſiſſimam. Hic raptus periit, puluis factus eſt, qui paulò antè iucundum mihi præbebat ſpectaculum. Quid igitur faciam?* Et quandoquidem filiorũ incidit mentio, excuſant ſe aliqui, & mortẽ ſe dicunt timere, nõ propter ſe, ſed propter ſuos eiuſmodi paruulos, quos durum eſt orphanos relinquere. Quaſi verò tutor ipſorũ, curatórque præcipuus non ſit Deus manens in æternum? Denique ſicut impiorum mors tranſitus eſt ad ignem inextinguibilẽ, ad cœtum Dæmonũ, ad terram calamitatis & miſeriæ, vbi ſempiternus horror inhabitat, ideóque meritò timetur à talibus: Ita contrà iuſtorum mors tranſitus eſt ad vitam illam perennem, omnium bonorum aggregatione perfectam; eámque ob rem appeti potius ab iis debet, quàm valdè metui,

Sap. 4.

Eiulatus parentum in filiorum morte formula.

Iuſtorum ac iniuſtorum mors diſtat.

Psal. 118. dicturis si sapiant: *Heu mihi quia incolatus meus*
Psal. 41. *prolongatus est*: vel, *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Cæterùm expectanda præter mortem sunt aduersa quæque alia. Fallitur qui se putat vno defunctum malo in aliud nullũ incursurum. Simile quid in animum quisquis inducit suum; citò discit, quanto in errore
Iob. 20. & 6. versatus sit, quàm verè Iob prædixerit: *Fugit arma ferrea, & irruet in arcum æneum*: ac rursus: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Charybdim vitare dum cupimus, in Scyllam incidimus. Vetus aliquis molestus à quocumque flat cardine, ab Aquilone Boreas, qui tusses mouet, fauces exasperat, lateris dolores gignit & pectoris; à meridie Auster, qui auditum visúmque hebetat, caput grauat, &c.
Ætatũ incommoda. Inuadunt senectutem morbi longissimi, acuti adolescentiam: ningit in montibus, pluit in plano. Mundus eurypus est, imò Oceanus, in quo ne maximæ quidem naues à procellis liberæ sunt. Quidni ergo assiduè expectemus mala, vt si fortè non contingant, in aliquo id lucro reponamus; sin secus, præuisa minus feriant, vel etiam rideantur quasi detecta eminus & contemnantur?

Quartò, fortes iuuat non parum ista alia
Summum malũ quodnam. cogitatio. Solum verum ingens malum valdè est metuendum. Huiusmodi autem sola est culpa, non mors, vulnus, morbus, exilium, carcer aut pœna alia, cùm perpessa fortiter & propter iustitiam magnæ sit gloriæ seminariũ. Et quamuis ad seriem spectaret malorum ingentium

gentium, eius citò finis erit. *Nullum violentum perpetuum*. Quandiu in me non irruent terribilia, salua erunt omnia, excruciabar à me solo apprehensione nimia; quando autem me inuadent mali, sensum vnà cum vita dicto citiùs amputabunt. Vel si non statim me vita destituant, luctabor toto illo spatio cum hoste accerrimo ærumna grauissima, de qua reportabo victoriam, quoties ita loquar ex animo: *Fiat, Domine, voluntas tua sicut in cœlo & in terra: &, Ego in flagella paratus sum.* vel, *vtinam dignus inueniar Deus meus, pro nomine tuo aliquid pati.* Hoc si faceremus omnes, si terribilia illa meditaremur citò abitura, vulgò essemus aduersum ea erectiores, & cum Iob speraremus *post tenebras lucem.* Sanè quemadmodum diei lux breui sequutura tolerabilem facit noctis caliginem, ita calamitates vicina in melius mutatio. A ciconia interrogatus Cygnus, ait apologus, cur sub obitū modularetur dulcius? Quia, inquit, à quibuslibet aucupum insidiis mors me liberabit.

Arist. lib. 1. de cœlo. cap. 2.

Matth. 6.

Psal. 37.

Iob. 17.

Quintò, sicut qui succumbit oneri, hoc ipso magis premitur: prostratus enim opprimitur; nec se valet erigere: Ita qui aduersis rebus despondet animum, experitur in horas grauiora. Ne ergo despondeamus, ne nocentiora & maiora quàm sunt, reputemus. Iuuit ista cogitatio Dydimum Theologum doctissimum cæcitais malum prius ferre non valentem. Venit ad illum S. Antonius, dixitque; *mirari se non parum, virum sapientem dolere adeò*

Malis non succumbendum.

S. Hier. ad Castrutiū.

de iactura rei nobis communis cum formicis, talpis & muscis. Profecit hac cēsura Dydimus,& vidit reuerà minus malā esse orbitatem illam, quàm esse videbatur; atque ita deinceps tulit eam solito constantiùs. Iuuaret complures alios, si pariter iusta lance librarent mala, sub quibus gemunt: ita námque intelligerent tolerabiliora esse, quàm creduntur, minúsque iis cederent. Si præterea benè agendi occasionem ex iis sibi quærerent, vt certè possunt, teste Plutarcho, l. de exilio. & patet exemplo multiplici. Themistocles extorris à patria, ita se gessit, vt secundis posteà vtens rebus, diceret: *Perieramus, si non periissemus*. in custodia positus Anaxagoras quadraturā circuli scripsit. In carcere philosophatur Socrates venenum bibens. Figuris Geometricis delineandis iucundè incūbebat Archimedes obsessis à Marcello Syracusis. Et vt grauiora proferam, incarceratus S. Ioan. Baptista egregiè discipulos suos instituit. B. Paulus in carcere similiter nobilissimas scribit epistolas, vt secundā ad Timotheū, itē epist. ad Ephes. ad Philipp. ad Coloss. ad Philemonem, & ad Hebræos.

Virorum fortium exempla.

Sextò., ponat sibi antè oculos virtutis huius cupidus tot alios, qui constantissimo semper, infractóque animo cum aduersis luctati sunt, & dicat: Hi fortis meæ & conditionis, vestiti carne & ossibus, infirmitate circumdati, terribilia quæque contempserunt, & nihil fermè commoti susceperunt irruentia; quid vetat me quoque contemnere ac suscipere?

ſcipere? Graditur inter eos primus Christus Ieſus, qui ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit obuiam inimicis ſuis, Ioan. 18. & Petro impedire volenti paſſionē ſuā dixit, Matth. 16. *Vade poſt me*, &c. De eodem ſcribit Apoſtolus: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* In lege veteri quàm fortem ſe præbuit inclitus ille Eleazarus nonagenarius, qui glorioſiſſimam mortem magis quàm odibilē vitā complectens voluntariè præibat ad ſupplicium, dicens: *Fortiter vita excedendo ſenectute quidem dignus apparebo: Adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar.* Reliquit certè; nā ſequenti capite deſcribitur ſtupenda fortitudo atque conſtantia ſeptem fratrū in mediis tormentis, Antiocho Regi inſultantiū: ita vt ipſe, & qui cū eo erant, illorum mirarentur animos, quòd tanquam nihilum ducerent cruciatus, non leues, ſed longè grauiſſimos. Alij enim toſti ſunt in ſartagine, alij excoriati, alij in fruſta conciſi. Nouiſſimè autem poſt filios mater, cuius aſſiduis monitis ad conſtantiam animati fuerant, conſumpta eſt. Vixit ante eos Iob, excelſo animo præditus, cui cùm non modò cecidiſſent decem liberi breui momento temporis, vna plaga cōtriti in domo iucunditatis, in tēpore voluptatis, incutiente ipſis Diabolo domū, & mēſam

Chriſti fortitudo.

Hebr. 12.

2. Mach. 6.

Iob item quanta.

cerneret imbutam sanguine;sed ipse etiam in grauissima esset infirmitate, vndique scatens vermibus, non plorauit, non comam euulsit, non emisit vocem aliquam ingenerosam, non detraxit diuinæ prouidentiæ, non obtrusit innocentiã suã, & merita; sed protulit decantatã illam gratiarũ actionẽ: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placauit, ita factũ est; sit nomen Domini benedictũ.* Nempè noluit inter aduersa seu imminentia, seu etiam præsentia Ethnicis modestia cedere, qui oppressi malis non idcircò de Diis suis quiritabantur; sed inuocabant eos, vota vouebant & persoluebant fideliter. Non iis irascebantur, sicut nec Imperatoribus suis, quando ad pugnam vocabantur & pericula. Nemo dicebat: de me Imperator malè meruit, aut male mihi voluit; sed totum interpretabatur beneuolentiam & desiderium promouendi ipsum ad altiora, de cuius fortitudine egregiè sentiebat & experimentum volebat accipere. Recogitauit Iob similiter diuini moris esse arduis in rebus probare diligentes se. Neque enim facilè amorem verum à falso discerni, ac diiudicari, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne fidelis beneuolentia periculo aliquo perspici possit. In lege autem gratiæ B. Ignatius Antiochenus Episcopus, vt se quoque probaret in Christi causa fortissimum, ardebat martyrij desiderio, & sic loquebatur, paulò antè, quàm deuorandus leonibus obiiceretur: *Vtinã fruar bestiis,*

Iob. 1.

Ethnicorũ modestia.

Amoris veri examen.

Ignatij constantia.

bestiis, quæ mihi sunt præparatæ; quas & oro veloces mihi esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me. Quod si venire noluerint; ego vim faciam, ego me vrgebo vt deuorer. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar. Probat, inquam, purgátque suos Deus variis malis temporalibus; alios autem similium reos culparum facilius prætterit, quasi indignos quos castiget tam exiguis. Assuerum Ethnicum superbè ostentantem diuitias gloriæ regni sui, Esther 1. non puniuit; Ezechiam verò Regem optimum, sed tamen vanitatis huius participem afflixit & perterrefecit, Isa. 48. Ab his quidem corporis malis immunis fuit S. Basilius; sed non à calumniis, meritò sanè reponi solitis inter mundi huius calamitates grauissimas, quas tamen magnus hic Antistes tulit semper fortissimè: ita vt diceret: *Ipse linguā cohibito, conuicia in me congesta & dolorem animi supprimens ac veluti præfocans silentio. Expecto intereà supremum Iudicem, qui omnem malitiam tandem cùm opus fuerit, vlcisci nouit.* Alibi ad similem constantiam his verbis inuitat omnes: *Reuerà vt Salomon ait, calumnia hominē humiliat, & nemo ita stupidus est, qui animo nullam sentiat molestiam, & ad terram vsque non deiiciatur, si incidat in ora ad mentiendum procliuia. At necesse est, vt omnia feramus, omnia patienter toleremus, vltionem ipsorum Domino committentes, qui nō despiciet nos.* Ex horū infracto animo in ma-

S. Hier. de script. Eccl.

Probat suos Deus.

S. Basilius calumniis afflictus.

S. Basil. epist. 87.

Epist. 26.

lis animi corporisque perferendis, cæterorum disce fortitudinẽ, candémque imitare multò magis quàm Ascanius ille suorũ exempla, cui dictum est ab Ænea patre:

Virgil. lib. 12. Æneid.

Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum:

Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Nihil hîc attexere attinet de reis, de militibus, de seruis domesticis, qui pro gloria vel lucro temporali nulla refugiunt incommoda, non mortes & cruces, non seruitutes & vituperia, consurrecturi haud dubiè in die iudicij & perfusuri nos rubore intolerabili, si pro spiritali & æterna, si pro bono virtutis, ignauiùs contra aduersa depugnemus. Prætereo itẽ Lacedæmonios, Romanos, & paganos alios innumeros, quos sæpè ad mortẽ hilares quasi ad nuptiale cõuiuium processisse legimus. Attexam tantummodò quod de Circumcellionibus scribit S. August. in l. de Hæres. in 69. *Ad hanc hæresim in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissima audacia, non solùm in alios immania scelera perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nã per mortes varias maximè præcipitiorum & aquarum, & igniũ seipsos necare consueuerunt, & in istum furorem alios quos potuerint sexus vtriusque seducere, aliquãdo vt occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint, comminantes.* Sit hoc simile §. huius conclusio. Sicut vasa figulina quantumuis elegantia & picta

Circumcellionum temeritas.

picturata, parui fiunt, & vilis sunt pretij: ita parui omninò eris, si leuia te frangant mala, nec de numero esse mereberis fortium, quantumuis laudari possis à plerisque aliis.

§. 5. Ad audaciæ moderationem venio, partem alteram fortitudinis positam in aggressione, perruptione, oppugnatione rerum arduarum, quæ vel magnum bonũ impediunt vel futuræ prænidẽtur magni causa mali, nisi destruantur. Aggressionẽ hanc plerique magnifaciunt, nec abs re; scire tamen debent inferiorem esse priore, de qua iam disputauimus, vt post Aristotelem l. 3. Eth. c. 9. scribit S. Thom. 2. 2. q. 123. a. 6. & patet ex verbis illis Prou. 16. *melior est patiens viro forti*; ibi enim fortem pro audace ponit. Nec mirum sanè; nam qui sustinet, sustinere videtur aliquo fortiori inuadente: qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris; difficilius autem est pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. Deindè, qui sustinet & expectat, iam sentire incipit pericula imminentia; qui autem aggreditur, eadem vt futura respicit; difficiliùs porrò est non moueri à præsentibus, quàm è futuris. Tertiò, sustinere importat & connotat temporis diuturnitatem; sed aggredi quis potest ex subito motu; difficilius verò est, diu manere immobilem, quàm subitò moueri id aliquid arduum. Denique aduersorũ tolerantia nulla prorsus, aut vix vlla post se trahit incõmoda: aggressio verò si vel parũ temeritatis habeat, quã plurima.

Quæ

Quæ causa est, cur hîc omninò expediat eius præscripta ponere. Quorum primum sit, hostem non aggredi, à quo tibi times iure subnixum, eóque vtentem; nec eidem ius suum repetenti repugnare. Ita quippè te oportet, quæ tua sunt conseruare, vt alieno iuri non officias, nec cũ iustitia bellũ geras. *Non est quilibet vir fortis*, inquit idẽ Aristoteles, *sed qui ea qua oportet, & vt oportet & quando, perfert & timet, similiter & confidit.* Vndè latrones, grassatores, monomachi non sunt fortes appellandi: quia illorum audacia plena est iniquitatis, & belluinæ feritatis, eámque ob rem incapax honesti & fortitudinis. Et Deus eiusmodi fortibus & iniquis tandem maledicit: *Omnis violenta prædatiõ cum tumultu, & vestimentũ mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.*

Sua quousque conseruanda. Arist. lib. 3. Ethic c. 7. *Vir fortis quis.* Isa. 9.

Alterum, esto ius tibi suppetat inuadendi hostem terribilem, aut eidem si te inuaserit repugnandi; vbi tamen nulla speratur ex aggressione, vel resistentia vtilitas, sed mali potius exacerbatio; abstinebis, si sapis ab hoc consilio, vel etiam si opus sit, fugies exemplo Dauid, 1. Reg. 27. & 2. Reg. 19. Laudari nunquã potest, qui volens ac sciens ludit operam; quo nomine in reprehensionẽ & vituperium incurrit Iudas Machabæus, 1. Machab. 9. Aduertant huc animum Concionatores, non dent æquo citiùs vela ventis, ne se mergant & alios. Solent immaturi proiecti & audacissimi esse omnium, vt Curius ille, de quo Cicero lib. de clar. orat. Quamdiu

Hostis quatenus aggrediendus.

diu contrà rei benè gerendæ spes aliqua miraculo etiam non expectato supererit; hostẽ v. g. ex toto vel ex parte profligatum iri, minúsque Reipublicæ nociturũ,& præter hanc spem aderit pugnandi necessitas; tunc memineris, non nimis metuere, sed animi corporísque vires intendere, siue aggrediendo, siue etiam defendendo; præsertim cùm Deus vt plurimùm fauore suo prosequatur sic belligerantes, vt inter gentiles ipsos Valerium Coruinum in bello Senonensi iustè dimicantem contra Gallum quendam superbissimũ, quem in arena ipsa confecit adiutus à coruo, qui eius galeæ insedit præter morem, nec sine prodigio: atque inter pugnandum vnguibus, rostro & alis suis superbi aduersarij oculos fatigare non destitit. Tertium, nihil supra vires aggrediare, ne ridearis & succumbas perficere non valens, quod in te susceperis. Consilium est Horatij in Arte: Plin. lib de viris illust.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & tentate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Spe autem substante prosperæ aggressionis & progressionis, ne facilè te absterrear negotij difficultas: quid enim magnum, si in ea tantum incumbas, quæ facilia? *Timidi nunquam statuere trophæum*, & ridentur Isa. 37: qui non sunt in heroicis consiliis suis efficaces. *Venerunt vsque ad partum*, inquit Propheta, *& non fuit in iis virtus pariendi*. Vicissim caue nimiam tibi promittas peragendæ rei facilita- Euripides

litatem, ne iusto securior vigilare negligas, ac tibi necessaria comparare prætermittas, & deceptus tandem victúsque pereas: quin potius cum Didone Regina illa Carthaginiensium, *omnia tuta time*. Ne rursus propriis in viribus collocaueris spem præcipuam; sed in Domino exercituùm, qui alias facilè te auxilio suo destituet de virtute tua præsumentẽ. Vsus hac cautela dicebat Dauid, Psal. 17. *In Deo meo transgrediar murum.* Psal. 19. *Hi in curribus & in equis; nos autem in nomine Domini magnificabimur.* Psal. 43. *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* Et 1. Reg. 17. *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituumr Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea.* Vsi sunt eadem, in generatione sua complures Ethnici, adeo propriis diffidentes viribus, vt in difficilioris cuiusque rei auspicatu dicere solerent celeusmatis loco Θεὸς Θεός. Iudæi prætereà & Romani priusquam manus cum hoste consererent, offerre solebant diuinæ maiestati sacrificium, vsque eò inhærebat omnium mentibus, quod scripsit M. Tullius *Deorum ope & auxilio magis hæc Respublica, quàm ratione hominum, atque consilio gubernatur.* Et detestati sunt vniuersi Aiacis fastũ gloriãtis apud Sophoclem *solos ignauos egere Deo, se absque eo cuncta perfecturum.* Necessarium porrò tibi esse diuinum auxilium tunc credere te probabis, si ardentibus votis illud à Deo postulaue

Lib. 4. Æneid.
Spes in Deo ponenda.

Cit. in orat. pro Rabir.

ſtulaueris. Ad præſcriptũ quartum tranſeo. Si aliter quàm aggreſſione obtinere poſſis bonũ arduum, quod quæritur; vel remouere malum, alia vtere via velut ſecuriore. Sic prudentiſſimus Q. Fabius non inuadendo, ſed cunctando vicit Annibalem, & auertit à Romana Republica malum grauiſſimum, deſideratis de exercitu ſuo nullis aut pauciſſimis. Quintum, caue vtaris malis artibus, à quibus remotiſſima honeſtas eſt, virtutiſque ratio. Alexandro magno cùm author eſſet Parmenio, Darium vt dolo aſtuque vinceret: Reſpondit Alexander, verè nobilis ac generoſus: *Facerem, ſi Parmenio eſſem, at quia Alexander ſum; facere nolo.* Pyrrhi Epirotarum Regis medico ſuam pollicenti operam ad Pyrrhum de medio tollendum, ſi à Fabricio Romani exercitus duce factum auro penſaretur, non modo non aſſenſit Fabricius, ſed ad Pyrrhum literas dedit in hæc verba: *Ad nos venit Nicias familiaris tuus, vt ſibi pretium à nobis peteret, ſi te clàm occidiſſet. Id nos negauimus velle, neue quicquam commodi eam ob rem à nobis exſpectaret; & ſimul viſum eſt vt te certiorẽ faceremus; ne ſiquid eiuſmodi accidiſſet, noſtro conſilio ciuitates putarent factũ, & quod nobis non placet, pretio aut pretio, aut dolis pugnare. Tu niſi caueas, iacebis.* Q. Seruilius Cepio pugnaturus contra Viriatũ, duos milites pecunia corruptos ſubmiſit, qui illũ interficerent. Hanc victoriã nõ probauit ſenatus Romanus, vtpotè pecunia emptã. Et ſanè victoriæ anteferẽda eſt iuſtitia,

Alexandri magnanimitas. Q. Curtius lib. 4.

Ac Fabricij.

Aul. Gell. l. 3. c. 8.

Victoria vera qua.

nec censenda victoria, nisi quæ salua fide, & integra dignitate paratur.

Socij adsciscendi vbi res fert.

Sextum, res magnas & arduas quæ peragi adhibitis sociis possunt, ne solus & sine aliena ope communiter agendas suscipias. Nosti quid circumferatur: *Vnus homo, nullus homo.* Vix multa præstabis solus, atque vtinam præstes adiunctis pluribus. *Qui multa vel faciendo vel imitando pertractat*, inquit Plato l. 3. de Legib. *in singulis tandem ita deficit, vt in nullo euadat egregius.* Superbi quidam omnia sibi vnis arrogantes, metuentesque ne quid gloriæ ex confecto insigni negotio deriuetur in alios, totum in se recipiunt. Ne ita desipueris, partem oneris committe aliis exemplo Moysis; ita auertes à te inuidiam, & citius meliúsque ad exitũ perduces quod intendis. Satis per te totum perages, quod partim per te, partim per alios Deus ipse, cui soli propriè debetur honos, quique per Prophetam ait: *Gloriam meam alteri non dabo*, nõ dedignatur in operibus suis vti causis secundis: ad illuminádũ sole, ad calefaciendũ igne, ad nutriendum cibo & potu, ad medicandũ medicis, ad disseminandã fidem Apostolis; non quasi iis indigeat, sed vt quid facere nos conuenit, exéplo suo admoneat. *Si te nullius ope indigere putaueris*, ait S. Chrysostomus, *omnibus factus es stultior, & imbecillior. Talis enim nudum se omni auxilio reddit, & in delictis suis neque correctionem, neque veniam recipiet. Sed & Deum arrogantia sua irritabit, & omninò multum peccabit.*

Deus vtitur causis secundis, & cur.

Vide

Vide ſeptimo, ne deſiderio tuam oſtentandi fortitudinem laceſſas aliquem, vel occaſionem ei præbeas laceſſendi te palam. Cenſuram magnam meretur hæc oſtentatio. Nefas eſt ſcandalum præbere alicui, ſeu anſam operandi nequiter, teque inuadendi. *Non debet homo*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 1. *occaſionem dare alteri iniuſtè agendi, ſed ſi alius iniuſtè egerit, ipſe moderatè tolerare debet.* Simulque Martyres commonefacit, ne ſe in diſcrimina mortis temerè, & nulla vrgente neceſſitate coniiciant, nec Fidei hoſtes contra ſe exſtimulent. De aduerſariis hominibus hæc dicta puta. Nam quod ad perturbationes immoderatas, vitia, benè agendi repugnantiam, &c. quæ conſtat graues hoſtes eſſe virtutum, aggredienda ſemper ſunt fortiter, nec metuenda in hoc temeritas aliqua. De his interpretor illud Pſalmi, 17. *Perſequar inimicos meos, & comprehendum illos, & non conuertar donec deficiant.* Audiant hoc qui exempli cauſa molles, aut victi inedia ieiunia etiam præcepta & quæcumque alia paulò laborioſiora ſic refugiunt, vt manus nunquam admoueant. Hi minimè fortes ſunt. Denique ad repugnandum vtiliter vel aggrediendum, noueris prius conditionem & naturam hoſtium & rerum arduarum, eique te accommoda. Exemplum. Cum aduerſus Dæmones, ſubſtantias ſpirituales, tibi eſt colluctatio, arma quære tibi ſpiritualia, ſeu offenſiua, ſeu defenſiua, de inferendo illis damno, nec per ſomnium cogites; quia tibi comparati

Cõditio ſua priùs cognoſcenda.

sunt inuulnerabiles, factique vt mortalium neminem timeant. Non parum feceris, si te ab illorum insultu fortissimo immunem custodias, qui duplex est, corporalis per damna extrinseca, spiritualis per tentationes. Corporalis subdiuiditur in mediatũ, qui fit per veneficos à maligno Spiritu ad nocendum instigatos: & immediatum. Huic repugnatur feruidis precibus primò, ac præcipuè directis ad Deum; deindè verò ad custodem Angelum. Vtriusque siquidem est illius frænare audaciam, & obstare ne damnum inferat pro arbitrio. Dei quidem, vt patet; Angeli autem, quia beatorum minimus valentior est Diabolo potentissimo, non conditionis naturalis beneficio, sed status beatifici. Huic cognatus est repugnandi modus, quem assignat S. Petrus epist. 2.c. 5. *cui resistite fortes in fide*: quia ille etiam in fide resistere dicitur, qui piè credit, pias ad Deum preces ad impetrandam repugnandi gratiam valere plurimum. Illi verò alteri insultui repugnatur partim precibus & vitæ sanctimonia, cuius gratia singularem tutelam gerit Deus clientum suorum, sicut scriptum est: *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei*. Et alio in loco: *Ecquis vobis nocebit, si boni æmulatores fueritis*? (Hoc regulariter est accipiendum, alioqui Deus occulto iudicio suo quãdoque bonos affligi sinit à colluuie illa hominũ) partim nihil habendo cum illis commertij, non tangendo eos, nec in domum admittendo, non lædendo seu lacessendo,

S. Th. 1. p. q. 109. a. 4.

Fide resistere Dæmoni quid.

Psalm. 98.

1. Pet. 3.

Cum veneficis nullum habendum commerciũ.

do, viciſſim non afficiendo magnis beneficiis; tum quia indigniſſimi ſunt, tum quia indè magis efferantur. Noui ego in Lotharingia prædiuitem, nobiliſſimamque matronam, cuius decem liberos artibus ſuis nefandis occidit quædam venefica, in quam ſemper fuerat beneficentiſſima. Deprehenſa tandem ingrata fœmina, & rogo adiudicata, vltrò prodidit eam ſe eſſe, quæ liberis illis omnibus mortem attulerat: interrogata autem, quomodò non exhorruiſſet tam liberalem in ſe dominã tanto damno iniuriaque afficere? Reſpondit ad hoc minis grauiſſimis ac etiam baculo adegit me Diabolus, quò grauius eſſet ſcelus meum propter ingratitudinem. Quod ad ſpirituales inſultus ſeu tentationes eiuſdem maligni ſpiritus, vincuntur & repelluntur dupliciter. Primò orando Dominum, vt illum cohibeat, nec patiatur tẽtari nos ab eo ſupra id quod poſſumus; *ſed faciat potiùs cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.* Secundò frequentando ſacramenta, cooperandoque per liberum noſtrum arbitrium diuinæ gratiæ, quam conferunt, cùm de ſubigendis tentationibus illis agitur. Quæ ſanè cooperatio quò maior erit, eò fortiores in nobis relinquet virtutum habitus, & ad repugnandum tentatori efficaciores. Dixi ſuprà minimè cogitandum de damno Dæmonibus ipſis inferendo; alioqui in rebus ipſorum & aggredi & vexare illos egregiè poſſumus conuertendo videlicet homines ab errore viæ ſuæ, ac prætereà ſi Exorciſtæ ſimus

Venefica quàm ingratiſſima.

Sacramenta frequentanda.

&mandatum à præpositis nostris accepetimus, depellendo eos ab arreptitiis seu Energumenis. Hoc quippè est opera illorum dissoluere, spolia diripere, ferales possessores de possessione sua eiicere, quod profectò tyrannis superbissimis non potest nó esse molestissimũ.

Accipiamus ab affectibus, seu perturbationibus propriis, de quibus paulò antè, exemplum alterum. Ardua res est illas sub iugum mittere, illis vel ferocientibus vel lenocinantibus non consentire, vt non abs re scriptum sit Sap. 10. *dedit illi certamen forte, vt vinceret.* Et apud Platonem l. de Legib. *Vincere seipsum, omnium victoriarum prima & optima est.* Experiuntur quod dico, inter alios iracundi, dum furit ira, & pruriunt ad vindictam manus; itéque libidinosi, dum à libidine titillantur. Arduitas, fateor, est alterius speciei quàm mortis, & aliorum id genus terribilium: arduitas est tamen, atque vt superetur eximiam quandam fortitudinem postulat priori illi analogam. Aggredi & lacessere dicitur illas, qui illarum quærit occasiones. Aliquando nullo modo expedit quærere, puta, libidinis; sed benè vti licet oblatis, quæ declinari honestè non possunt. Vtemur autem prudenter, comparando nos prius ad partes omnes pudicitiæ; quia periculosissimum est, imparatos cum illis in arenam descendere. Loquendum tibi est cum speciosa fœmina; in hoc colloquio latet sanè quædam libidinis occasio, vixque prius finem habebit sermocinatio, quàm reipsa excitetur scintilla

Victoria de seipso quãta.

Colloquia cum fœminis quomodo aggredienda.

ſcintilla quædam concupiſcentiæ. Quid itaque facto opus? Paulò antè commenda te Deo, compara te ad omnem honeſtatem; ne manu quidem fœminam illam tetigeris, niſi fortè ſalutandi gratia more patrio: in eius ſpeciem ne multum intendas; cum ſola & ſine arbitro ne ſedeas; inſurgenti autem deſiderio malo intra te dicito: *Apage procul ſuggeſtio praua*, & cogitationem ad Agonothetam Deum conuertens; *Non te offendam Domine, non concupiſcam.* Ne ſim longior, ſit cor tuum ſimplex & oculi columbarum. Cum illa conuerſare ſicut ſolent fratres cum ſororibus, & patres cum filiabus nihil turpe ac nefarium cogitantes: & certè ſoror tua eſt filia Adam patris tui: Aut ſicut ſolent innocentes & paruuli cum innocentibus. Hoc modo conſolationis plenus domum victor repetes. Aliquando contrà expedit quærere, ſed moderatas; verbi gratia, bonorum virorum adire conuiuia, vt inter illos vim tibi nullam allaturos, ſed ſobrios diſcas temperantiam. Item vti ad tempus inepto famulo, vt inter expectatas in ſingula momẽte eius ineptias, ob ſimplicitatem tolerabiles grauioribus aſſueſcas, & reipſum componas ad modeſtiam atque mãſuetudinem. Hinc dicebat Socrates, habere ſe libenter domi vxorem moroſiſſimam, vt eius mores priuatim ac ſenſim ferre diſcens, multò faciliùs cũ quibuslibet haberet cõſuetudinẽ, nec indignaretur. *Socratis dictum de vxore tetrica.*

Nonò ac poſtremò confectis fortiter negotiis arduis, partâue victoria, nihil turpe

committas, quo obſcurari tuæ actus fortitudinis poſſe videatur: ingratum te Deus non ſentiat, ne inſoleſcas, ne inſultes deuictis hoſtibus (præterquam Dæmonibus, vitiis, & immoderatis paſſionibus) capiat te potius illorum miſeratio. Vt olim Paulum Æmilium, qui Perſem Macedonum Regem fleuit debellatum, & aſſidere ſibi iuſſit. Vt etiam Ageſilaum, qui obtenta inſigni victoria contra Corinthios & Athenienſes, non ſe extulit arroganter, ſed ingemuit dicens: *Heu Græcia, quæ tot viros inteſtino bello perdidit, quot vniuerſis barbaris debellandis ſat eſſe poterant.* Graue eſt victo & cuicumque afflicto conſolatorem in calamitate non habere; ſed ab aliis ſubſannari longè certè grauiſſimũ. Nebuloni cuidam optat Ouidius infortunium hoc velut extremum.

Ageſilaus parta victoria ingemuit. Plut. in eius vita.

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis vlli:
Gaudeat aduerſis fœmina virque tuis.
Accedat lachrimis odium; dignuſque puteris,
Vt mala cum tuleris plurima, plura feras.

Ouid. in Ibin.

§. 6. Fortitudinis pars potentialis eſt perſeuerantia; quia licet difficultates, ad quas ſuperandas inducit, natæ ſcilicet ex diuturnitate boni operis, minores ſint iis, quas pariunt timores & pericula terribilia metum grauem incutientia, quæ materia propria ſunt fortitudinis; in ſe tamen magnæ ſunt, & peculiarem virtutem deſiderant, cuius ope ſuperentur. Et quia magnæ ſunt, magna ſimul & eximia eſt virtus iſtiuſmodi, quam definit S. Thomas 2. 2. q. 128. *Stabilem ac perpetuam permanſionem*

Perſeuerantia pars potentialis fortitudinis.

nem in ratione benè conſiderata. Sed nihil magis videtur ad eius commẽdationem facere, quàm quod ait Christus: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: ac ſi conuerſim adderet: *Qui non perſeuerauerit, ſaluus eſſe non poterit*; ſicut qui in ſtadio currit, niſi ad metam vſque currat, brauium non accipiet. Dicitur interim vir bonus perſeuerare quantum ſufficit, ſi ſub finem ſaltem ad bonam ſe frugem conuertat, eſto priùs à vita probè inchoata ad prauam ſe tranſtulerit, vt non obſcurè ſignificant verba illa Apocal. 2. *Memor eſto vnde excideris & pœnitentiam age, & prima opera fac.* Sed quia perdifficilè eſt, vt qui degenerauit, in viam ſe rectam reſtituat, enitendum ſumma diligentia, conſtanter vt teneamus virtutis iter quod ingreſſi ſumus; à quo quia plerumque abſterrerit mutabilitate naturæ corruptæ gaudentis varietate ac viciſſitudine, & noua ſemper appetentis, loquacitate hominum inuidentium nobis heroicam illam in bono firmitudinem, apprehenſione nimia difficultatis, quæ ſemper ineſt verè magnis virtutum operibus, aut imbecillitatis propriæ, & denique opinione, quòd parum non ſit rectè inchoaſſe:

Matth. 10.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltrà.

Horat. l. 1. epiſt. 1.

Aut quòd ſuſcepto labori fructus non reſpondeat, corroborandus eſt aduerſum hæc omnia animus, non modò precibus ad Deum, cuius proprium eſt dare velle & perficere, ſed piis etiam conſiderationibus. Grata eſt, fateor, viciſſitudo; eaq;, vt ait Cicero, occurrit ſacietati.

Viciſſitudo grata.

Vndè secundùm Arist. sect. 5. probl. 10. & 11. molestius in plano iter agitur, quàm per loca inæqualia, eò quòd membra in plano eundem semper situm, modumque retinent, & quæ luxantur diu luxantur. Molestius item iacetur super lectis omninò planis & æqualibus, quàm super concauis. Et Homerus nulla re magis allicit lectorem & retinet, quàm quòd nouis noua subiiciat. Sed enim sapientis est, effrenatum hoc nouitatis desiderium ad modum reducere, nec ei proprio cum detrimento plus æquo indulgere. Fastidiens asellus herum suum hortulanum velut imponentem sibi onera iusto grauiora, petiuit à Ioue alterum, & impetrauit Coriarium, tuncque exclamauit: Me miserum! qui nunc in eum incidi, qui nec meo quidem parcet corio, quare non vixi prima sorte contentus! Cera similiter molliciem suam fastidiens, & durieiem expetens lateris igne percocti, in ignem desiliens consumpta est. Si pro tuenda corporis vita vix recedit quisquam à præscripto medici, eadem ad totam quandoque vitam imperantis; sed ab interdictis constanter abstinet, quantumuis sensus illis inhiet; multò certè magis id obseruandum pro vita spiritus, & cauendum ne de virtutum exercitiis dicamus cum ingratis & fastidiosis filiis Israel; *nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Constantia in bono seminarium est æternæ vitæ. Sicut ergo æterna vita nullum admittit interruptionis votum, eò quòd non aliud quàm summa est fœlicitas, cuius

Num. 21. *Constantia in bono seminarium æterna vita.*

cuius interruptio minima non potest Beatis non videri tormentum grauissimum; ita plane intermissione carere oportet vitam bonam.

Molesta loquacitas est, quæ recta sunt, irridentium, & opportunè importunè ab iis te auocantium. Sed quorsum ad illos respicis omni stercore contemptibiliores, nec in recessu cordis sui damnantes quasi mala quæ agis; sed suspicientes quasi clarissima lumina, quorum ferre nec volunt radios, nec possunt? Cur non potius obtutum conuertis ad Deum supremum Agonothetam operum tuorum approbatorem, & futurum suo tempore remuneratorem munificentissimum: itemque ad totam cœlestem Curiam, atque ad mortales qui pollent iudicio, & sine dubio habent te propter illa magno loco? Esto, garrulis vocibus minas illusores illi adderent; ne ideò quidem abrumpendum esset sanctum propositum:

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Nec vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Horat. lib. 1. Ode 29.

Peccatores intuere & artifices, quàm constanter vnumquemque circa professionem suã retineat oblectamenti vel lucri expectatio; nec sustineat, vt varietatis prætextu cœptum opus intermittat. Non curat verba dissuadentium, quæ scit non esse nisi verba omni bulla aquæ & leberide inaniora; sed pergit propositi sui

V u 5 tenax,

tenax, & pugnat cum duricie scommatum Annabilem fortè imitans, qui cùm periturus Italiam ad ingentem venisset rupem Alpium, prohibentem vltrà progredi; perrupit sese obiicientem, accenditque super eam lignorum struem ingentissimam, ardentiaque saxa super infuso aceto putrefecit. *Prima monachi virtus est*, ait S.Hieron. *contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

Annibal vt frangit rupem.

S Hier. ad Pammach.

Est rursus quædam in perseuerando difficultas, sed opinione minor; Nam cùm eiusdem sint rationis; quæ præcesserunt & sequũtur; si pares illis esse potuimus; cur, & quomodo non etiam istis poterimus? Vt non dicam magnæ satis esse imprudentiæ ad difficultatem solam respicere, & non ad æternam illam, in quam desinit bonorum omnium retributio. Arduũ præcipuè est integerrimæ vitæ principium; quod si iam virtute superasti, quid de vincendis quæ supersunt despondes animũ? An nõ in principio habes facti dimidiũ? Sta cum Daniele in gradu tuo. Perge quo cœpisti pede, nec dubita, quò longiùs progrediere, faciliora fore omnia. Ne instabilitate animi coronæ iacturam facias, quæ te manet perseuerantem; defectura autem est resilientem. Perseuerantia summi Regis est filia, virtutum finis & consummatio, totius boni repositoriũ, & virtus sine qua nemo videbit Deum. Militum præmia quàm sunt leuia? Cauent tamen à pacto discedere, dum vel ea considerant, vel

Dan. 10.

Perseuerantia quanta Virtus.

istas

istas Ducum suorum voces audiunt:

Durate & vosmet rebus seruate secundis,
O passi grauiora; dabit Deus his quoque finem. l.1. Æneid.

Imbecillitatem tuam ne commemoraueris: omnia potes in eo, qui te confortat; & iam ostendi multum te posse, cùm dederis operi bono principiũ. Pauciora quandóque possumus, quàm credimus: sed vicissim plura sæpè, quàm arbitramur. Patet quod dico in Simplicio illo, qui teste Aug. l.4. de anima cap. 7. ordine etiam retrogrado recitabat versus quoscumq; Virgilij, & prosam Ciceronis, affirmans se nescisse tantum sibi esse memoriæ. *Simplicij memoria fœlicissima.*

Quanquam autem magnum, multúmq; est boni operis fecisse principium; si nihilominus ibi gradum sistas, nihil aut parum contendo esse: quia *bonum consurgit ex integra causa: malum verò ex quocumque defectu.* Imitandi proindè fortissimi illi Romanorum Duces, quorum quilibet supra modum instabat cœpto operi: S. Dion. lib. de diu. nom. c.4.

Nil actum credens, si quid superesset agendum. Lucanus.

Fœliciter cœpisse, at non perdurasse, quid iam prodest Iudæ damnato in æternum? Fœlicia spiritualis vitæ fundamenta iecerant Galatæ; sed quia refrixit eorum virtus, audierunt ab Apostolo: *Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, carne consummemini? Currebatis benè, quis vos fascinauit? Miror quod tàm citò transferimini.* Gal. 3. & 5.
Equidem mutare consilium licet, quod iã apparet illicitum, vel impossibile, cùm prius licitum, salutare, possibile crederetur; aliàs non, sed insistere arrepto bono cõuenit immobiliter,

Hos.6. ne dicatur nobis: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens.*

Traculas vnde ridiculus. Nihil magis ridiculum fecit olim Traculam; quàm quòd cùm per totum decennium virtute claruisset, duodecim sequentibus exercuit latrocinium; postremis verò pupillus ob decoctam rem familiarem. Diabolo quid prius exprobrat Christus, quàm quòd in veritate non

Ioan.8. steterit? Quid magis risui exposuit statuam

Dan.2. Nabuchodonosor Regis, quàm quòd in ea aureo capiti succederet pectus argenteum; huic crura ferrea desinentia tandem in pedes fictiles? Facilè procedit currus, cuius motus nō interrumpitur; sin autem intermittatur, nō nisi magno labore posteà impellitur & trahitur; Ita omninò ægrè bonis restituuntur initiis, qui semel deficiunt. Quocirca viro prudenti singularis hæc sit cura ad virtutem perseuerantiæ: quantū in ea sitū sit cōsiderare, parūque interpretetur benè inchoasse, nisi coronet opus suo fastigio. At fructus suscepto labori non respondet. Apud homines fortè non, sed semper apud Deum, sicut scribit Apostolus 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Magni fructus longam culturam desiderant, nec nisi tardè maturescunt. Perfecta item animalia non statim in lucem prodeunt. Ita nobilissima virtutum opera lentè duntaxat ad exitum perducuntur. Perseuerantia proindè indigent, cuius retinendæ studium sibi fuisse penitus insitum,

situm, declarat his verbis S. Chrysostomus: *Multi non astipulantur his, quæ à nobis nunc sunt dicta; sed ea vt delirium & fabulam audientes minime sunt attenti ad orationem nostram. Vnde ego crucior & doleo, quòd neque tot & tales Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidianæ admonitiones nostræ apud tales proficiunt. Non tamen cessabo etiam sic ab hoc consilio, donec continuitate importuna tandem victor resipiscere ipsos fecero, & à crapula ac ebrietate, qua laborant; & à pecuniarum cupiditate, quæ mentem illorum obtenebrat, eruere valuero. Scio enim scio, quòd per gratiam Dei sermonum nostrorũ frequentia poterit ipsos vel serò à difficili hoc morbo liberare, perfectaque sanitati restituere.* Sanctus verò Basilius in Constit. exercit. cap. 1. vertit se in omnem partem, vt admoneat, ne desperet, nec desistat qui orauit diu, nec tamen impetrare adhuc potuit; fore enim, vt digna Deo postulans tandem accipiat, sicut Luc. 11. Ille qui ab amico & importunè petiuit panes, post aliquam repulsam accepit tandem quotquot habuit necessarios. *Exemplum*, inquit, *dat nobis Dominus, vt doceat nos robustos esse ac contentiosos in fide. Exemplum enim sumit ab homine ad hominem, vt discas nunquam desperare, & vbi petieris & non acceperis, non desistas, donec accipias.* Faciamus inchoato, sed nundum perfecto virtutis cuiusdam opere melius quoddam occurrere; non ideò statim abiecto illo faciendus est ad istud transitus. Aut enim isto saluo potest illud perfici, aut non. Si potest, perficiatur; si non potest, adhuc

S. Chrysost. hom. 3. in Genes.

Perficiendũ susceptum opus.

huc nihilominus perficiatur, (quando à posteriori non multum bonitate superabitur) tum ne omninò pereat labor præteritus; tum etiam vt colere discas constantiam, operamque non perdere transferendo te leuiter ab vno in aliud. Obserua interim perseuerantiæ non repugnare inconstantiam necessariam, vt quis finem bonum assequatur. Vt docet his verbis S. Greg. Naz. in epistola ad Greg. Nyssenum, quem Apostolico more varia peruadentem loca quidam calumniabantur velut instabilem, & lignis persimilem, quæ feruntur aquis: *Absit, vir eximie, vt ita affectus sis. Illorum enim cursus coactus est; tuus autem circuitus Deo gratus, fixumque tibi ac stabile est multis prodesse, quamuis loco minimè fixus sis. Nisi quis solem accuset, quia in orbem currit, omnibus rebus quas obit vitam afferens; aut etiam inerrantes stellas laudans, Planetas vituperet, quorum error ipse quoque compositus est & concinnus.*

Circa materiam Patientiæ, quid faciendum dictet Prudentia.

CAPVT VI.

§. 1. *Quid sit Patientia, quomodò se habeat ad Fortitudinem.*

2. *Quotuplex sit Patientia, vbi de patiendi modo multiplici.*

3. *De*

3. *De optimis & verè Christianis stimulis ad Patiendum*

4. *Excusari neminem, qui vt temporale damnum à se auertat, facit quod non licet aut contrà facere prætermittit quod tenetur.*

§.1. PRÆCEDENTI capite partes Fortitudinis duas esse diximus; & vnius quidem munus confirmare nos, cùm vel exspectantur & instant, vel reipsa in nos irruunt terribilia, vt mors, mutilatio, deportatio, & id genus alia: Alterius verò excitare, & incitare ad repellenda ea, & perrumpenda. Difficile est à priore illa distinguere Patientiam. Nam reuerà Patientia quoque videtur dura pati; hoc autem facit vir fortis partis illius prioris adminiculo. Vndè seorsim de Patientia nullibi disputauit Aristoteles; sed vbique confudit eã cum Fortitudine, & S. Thomas 2. 2.q.136.a.4. scribit: *Patientia potest quantum ad aliquid sui poni pars integralis Fortitudinis.* Fortitudo, inquies, sustinet mala grauissima, quæ ob id vocantur Terribilia; Patientia verò minora. Sed contrà, si ope fortitudinis perferri grauissima possunt, multò magis faciliora; ideóque nihil necesse videtur ad ea perferenda distinctam à Fortitudine virtutem ponere. His tamen non obstantibus, credendum est alteram ab altera differre simpliciter, non solùm propter verba illa: *Melior est patiens viro forti*; quæ id sanè non obscurè demon

Patientia & fortitudo differunt. Prou.16.

demonſtrant: ſed etiam quia pars illa prima Fortitudinis non reſpicit propriè, & per ſe mortem, aliaque terribilia, vt ſunt præſentia; ſed vt imminent & metu vehementiſſimo afficiunt, aduerſus quem fortitudo firmat animum, vt nec idcircò ab officio recedat, nec indecorum aliquid faciat. Per accidens itaque fit, vt ſint præſentia, & cùm ſunt, tolerantur conſtanti animo à viro forti vt fortis eſt, virtute ſcilicet illa, quæ eorum metum per ſe terribilem moderabatur. Patientia autem circa metum mali non verſatur; ſed circa malum, non vt futurum, vel imminens; ſed præſens: obſtatque ne eius præſentia nimis frangatur animus, & omittat, faciatque aliquid contra dictamen rectæ rationis. Ita videamus præter vinum, & alia id genus potuum genera, datam homini à Deo ſubſtantiam quæ per ſe nutriret, nempè cibum; quia licet vinum quoque nutriat; per accidens tamen id facit, per ſe autem tollit ſitim. Negari interim non poteſt, priori illi Fortitudini affinem valdè eſſe Patientiam propriè dictam, multáque illis cómunia: quod etiam ex iis quæ ſequuntur, licebit intelligere. Conſtat præterea Patientiam, vt à fortitudine diſtinguitur, potiorem eſſe, cùm ſit longè difficilius præſentia mala grauia ſuſtinere, quàm conſtanter expectare imminentia.

Patientia quomodo verſetur circa malũ.

§. 2. Patientia duplex eſt, corporis vna, animi altera; quarum illa nullum ex ſe habet pretium, nec virtutis meretur nomen, cùm ſit homini

Patientia duplex.

homini communis & belluis; viro item bono & malo, multa velit nolit perferenti. Hæc verò dicitur Patientia spontanea, quàm vltrò admittit voluntas; sed non idcirco semper est Virtus, habetque laudem, vt ex tormentis liquet falsorum martyrum. Quocircà requiritur insuper iustus & honestus patiendi titulus, qui quia iisdem pseudomartyribus deest, & pyratis & furibus, &c. patientes dicendi non sunt, sed pertinaces; quandiu erroris & sceleris sui tuendi, aut promouendi gratia, mala sustinebunt, (secus si causa satisfaciendi Reipublicæ, ac iustitiæ quam læserunt.) Patientes quidem se iactant esse, sed frustrà: *Pertinacia constantia dici affectat, & non est: quia illa est virtus, hoc vitium. Catilina, vt de illo scripserunt, qui nosse potuerunt, frigus, sitim, famem ferre poterat; eratque patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm credibile est: ac per hoc & sibi & suis magna praditus fortitudine videbatur. Sed hæc fortitudo prudens non erat: mala enim pro bonis eligebat. Temperans non erat, corruptelis enim turpissimis fœdabatur. Iustitia non erat, quia contra patriam conspirabat.* Hæc S. Augustinus, qui alio quoque loco latrones ridet, vendicantes sibi patientiam veri Martyrij: *Quæ est ista dementia, vt cùm male viuitis, latronum facta facitis, iure punimini, gloriam Martiri requiratis?* Cæterùm patiēdi modus duplex est, *alacriter* & *patienter*, de quo sat multa iam diximus præcedenti capite §. 3. V. *Modum*. Hoc solùm iam addo, licet posterior iste patiendi modus sit ex suo genere imperfectior;

Iustus titulus patiēdi.

S. August. epist. 29.

Epist. 116.

Patiendi modus duplex.

quandóque nihilominus maioris est meriti; hoc est, quando Deus suspendit consolationes penè omnes, quibus lenire solet passionis amaritudinem, virtutíque relinquit superandam, quod certè virtus nisi magna sit, & valdè connitatur, facere nullo modo potest. Hanc sibi elegisse Christum Dominum, illa eius verba ostendunt: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.*

Marc. 16.

§. 3. In eodem præcedenti, cap. §. 4. multa complexus sum, quibus plurimùm iuuari quiuis potest non ad Fortitudinem modo acquirendam; sed etiam Patientiam. Neque enim aliquid vetat, vnam eandemque viam conducere ad vtriusque adeptionem; Sicut nec quosdam cibos, pharmaca, & exercitia ad corporis valetudinem, roburque prodesse, esto aliud sit robur, aliud valetudo. Sed iam dictis addenda similiter sunt aliqua. Primum, vide patiendo habeas intentionem bonam & rectam, sine qua parum proderit quidquid acquisieris. Dira planè pertulerunt Romani, sed vt plurimum frustrà; quia omnia ad meram ostentationem referebant. Recta erit si mala sustineas; quia ita Deo placet immittenti ea vel permittenti, cui molestis etiam in rebus morem gerere tam est optabile, vt Christus Petro, à quo à passione ex simplicitate licet, auocabatur, indignatus sit dicens: *Vade post me Satana; scandalum es mihi; quia non sapis ea, quæ sunt Dei; sed quæ hominum.* Et alibi: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibā illū?* Item

Intentio recta sit patiendo.

Matth. 16.

Item si patiaris, vt hoc ipso eidem patienti assimileris,& dicenti, Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,& tollat crucem suam, & sequatur me.* Mirum, quod de Ænea Principe narrat Virgilius (nam etiam à profanis petere nos decet, quæ possumus, incentiua pietatis.) Audiuit Alcidem pro Deo habitum non exhorruisse, sed ingressum fuisse miserum Euandri hospitium:

—— Hæc limina victor
Alcides subijt, hæc illum regia cœpit.

Lib. 8. Æneid.

Et mox eò ipse quoque pedem intulit; quantò magis te decet Christi veri Dei viam sequi, & cum eo aduersa pati? Item si patiaris, vt de tuo aliquid in satisfactionē pro peccatis propriis contribuas, & pronam ad malum naturam compescas, ac contineas. Loquentem hîc audi S. Basilium: *Nolo te eodem modo affici cum reliqua mortalium multitudine, neque mox male affecto corpore consternari; sed in passione tolerantem esse, & mentem tunc maximè expurgare, arbitrarique morbum tibi disciplinam, institutionemque quandam esse, ad id quod vtile est; & contempto tempore totus ad cœlestium consortium transeas, proque præsenti seculo viuas futuro. Si ista meditatus, & ita comparatus fueris, maximam lucri facies vtilitatem, & nos tui gratia exhilarabis, multosque ad hoc institues, vt in passionibus sint tolerantes.* Quæ quidem postrema verba nouam quandam rectè patiendi mentem continent, vt nempè alij exemplo nostro

S. Basil. in epistol. ad Eudox.

persuadeantur, quæcumque dura & molesta perpeti. In quem finem plerosque à Deo exerceri, liquet ex sacra illa sententia: *Hanc autem tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob.* Vbi porrò multi ex te didicerint pati, lusisse te credes operam? absit. In partem venies meritorum omnium, quæ patientia sibi sua congregabunt in vitam æternam.

Tob. 2.

In tristitia quid agendum.

Secundum, grauiore tristitia ob res aduersas si te laborare senseris, ora instanter Deum tibi sanè adfuturum, vt promittere dignatus est Psalm. 90. ac te fortè curaturum cum Ezechia, Isa. 48. & cum Innocentio illo, de quo valdè ægrotante & piissimè orante, S. August. l. 22. Ciu. cap. 8. *Domine, quas tuorum preces audis, si huius non exaudis?* Magnum tibi sit cum pio doctoque sacerdote commercium. Citò illam dissipabit argumentis validis, piis monitis, atque consiliis. Nec minùs fortè prodերunt eruditi pijque Concionatores, tunc etiam cùm nihil tale cogitant, enuntiantes plurima ad eorum consolationem, qui malis suis ex audito Dei verbo antidotum quærunt. O quàm multos audiuisse me recolo ingenuè fatentes, se à concione domum rediisse graui mœrore vacuos, quem secum attulerant armatos contrà patiendi desiderio, quod minimè attulerant; non ideò solùm quòd Deus varietate rerum, quas interpres sacer loquitur, abducat à tristibus obiectis mœrentis animum; sed multò magis quòd ipse idem totius consolationis author

author eodem præcone suo vtatur ad fugandum mœrorem illum, & inserendam cordi tolerantiam.

Tertium, blasphemias & cogitationes quasdam cohibe, quæ dum irrepunt & admittuntur, mentem valdè exulcerant, omnique patientia destituunt. Huiusmodi sunt: *Odit me Deus*, cùm malis premit, aut premi patitur. Ad nihil mihi vtilis esse potest aduersitas. Innocens sum, nec quicquam tale commerui, affligor solus lætantibus cæteris, nemo saltem alius tam dira patitur, malo excrucior non habituro finem, irrecuperabile bonum est quod perdidi, &c. Imponunt enim tibi hæ omnes sententiæ. Nam quomodo te in aduersitate versantem contēnit vel odit Deus, qui ait: *Cum ipso sum in tribulatione*? Fuit ipse in laboribus à iuuentute sua, non ergo odit, nec despicit laborantem; quia despiceret sibi similem. Mirum si ignoras, aut attendere negligis, quod scriptum est, Hebr. 12. *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Sicut Assuerus Rex amans Vasthi vxorem suam, honorate volens cogitauit pulchritudinem eius ostentare Principibus & populis; ita Deus virtutem tuam vult proximis tuis notam facere, & palam probare multis tentationibus, de quibus S. Basilius: *Virtutem non ostendisti talem, quæ nulla sit examinatione probata; neque in solo tranquillitatis ac serenitatis tempore rectam tenuisti nauigationem menteśque aliorum gubernasti; sed in molestiis tentationum constans*

Blasphemia cohibenda

Blasphemiarum in Deū formulæ.

Psal. 90.

S. Basilius epist. 131.

apparuisti. Simile quid cernimus in humanis corporibus & nauigiis, quæ benè disposita ad sanitatem & nauigationem magni fiunt; multa ferunt incommoda, nec ob illa succumbunt. Valetudinaria autem corpora, & nauigia parum firma, nautisque instructa prauis, ne parua quidem sustinent. Sufficit quod tibi citrà peccatum liceat sensum habere moderatum mali tui siue infortunij; ipsam porrò Dei dispositionem quasi iniuriam tibi facientis, nec satis prouidi accusare, interdictum planè est impium, vt tradit S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 10. Erras secundò, cùm nihil tibi prodesse posse censes calamitatem. Non ita sentit, nec loquitur Dauid, Psal. 118. *Bonum mihi quia humiliasti me.* Nec Ioseph Patriarcha, Gen. 50. *Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me.* Nec S. Augus. cuius verba sunt: *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur; aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Non parum est, quòd teipsum noris; Facit autem te tentatio tui cognitorem. Contrà: *Qui non est tentatus quid scit?* Exploratam habuit Hieremias imbecillitatem suam, sed quando, nisi in aduersitate? *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Eodem spectant verba, Senecæ l. de prouid. *Miserum te iudico, qui nunquam fuisti miser, traxisti sine aduersario vitam. Nemo scit quid potueris, neque tu ipse: opus enim est ad sui notitiam experimento.* Muri, scuta, loricæ,

S. Aug. in Psal. 54.

Ecclef. 34.

Thren. 3.

ticæ, aurum, & similia quàm bona sint ac solida, nisi arietantes machinas sentiant, nisi ictibus, globisque petantur; nisi mittantur in caminum ignis, certò scire non possumus. Ad consolandos alios idoneum te facit aduersitas, quia peritus rerum expertusque efficaciora & saniora das consilia. Sicut dicit Eccles. 34. *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius.* Eadem iucundiora facit bona sequentia, quia longè gratissimus est transitus à malo ad bonum, à fame, siti & labore, ad cibum, potum & quietem. Eadem modicum est pretium, quò debita maxima dissoluuntur. Plus placatur Deus afflictione leui præsentis vitæ propter ipsum, vel vltrò suscepta, vel patienter admissa, quàm benè magna futuræ, vt potè plus necessitatis habente quàm voluptatis. Quod cùm ita sit, cur in tanta lætitiæ occasione ab animi tranquillitate recedas? Terram imitate immobilem, & à situ suo nunquam recedentem; esto nunc ex vna parte, nunc ex altera noua & maiora sustineat pondera; sed imbecilliora, quàm vt protrudendo eam præualere possint resistentiæ immensi oppositique aeris; sicut pluma tenuissima lanci superposita deprimere illam nequit obsistente subiecto aëre. Eadem aduersitas dispositio est ad consolationes maximas, & spiritualium mensura gaudiorum, sicut dicit Psalmus 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Eadem exigua vitæ huius incommoda

Aduersitas dispositio ad consolationes maximas.

cum maximis commutat futuræ commodis, eóque pertinet promissio illa dulcissima: *In paucis vexati in multis benè disponentur.* An verò potest priuilegium hoc videri exiguum, quod in rebus caducis, sublunaribus, & nugatoriis magnum reputant habitatores terræ, semper sibi gratulantes paruum detrimentum, quo emi posse vident maius emolumentum? En tibi exemplum opportunum, simulque lepidum. Nobilis quidā mihi notissimus cùm die quodam iter faciens asellum obuiam habuisset instructum prælongis auribus, famulo cuidam suo dixit: iam datur nobis oblectationis iucundæ occasio, gladium tuum exere, & eleganti huic auiculæ alam vnā præcidito. Dictum factum. Videns autem bruti Dominum ægrè id ferentem dixit: boni consulas, rogo, quòd me actu isto recreauerim, en tibi satisfactionis loco coronatum. Placuit rustico satisfaciendi modus & genus, adhibitóque vxoris consilio die sequenti ad arcem venit asello comite, nobilemque illum est obtestatus, vt dignaretur pari pretio obtruncata miseri animalis auricula altera sese oblectare. Risit tunc ille solito effusiùs, pactoque inito magno cum apparatu accinxit se ad mutilationem alteram.

Sap. 3.

Innocentem sese reputare nemo debet.

Nequaquam præterea est modesti animi se prorsus credere innocentem, nec quidquam commisisse præsenti calamitate dignum: audiatur potius ex ore tuo versus ille Dauidicus: *Non secundū peccata nostra fecit nobis, neque*

Psal. 102.

neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Inre propria ne simus Iudices; quia huiusmodi iudicium est suspectissimum. Vtamur dilemmate saluberrimo S. Hieronymi, qui in Epistola ad Blesillam cùm dixisset: *Respice Iob quanta sustinuit, & videbis te nimis delicatam; illũ erectis in cœlum oculis, inter ruinas domus, pœnas vlceris, innumeras orbitates, & ad extremum vxoris insidias inuictam tenuisse patientiam. Scio quid responsura sis, hoc illi quasi iusto ad probationem euenisse.* Mox adiecit: *Et tu è duobus elige quod velis. Aut sancta es & probaris, aut peccatrix, & iniustè quereris minora sustinens quàm merearis.* Supponamus tamen, disputationis causa, te prorsus innocentem; euenire poterit vt mœreas, videns te bono priuari quo es dignissimus, aut affici contrario; ex altera tamen recreabit te similitudo cum Christo, qui cùm nec peccatum fecisset, nec inuentus esset dolus in ore eius, mortem sustinuit, & crucis quidem. Reficiet te conscientiæ bonæ testimonium, à quo solatium petebat Socrates, quando comploranti muliebriter vxori dicentique: *Mi vir innocens morieris. Quid vxor,* respondit ille, *num me nocentem malles mori?* Quasi diceret: mors bonorum ob hoc ipsum minus deflenda est, quòd præter meritum vita destituuntur. Bis verò deplorandi sunt, qui ob malefacta dant pœnas, quas meruisse deterius multò est, & videri debet, quàm dedisse.

Conscientiæ bonæ testimonium.

Rebus in aduersis versari te solum, cæteros

omnes iucundam vitam traducere, ideò tibi persuades, quia non illorum crucem, sed solam tuam experiris, non permutaturus sanè si alienæ quoque peritum te fecisset vsus. Habent omnes velint nelint, quod patiantur; quãuis Reges sint & Principes, quorum conditio vt fœlicissima appareat & rosa quædam; spinis tamen suis circumuallatur nec paruis nec paucis. Si ita est, inquis, quî fit, vt quandoque nihil pati videantur? Quia prudentes sunt & verè patientes, dissimulare norunt ac premere animi ægritudinem, sicut Aod. Iud. 3. manu sinistra vtebatur perindè ac dextra, quod in ciue quouis magnoperè requirit Plato l. 5. de Rep. Ita illi aduersis vtuntur vt prosperis, vtrobique sibi præsentes & infracti, agnoscunt se pœna dignos, humiliantur sub potenti manu Dei, & dicunt: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Tunc misertus illorum Deus afflat eos miris consolationibus, quibus exterior quoque facies hilarescit. Norunt itaque perenni vti animi æquabilitate, non efferuntur secundis, nec deprimi se sinunt aduersis. Optimum faciunt ex vtraque rerum conditione temperamentum priscis laudatissimum, quorum vnus.

Psal. 118.

Consolationes à Deo in aduersis.

Horat. l. 2. Carm ode 3.

Æquam memento, rebus in arduis
Seruare mentem; non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia moriture Deli
Seu mœstus omni tempore vixeris.

Addit verò.

Sperat

Sperat aduersis, metuit secundis Ibid. Ode 140.
Alteram sortem benè præparatum pectus,
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare, sapienter idem,
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Adhæc non tuo more se solos credunt miseros, sed alios quoque meditantur malis exerceri; atque ita leuius ferunt & assuescunt; perindè ac Demosthenes, vt facilè ferret perorando auditorum strepitus, quandóque declamabat circa littus maris, vbi ingentibus procellis nec ipsum petitum commoueri videbat, nec scopulos. Dicentem audiuerunt Apostolum: *Omnes qui volunt piè in Christo viuere persecutiones patientur.* Vident se habere vbique malorum socios & aiunt: Mecum Ezechias ægrotat ad mortem, visu orbatur Tobias, Iob filiis. Mecum exulat Helias, secatur Isaias, in mare Ionas præceps agitur, lapidatur Stephanus; Ioanni Baptistæ caput demetitur. Mecum sentiunt vitę tædium etiam qui iudicantur fœlicissimi. Nam, vt scribit Cicero l. de Sen. *Rerum omnium satietas vitæ satietatem facit.* Mecum liberos nullos suscipit Alexander magnus, Numa, Romulus. Mecum degeneres experiuntur Adam, Noe, Abraham, Ezechias, Dauid, Scipio Africanus, Cicero, Fabius Maximus. Mala denique præuident superuentura præsentibus commodis alternatione mirabili, ad quam respiciẽs Philippus Macedo cùm audiuisset tria sibi fœliciter eodẽ die contigisse; se

2. Tim. 3. *Malorum socij.*

Philippo Macedoni dies fœlix.

se quadrigis vicisse Olympia; Parmenionem exercitus Ducem bello fregisse Dardanes; natum sibi ex Olympia vxore masculum, sublatis ad cœlum manibus. *O Damon*, inquit, *mediocri hac aliqua repende clade*. Expecta & tu venientia, vt postquàm euenerint dicendi ius habeas.

Plut.lib.de Consol.

1.Æneid.

Nulla mihi noua nunc facies, inopinaque surgit:
Omnia percepi atque animo mecum ante peregi.

nempè *multum animi prouisio, preparatioque potest ad dolorem minuendum*, vt scribit Cicero in 3. Tusc. Quæ tandem sunt verba ista? Malo excrucior non habituro finem, irrecuperabile bonum est quod perdidi? Meliora quæso. An non aliquando finem impositurus es vitæ? Hic autem si benè vixeris, meta erit laborum omnium, *mors vltra non erit, non clamor, non luctus, non dolor vllus*: & dicet animæ tuæ qui sedet in throno. *Surge amica mea & veni: iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Ecce noua facio omnia.* Sanè vt velles ac conareris, non posses in hac vita semper esse miser, vbi inter nubilos aliquis semper iucunditatis intermicat dies.

Cant.2.

Apoc.21.

Horat.lib. 2.Carm. ode.9.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inaequales procella.

Scriptum reliquit alius:

Ouid.l.4.de põto.

Nil adeò fortuna grauis miserabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum.

Impatiĕtia. Facit sola impatientia & imperitia nostra, vt perem

perenne videatur malum, quodcumque paulò est diuturnius. Nihil maius tibi perire potest, quàm diuina gratia, quæ nihilominus ad portam stat, parata tibi restitui, si ostium ei aperueris, & in quacumque hora seriò ingemueris, ac pœnitentiam egeris; quod quominus facias, per te tantum stabit. Amissam vitam, valetudinem, vxorem, liberos, amicos, membra, visum, possessiones, & eiusmodi omnia in æternum restituet tibi, vel in melius aliquid commutabit summus mundi rector. Palam hoc profitebatur, & singularem indè consolationem hauriebat adolescens ille fortissimus, cuius ad Antiochum tyrannum verba erant. 2. Machab. 7. *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Quanquam in præsenti etiam vita recuperantur amissa plurima aut iis similia. Quo spectare potest dictum Senecæ lib. de remedio fortunæ: *Vxorem bonam amisisti, vtrum inueneras, an feceras? Si inueneras, habere te aliam ex hoc posse intellige: si feceras, benè spera; res periit, superest artifex.*

Gratia diuina iactura quanta.

Quartum & vltimum patientiæ remedium §. huic inserendum sit, propriorum commodorum meditatio, quæ aduersas res tuas comitantur. Quemadmodum immobilis semper stat terra; quia minus est pondus vnam eius premens partem, quàm vt prævalere vi possit oppositi & immensi aeris premi nolentis ac diuidi, sed resistentis. Ita virum bonum mala perferentem commoueri non facilè sinit bonorum

norum illorum consideratio. Exemplum. Orbat te ęgritudo incolumitate pristina, sed occasionem simul adimit nugandi, & mala faciendi, quæ sanus operabaris otio abutens & viribus, aut facilè operaretur indoles tua biliosa. Melius insuper ante oculos ponit sanitatis bonum, quanto sit studio conseruandum, vbi deperditum fuerit penè irrecuperabile. Prohibet incumbere in studia literarum, & fortè amico respondes.

Ouid. l. 5. Trist. Eleg. 10.

Cogis vt oblectem studio lachrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est, quod amice mones, quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.

Viciſſim largitur spatium, quo suspensa ad tēpus externarum speculatione rerum introspicias teipsum ac colligas; te, tuáque consideres, de salute tua impensiùs cogites, déque mediis ad eandem necessariis. Hostes tibi sunt & æmuli, eris hoc ipso cautior, quasi inter scorpiones habitans, ne quid dicas aut facias, quod carpi à talibus possit, ad hoc vigilantibus, vt in te inueniant quod reprehendant exprobraturi fideliter si inuenerint; tibi autem vtilissimum est vel à talibus admoneri. Calūniam pateris, & talem fortè, qua iustissimè

Ex calūnia emolumētū.

plecti vulgò crederis; cùm tamen à scelere immunis sis, cuius inuidiam, odium, pœnamque sustines. Capit me planè tui sic affecti miseratio: nam vt rectè, ac verè scriptum reliquit

;it Boetius lib. 1. de consolatione prosa 4. *ma est aduersa fortunæ sarcina, quòd dum mise- liquod crimen affigatur, quæ perferunt, meruisse untur.* Sed enim emolumentum indè resul- ion vulgare; experiris tuo damno calum- malum non antè creditum, illúdque abo- ans calumniari alios posteà exhorrescis. t tibi de charis quispiam vel pars rei tem- ilis, liberaris simul à curis multis & prauis ctibus, quibus fiebat vt minus purè Deum res; & discis componere te ad tranquilli- n, exemplo S. Melaniæ, & debellati à Ro- is Antiochi. De illa scribit S. Hieron. *ta Melania calente adhuc mariti corpusculo, cdum humato duos simul perdidit filios. Quis tunc non putaret more lymphatico, sparsis cri- , veste conscissa lacerum pectus inuadere? La- ma gutta non fluxit; stetit immobilis, & ad pe- duoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit. ditiùs, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia ne onere liberasti.* Antiochus autem amissa & vltra Taurum montem relegatus, gra- egit Romanis, quòd magna parte curarum os liberatus esset.

Patientiæ exempla præclara.

S. Hier. epi. ad Paulam super obitu Blesillæ.

Quæ cùm ita sint, esto in posterum hac te conspicuus, à clamoribus & lamentis ae nihil profuturis. Neque enim recupe- quod amisisti, mortuos non reuocabis itam, domum non restitues quæ confla- t. Mitigabat cogitatione simili dolorem Dauid, interrogatus, cur non proseque- lachrymis filioli sui obitum 2. Reg. 12.

Propter

Propter infantem, dum adhuc viueret, ieiunaui, & fleui: dicebam enim, quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me. Voces querulas & eiulatus relinquere mulieribus tam illarum proprias, vt viros in aduersis lugentes indui iusserit Lyciorum legislator fœmineis vestibus velut occupantes fœminarum mores & officium. Si gemis ob bonum quoddam perditum, aut impactum malum; cur non potius gaudes propter tot alia quæ supersunt bona, & tot alia quæ procul à te sunt mala? cur tam auidè argumenta occasionesque vel minimas arripis tristitiæ, maximas verò lætitiæ contemnis ac præteris? Sic sanè imitaris stultum illum, qui cùm vinum multum primæque bonitatis venderet, sibi acidum, in vappamque deprauatum iubebat afferri. Ne te excusaueris dicendo, grauius esse onus, quàm vt ferre valeas. Dat quippè Deus *niuem sicut lanam*; id est, per proportionem lanę immittit frigus, nemini onera imponit importabilia; idem quod Romani obseruat diligenter, qui gladiatores inter se non committebant, nisi viribus plus minus pares; non autem Græci, per quos in Olympiacis coronari nemini licebat, nisi congressus fuisset cum quouis sese offerente; eúmque superasset. Laudarem si tristitia tua de peccatis propriis esset propter Deum, quandoquidem hæc

Plut. de Cōs. ad Apollo.

Idem lib. de ant. tranq.

Psal. 147.

Idem ibid.

Tristitia de peccatis.

salutem operatur, (quanquam hæc quo-
modum postulat, vt non sit absque spe,
ilque distet à tristitia Esau, de quo Hebr.
Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cùm
ymis inquisisset eam) aut ex magno zelo sa-
alienæ proficisceretur, sicut reuerà ex
fonte manabat illa Apostoli: *Veritatem* Rom. 9.
non mentior, quoniam tristitia magna est mi-
continuus dolor, &c. Et Actor. 17. *Incita-*
spiritus eius in ipso videns idololatriæ dedi-
initatem. Illa item, de qua S. Augusti-
ib. 9. de Ciuit. cap. 5. *Irasci peccanti vt*
tatur, contristari pro afflicto vt liberetur, ti-
periclitanti ne pereat, nescio vtrum quis sana
leratione reprehendat. Sed valdè gemere, &
o fletu rigare genas pro malis caducis &
ientaneis, animum ipsum dominum cor-
graui mœrore afficere pro aliquali huius
nmodo, non est profectò dignitatem e-
gnoscere, nec vt par est reuereri, nec ad
tatem respicere, quæ virum decet. Ne
ita colliquescas, ne deflendis peccatis
ndas preciosas lachrymas ad tempora-
iala transferas. Id si impetrare à te non
t ratio, sufficiat tibi saltem deflere præ-
t, nec facilè vetera luxeris iterum, vel
moriam reuocaueris; *Sufficit diei malicia* Matth. 6.
Iuuat, fateor, iuxta Poetam, memi-
veterum, quando non tam mala fue-
quàm malorum pericula, aut certè par-
la; non autem quando grauissima, quorũ
ientem memoriam sic inducit Æneam.

Eneid. 2. *Infandum Regina iubes renouare dolorem,*
Troianas vt opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai, quæque ipse miserrima vidi.
Quanquam animus meminisse horret, luctuque
refugit, &c.

Te fortè dices non lugere propria, sed cum Heraclito communia humani generis, mundum vniuersum in maligno positum, refertumque sceleribus, vanitatibus, iniustitiis, petriculis, fraudibus, bellorum motibus, timoribus, tristissimisque nuntiis. Habet quidem minus vituperij concepta de his tristitia, adhuc nihilominus mitiganda est, & constanter perferenda. Querelæ hæ sunt ætatum omnium, nihil hac in parte sub sole nouum: *Maiores nostri questi sunt, nos querimur, posteri nostri querentur, euersos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas in omne nefas labi.*

Sen. lib. 1. de Benef. cap 10.

Lacedæmonum Respublica.

Quæ respublica olim fuit Lacedæmonia clarior atque absolutior? Hæc se profitebatur, ostentabat, reipsaque exhibebat formam cæterarum: Et tamen sub Agide sene venit senex alius deplorans apud illum priscas leges & instituta vetera aboleri, praua quæque succedere, quæ summa fuerant, in imum deiici.

Ac Romana.

Secundas Romana tenuit, egitque optimis moribus, & maxima concordia inter secundum & postremum bellum Carthaginense, posteà autem in deterius abierunt omnia: *Iniuriæ validorum, & ob eas discessio plebis à Patribus, aliaque dissensiones domi fuere. Simili imperio cœpere Patres plebem exercere*

Sallustius.

care, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, & ceteris expertibus soli in imperio agere. Quibus sæuitiis & maximè fœnoris onere oppressa plebs., cum assiduis bellis tributum simul & malitiam tolleraret, armata montem sacrum atque Auentinum insedit. Maiorum mores non paulatim vt anteà, sed torrentis modo præcipitati, adeò iuuentus luxu atque auaricia corrupta est, vt meritò dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, nec alios pati. Narrantur ipsimet Dij præ corruptela ciuitatis aliò commigrasse:

Discessere omnes adytis, arisque relictis
Dij, quibus Imperium hoc steterat. Virg. lib. 1. Æneid.

Reperiemus, mihi crede, si Annales reuoluamus superiorum temporum, deteriorem fuisse quoad multa rerum statum, quàm modo sit. Qualiscumque autem fuerit, aut tibi iam appareat, ne mireris super hoc, memento te in hac vita peregrinum, & malis vtere præsentibus ad concipiendum maius ac maius hinc emigrandi desiderium. Non te perturbent, quæ de Reipublicæ motibus, deque bellis circumferuntur; sed erudiant & cautum faciant; vt quomodocumque cadant, deprehendaris in bono statu, animoque comparatus ad aduersa omnia, quæ vitari non poterunt, sustinenda. Sic itur ad astra & custoditur mentis tranquillitas, potius quàm nimia sollicitudine sæpè inutili, & malorum fuga. Non quod negem vtilius quandóque esse fugere, & aliò se recipere, *Rerum status deterior olim quàm nunc.*

 quàm

quàm mala expectare. Nam & morbis quibusdam curandis interdum prodest mutare locum: *Quicumque Iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque sanantur.* Et S. Augustinus lib. 4. Conf. cap. 7. defuncto Nebridio amico dulcissimo Tagastensi vrbe relicta, vbi videre eum solebat, venit Carthaginem mœroris fallendi gratia. Sed vt plurimùm parum iuuari solent homines eiusmodi remedio, satisque est verum quod dici solet:

Hypoc l. 2. Aphor. 45.

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Horat. l. 1. epist. 11.

Sicut nec multum iuuantur, qui in naui vna passi nauseam in aliam transferuntur.

In patientiã maximè peccant apostata.

§. 4. In Patientiam peccant plurimi, sed nulli grauius quàm nefandi à fide Apostatæ, qui non ferentes, nec ferre volentes Catholicæ disciplinam Ecclesiæ, ad Turcas, Iudæos vel Nouatores transfugiunt, vt procul degant ab Orthodoxis, à quibus ad eius obseruationem vrgeri possent, & pœnis adigi. Arguet sanè, & condemnabit illorum delicias, ac mollicįem Christus summus Iudex, sic eos iure suo alloquens: Ego Iudex vester, ego ille quem repudiastis, cuius fidem, cultum, sermones, Ecclesiam post tergum proiecistis: Iam iam faciam, vt intelligatis, quàm sit amarum reliquisse vos Dominum Deum vestrum, & non fuisse timorem meum apud vos. Timuistis pruinam, irruet nix super vos, fugistis arma ferrea, incurretis in arcum Æneum. Procul

Expostulatio Christi in peccatores damnandos.

Procul à me recessistis; ego vicissim recedam à vobis, eritque chaos magnum inter me & vos,vt qui ex vobis transire ad me volent,omninò non possint. Venit dies discernendi causam vestram de gente sancta, & ab ea vos separandi, à qua vos ipsos primi segregastis: Propter hoc ponam vos in sibilum cunctis populis: hodiè & in æternum à cœlesti gloria extorres eritis, quia portare iugum meum refugistis, mecum non regnabitis,quia mecum patientiam colere & dura ferre noluistis. Semen Chanaan, filij perditionis currebatis benè, quis vos fascinauit non obedire veritati, nec sic stare vt nõ caderetis, nec sic currere,vt comprehenderetis? Quomodò de Ecclesiæ meæ cœlo cecidistis qui manè oriebamini? Quomodò medio in opere defixa aratra reliquistis? Arguit nunc vos malicia vestra, increpat auersio. Confregistis iugum meum, rupistis vincula mea, dicentes: Non seruiemus. Et ego dico vobis, quia nec ego nec Angeli mei recipiemus vos in æterna tabernacula,sed expandam super vos rete meum, & quasi capras volucres iræ meæ laqueis torrendas tradam in craticula tartarea. Peccatum peccastis, quod nulla delebit obliuio, nec apud inferos expiare poterit, quantacúmque tormentorum perpessio. Frendebatis in vxores vestras implacabili odio,cùm illas audiebatis rupto coniugali fœdere declinasse ad adulteros. Et transfugæ secundùm humana iura, aut excoriabantur viui, aut furca suspendebãtur. Vos

autem violata lege, in qua diuinitati mea a-
nimas vestras desponsaueram, nullas mihi
pœnas lueretis? Imò grauissimas & fine cari-
turas. At fortè onerosa valdè erat lex mea,
spinosa, molesta sensibus, & qui oderant il-
lam, minabantur ceruicibus vestris, nisi eiu-
raretis. Nugæ hæc sunt excusare non valen-
tes errorem, cuius rei tenemini. Si laueritis
vos nitro, & multiplicaueritis vobis herbam
Borith, maculati estis in iniquitate coram
me. Insuauem, salebrosam, nimis arduam le-
gem meam fuisse prætenditis, sed vndè pro-
batis? Sicut spina, si spina est, non vni aut
duobus duntaxat; sed omnibus talis videtur,
ita quod verè arduũ ac spinosum, nullius sen-
su dulce est, iucundum, suaue, tractabile.
Serui autem cuiusdam mei verba sunt: *Iudi-*
Psal. 18. & 118. *cia Domini vera iustificata in semetipsa, deside-ra-
bilia super aurum & lapidem pretiosum multum,
& dulciora super mel & fauum. Etenim seruus
tuus custodit ea.* Et: *Quàm dulcia faucibus meis
eloquia tua, super mel ori meo.* Quod ad mala
temporalia, quæ intentata vobis fuisse præ-
tenditis, aut finguntur à vobis, aut tanta esse
nequiuerunt, vt iis non valueritis opitulante
gratia mea repugnare, quam sanè gratiam
cuique daturus erã, qui instanter postulasset,
qui efficaciter voluisset, qui vt acciperet la-
borasset. Quales & quantos impetus meus
sustinuit Antonius, quem assiduè ad defectio-
nem mille terroribus ac molestiis incitabant
Principes tenebrarum? *Quanta tormenta passi
sunt*

sunt martyres mei, (in quorum numero fuerunt quamplurimæ delicatissimæ virgines) vt securi peruenirent ad palmam martyrij? Quanta item perlaturi sunt fideles omnes sæuiente Antichristo, quando annos tres, & menses sex per illum Diabolus omni furore armatus debacchabitur? In horum comparatione quid passi estis? Quomodò non confundent vos, quandoquidem ad tentandum illos tantus soluetur inimicus, cum quo vos ligato tanto periculo dimicastis, imò tam infœlici exitu, vt etiam deuictos vos sibi per minas satellitum suorum subiecerit? Apagete reprobi nunc, & in sempiternum; quia patientia defecit vos & perseuerantia, sine quibus non peruenitur ad brauium.

De obseruandis circa Mansuetudinem.

CAPVT VII.

§. 1. *Mansuetudinis descriptio, & quousque irascendum, quos maximè deceat, quàm sit virtus nobilis.*
2. *Excessus iræ qua arte compescendus.*
3. *Appetitus vindictæ quis laude dignus, quis vituperio.*
4. *Exequi vindictam cui liceat; cui non liceat.*
5. *Ira defectu quomodò peccetur.*

§. 1. Mansuetudinis naturam obiter quidem, sufficienter tamen suis depinxit coloribus Aristoteles. 4. Eth. c. 5. *Mansuetudo*, inquit, *circa iram mediocritas est*. Et infra, de viro loquens mansueto: *Qui igitur ob quæ oportet, & quibus oportet irascitur, adde etiam quomodò, quando & quousque debeat, laudatur.* Cùm autem duo in se habeat, quicumque irascitur, magnam patiatur ebullitionẽ sanguinis circa cor, quæ etiam vultu, gestu, verboque vt plurimum se prodit, & vindictæ motum sentiat, medium vtrobique teneat necesse est, si mansuetus esse vult, & dici. Quod tunc fiet, quando iram rationi subiiciet, ac conformabit velut amussi lapidem; qua de re plura inferiùs. Cùm autem omnibus mansuetudo curæ debet esse, tum iis præcipuè qui imperant, puniunt, iura dicunt, aut iuuentutem instituunt; quia nunquam poterit inferior pœnam sibi à præposito suo irrogatam, vel eiusdem iram probare, bonique consulere, maquam credet, ac videbit ex perturbatione magis, quàm ex ratione descendere. Deindè qui præsunt singulariter indigent maturis consiliis, qualibus ita multum incommodat.

Mansuetudinis natura; & descriptio.

Mansuetudo quibusnã curæ debeat esse.

Furor iraque mentem præcipitant.

Causam affert Thucidides, quòd ira sine cogitatione sit; festinatio autem æquè inimica errantes habeat impetus, breuemque cogitationem consiliis bonis in primis necessariam. Architas Tarentinus vir primarius, vt

Architas Tarentinus.

virtu

vi tutem hanc colebat insigniter, ita sese reprimebat iratum, & quodam die ad seruum dixisse legitur: *Iam te verberibus enecarem, nisi iratus essem.* Multa scribit Ausonius in Mosella sua in laudem Magistratuum municipalium; sed albo lapillo notat hoc inter cætera, quòd mansuetudine excelluerint, iram compescuerint, delectati non sint cruore hominum. S.Hieron. Epist.9.

Quique suas rexere vrbes, purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illustrauere secures.

Cui non videatur fortissimus, qui feram domare potest omnium truculentissimam? Talis non est vrsus, non Leo, aper, tygris, aut lupus; sed iracundia, quandoquidem huic cessere Alexander magnus, Hercules, & plerique alij illarũ domitores. Expedit proindè vt Reges clementiam colant & mansuetudinem, ne freti potẽtia iracundius aliquem vel indignius tractent. Inest & formicæ bilis. Vt lædi ac beneficio affici quiuis potest, ita lædere ac benefacere. Mus supplex à Leone dimissus, cui petulanter insultauerat; posteà ei multum profuit funem arrodens, quo in saltu irretitus tenebatur.

§. 2. Ars magna iram compescendi sit, gratiam hanc à Deo postulare, valente imperare ventis, vt desistant furere, & mari dicere: *Tace, obmutesce*, atque hoc modo prouidere, vt fiat tranquillitas magna. Marc.4. Ars alia est irascendi modum tenere ab Aristotele præscriptum his verbis, *ob quæ oportet, & quibus oportet, adde etiam quomodò, quando, & quousque* &c. de quibus dicendum

cendum est sigillatim.

Tria genera rerum ob quasnon decet irasci. Tria sunt rerum genera, ob quæ non te decet irasci, bonæ, paruæ, inexploratæ. Si bonæ, gratulationem, laudemque merentur, non indignationem. Quocirca Magdalenæ tutelam suscepit Christus aduersum eos, à quibus iratis traducebatur ob religiosam vnctionem, dicens: *Quid molesti estis huic mulieri? bonum opus operata est in me.* (Matth. 26.) Et Iudæos reprehendit frendentes, quod curasset paralyticum in Sabbatho: *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbatho?* (Ioan. 7.) Si paruæ, indignæ habentur, propter quas à tranquillitate sua recedens animus vnà cùm corpore perturbetur. Quemadmodum non solent Iudices minimarum rerum lites admittere, ne leuiter forensibus altercationibus fatigent se & alios: *De minimis non curat prætor.* Ita à viro qui prudens sit, non impetrabit Damnum vel iniuria, vel molestia leuicula, vt assurgat in iram, & seipsum ab imo commoueat. Si inexploratæ, magis adhuc cauebit iræ præcipitium, veritus ne confundatur, parumque se probet iudicioso. Si iis succenseat quasi culpæ reis, qui optimam dicti factique sui rationem reddunt obiurgati; atque ita non obscurè significant, explorandum prius fuisse gestæ rei statum & causam. Ad hanc imprudentiam impingunt aliquando etiam sapientes, & fortè impegit Moyses, cùm iratus Eleazaro dixit & Ithamaro. *Cur non comedistis hodie hostiam pro peccato?* (Leuit. 10.) Et infra respódit pro iis Aaron: *Oblata est hodiè*

hostia

hostia pro peccato & holocaustum coràm Domino Mihi autem accidit quod vides. Quomodò potui comedere eam, aut placere Domino in caeremoniis mente lugubri? Sequitur autem: *Quod cùm audiuisset Moyses, accepit satisfactionem.*

De iis dicturus, quibus irasci non decet sapientem, de Deo dicere supersedebo, cùm satis constet, quòd nihil ira dignum in nos decernat, vel exequatur; sed iustissima sint iudicia eius omnia & dispositiones; quas idcircò suscipere nos conuenit magna cum reuerentia. Sicut monet quidam eius Apostolus: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* ne aliàs armemus in nos magis magisque dextram eius vindicem, vt peruicaces illi, de quibus Hier. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos & renuerunt accipere disciplinam.* Quid verò sequitur? *Idcirco percussit eos Leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos,* &c. Ad homines itaque descendamus. Attende tibi ne te iratum sentiant viri principes, aut parentes, aut amentes, aut quos aetas tenera vel conditio docet esse contemnendos. Nam quod ad principes, irasci vicissim iratis solent, éstque ira eorum periculosa, nec vnquam suscitanda verbis vllis & factis asperioribus; quae indicia sint auersi ab illis animi, valdéque exulcerati, esto fortè in culpa sint, & iustae irae occasionem ab illis acceperis. Iram itaque preme, habeto suspectum eius impetum:

1. Pet. 5.

Principum ira periculosa.

Dum furor in motu est, currenti cede furori:

Difficiles aditus impetus omnis habet.
Offensionem dissimula, vel modestè pone ante illorum oculos aut Consiliariorum. Sufficiat tibi ius tuum contra illos apud publicæ tribunal Iustitiæ prosequi, quando spes affulgebit fœlicis exitus. Quàm dissimulabat Dauid tot iniuriis affectus à Rege Saul, tot impetitus calumniis? Non conuitiabatur ei; non indignabatur palàm, dissimulabat tristitiam; furéti cedebat. *Ait in corde suo, aliquandò incidam vna die in manus Saul Nonne melius est vt fugiam & saluer in terra Philistinorum? Fugiã ergo manus eius.* Linguam denique premebat silentio; ne authore ira irrumperet in vocem aliquam pœnitendam. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Tanta fuit hæc eius mansuetudo, vt per illam adiurare nõ dubitet diuinam misericordiam: *Memento Domine Dauid,* inquit, *& omnis mansuetudinis eius.*

1.Reg 27.

Psal.37.

Psalm. 131.

Parentes respectu filiorũ sacri.

Quod ad Parentes, respectu filiorum sacri sũt; quia parentes sunt. Quæ ratio quoniam in illis quandiu ætatem degunt perseuerat, dicta lex est filiis, ne quid iræ grauioris in eos dicant vel faciant, non vindictam appetant, non promant ore contumelias, non aspiciant toruis oculis, non proteruè & cum indignatione loquantur aut respondeant; hæc siquidem & similia honori aduersantur, qui illis debetur. Non tamen prohibentur, quando à parentibus, vel iniquissimè tractantur ipsi vel alij, insinuare vultu, displicere id sibi vehementer. Itaque cùm arripuisset Saul lanceam, vt percuteret Ionã

piatham, & intellexisset ex hoc Ionathas, quod definitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid innocentem: *Surrexit Ionathas à mensa in ira furoris*. Quod ad amentes, pecoribus similes sunt, quibus sicut & lapidibus stulti duntaxat indignantur culpa vacantibus, miniméque offensionem apprehendentibus quã fatui illi prętendunt se ab iis accepisse. Propter quam si quis eos percutiat, indè magis effeantur; tantum abest, vt cautiores in posterum fiant, ne offendant. Id tamen non obstat, quominùs tono vocis terribili terreri possint, ne noceant, aut ad aliquid agendum incitari; verum hoc non est vlcisci, nec irasci propriè, sed voces iracundis similes vsurpare. Quod denique ad pueros, pudere debet adultum illis valde irasci, quandiu in eis malitia non supplet ætatem. Idem de potentibus iudicium respectu imbecillium, vt de viris respectu fœminarum, cùm ferè sufficere possit illarum contemnendo iniurias dicere: *Tanquam vna de stultis mulieribus locuta es*. Hinc tanta iræ cohibitio in Socrate cum vxore vitam agente procaci & obstreperà; & Iulius Cæsar eo nomine in primis laudatus est à M. Tullio in orat. pro Marcello, *quod non vlcisceretur inferiorum iniurias, sed obliuisceretur*. Lutetiæ Parisiorum cùm in area quadam conclusus iaceret leo, proiecta vulpes est, quæ statim lethalem hostem sentiens ac terribilem, gannire stupendum in modum cœpit quasi deplorans sortem suam. Non se loco mouebat leo; illa autem circumiens irruit toto

1. Reg. 21.
Amentes quomodo castiandi.

In pueros non irascendum.
Nec in imbecilles ac fœminas.

Vulpis in leonem audacia.

to impetu in os eius, à quo se deuoratum iri sentiebat, strinxit illud dentibus vt potuit, vt ex hac vltione & vulpina audacia aliquod haberet in morte solatium. Ne hoc quidem ausu temerario concitatum ad iram est animal generosum; sed tantum excussit caput, & hærentem naribus infirmum aduersarium tanta vi impegit in vicinum parietem, vt etiam allisèrit. Eadem quoque nebulonum, & infamium ratio personarum, quandoquidem à brutis nō procul absunt, & dum te insontē dictis vexant aut factis; non te, sed in te alium errore decepti prosequuntur. Contemnātur itaque velut indigni, propter quos vel manum moueas. Vsus est hac prudentia idem Socrates: nam cum in via quidam per lasciuiam calcem impegisset, admirantibus, quam non irasceretur: Quid facerem inquit? Illis hortantibus, vt vocaret hominem in ius. Ridiculum, inquit. Nam si quis asinus me calce percussisset, diceretis mihi, voca illum in ius? Nihil putabat interesse inter asinum & hominem brutum, nullaque virtute præditum; ac vehementer absurdum videri, non pati ab homine, quod ab animante bruto passurus sis. Cuidam rursus admiranti, quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuitiis lacessebatur: Mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit, mihi non adsunt, nec in me hærent. Boni cum malè audiunt, non irascuntur; sed sibi gratulantur quod puri sint ab his malis, quæ ipsis impinguntur, nec in se dici interpretan

Socrates quanta mansuetudinis.

terpretantur nihilo magis,quàm si quis oculorum errore Platonem appellet Socraté, & in Socratem congerat maledicta; is nō maledicit Platoni; sed ei quem existimat esse Platonem, cùm non sit.

Modus verus irascendi ille est, quem obseruabat Christus exemplar rectitudinis omnis & perfectionis; is vero ira non vt passione,sed vt propassione vtebatur. Ira passio est quando non tam regitur,quàm regit & impellit irascentem:propassio verò,quando perfectè in potestate est eius qui irascitur, & in tantum assumitur,quantum præscribit recta ratio. Hoc modo erat Christo, ideóque propassio in eo vocabatur,quasi loco passionis in hominibus reliquis naturaliter existentis,& non ratò prçuenientis tam rationem quàm voluntatis imperium. Non hoc à nobis postulatur, vt nunquam præueniat;sed vt frænetur cùm primum excedere modum deprehenditur, nec ei consentiatur. Tunc irascimur & non peccamus, virtutis motum habemus, non vitij. Sed quia pauci hoc faciunt, pauci impetum hunc iræ vt par est, moderantur. Fit plurimùm, vt optimus rectè irascendi modus sit omninò non irasci, & consequenter iræ occasiones declinare; cuiusmodi sunt inhiare vini poculis, de quibus Prou. 23. *Cui rixa? cui fouea? cui sine causa vulnera? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Item habitare cum superbis & iracundis, cum peruersis & irrisoribus, præsertim si te

Modus irascendi.

Ira passio quando.

si te iracundum quoque sentias. Nihil pro[illegible]uius tunc erit, quàm vt carbonum instar vos mutuò incẽdatis,& impleatur quod dicit scriptura: *Inter superbos semper sunt iurgia*; & desinat fabula tota in cruentam tragœdiam. Declinauit diligenter Cotys Atheniensium Rex, qui cùm preciosa quædam vasa figulina sibi oblata liberaliter remunerasset, statim iussit confringi, ne causa sibi essent grauis perturbationis, si à domestico suo aliquo frangerentur: enimuerò quia eiusmodi occasiones omnes vitare non possumus; nitamur ad illum quem diximus, irascẽdi modum à Christo obseruatum, eiusque proprium, quàm proximè accedere; seu iram in nostra habere potestate atque tantùm ei habenas dare ac premere, quãtum dictauerit ratio spectatis circumstantiis, personæ, loci, temporis, causæ, &c. grauiùs siquidem succensendum est nequioribus, quàm minus malis; grauiùs extra locum tempusque sacrum quàm in sacro. Tolerabilior item ira in fœmina non gestante vterum, quàm si gestet; tunc vehementer irasci periculosissimum est, nec rarò causa abortiendi. Rursus magis vel minus irasci conuenit pro quantitate & qualitate iuris proprij, quod aduersum iniquos vsurpatores tuendum suscipis, & iniuriæ quæ tibi irrogatur, & delicti propter quod corripiendus est proximus, & officij ad quod verbis iracundis est impellendus, & vtilitatis quæ speratur ex iracundia. Ad hæc ab ira tua separabis conuicia omnia grauiora, præter

Prou. 15.

ferrim quæ calumniam continent:nunquam enim mentiri licet; nec laudanda est ira, quam contaminat aliquid per se malum. Irato vindicta interdicitur;ad eam autem referre solet eiusmodi conuicia, quisquis illa profert iratus, potiùs quàm ad emendationẽ eius in quem frendit, cùm satis futurum prævideat, vt ille indè grauiter exacerbetur;tantum abest, vt vtilitatem accipiat. Peccant in hac parte infinities penè patres & matres familias, dum filios & filias, seruos & ancillas innumeris probris nulla veritate subnixis afficiunt;& nunc quidem fures, nunc latrones, veneficos, ebriosos, sagas, meretrices vocant; &c.Leuiorũ cõuiciorũ quæ erratis penè omnibus accommodari queunt,aut solent,etiam venialibus, & veritate vtcúmque fulciuntur, alia est ratio; vt si appellentur stulti, stupidi, pertinaces, pigelli, improbi, superbi, crassa capita,&c.sic Discipulos vocauit Christus stultos, Luc.24. & Io. Baptista Iudæos quosdam genimina viperarum, Luc.3. & B. Paulus insensatos Galatas,c.3. Ad excandescentiã pronus nec ensem circumferas, nec pugionem; nisi vel professio tua, aut necessitas,aut mos patrius aliud postulet. Vtuntur hac prudentia Magistratus Italiæ, solos scholasticos Germanos patiuntur armatos incedere, quasi minus litigiosos,factósque ad iræ impetus. Si te cogat necessitas cum iracundo alio, vel proteruo agere, casúque detur rixæ initium, collige te maturè; quo in præcipitio verſere,

In Italia soli Scholastici Germani armati incedunt.

considera, verbis tuis facito stateram: audi multa, loquere paucissima, & statue obseruare quidē quæ ille in te garriet, nisi homo sit nauci & planè contemnendus; sed simul cohibere responsum, ne fortè posteà præcipitati te pœniteat. Sufficiat in præsentia dictū mordax ferre patienter, (nisi fortè hanc patientiā tibi credas obfuturā, de qua infra §. 3. & 5.) vel eludere dicendo: *His haud dubiè mouerer, nisi à te irato dicerētur, ob idque excusanda crederē. Ira, vt iā pridem didici, tortura est similis; multa præter ius, & dicentis ipsius voluntatem extorquet. Meipsum non satis sentio ab hac perturbatione liberū. Propterea iā sileo, responsurus suo tempore.* Solet indubiè hæc dilatio indicium esse animi valdè sibi imperantis, & multis occurrit incōmodis, eò quòd interim deferuescit bilis, enubilatur ratio, dandæ responsionis verba cautiùs expēduntur. Ira denique tua sit, premere aliū rationibus ex zelo bono: cōuincere erroris, demonstrare quòd tibi vel alteri iniuriā fecerit, quòd verecundari totus debeat, & pro hoc vel illo ausu experturus sit Deū vindicē; proprias item minas addere, si negotiū tibi sit cū inferioribus. Hæc in præsentia de irascendi modo, quæ etiā docent, quādo & quousque sit irascēdum.

Hîc data occasione notanda quædam sunt moderandæ iræ alienæ non parum profutura. Indignantibus tibi Præpositis, vel viris potentibus, omninò tace, aut verba da mollia, quia *responsio mollis frangit iram, sermo du-*

Corā Præpositis iratis tacendū. Prou. 15.

ris suscitat furorem. Placauit hac arte Ionathas Saul patrē suum Dauidi iratissimum, dicens: *Ne pecces Rex in David seruum tuum, quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valdè.* Sequitur autem, *quòd cùm audisset Saul, placatus voce Ionathæ iurauit: Vidit Dominus, quia non occidetur.* Sedat vox mitis & blanda latrantem canem. *Ferocem caprum non mulier solum*, ait Plutarch. lib. de iracundia, *sed etiam puellus tenera scalpitans manu flectit faciliùs quàm Palæstes quilibet.* Ctesiphon pancratiastes calcitranti mulæ recalcitrando non mitigauit eam; sed ad impingendum calces denuò irritauit. Adhæc videmus dura corpora obiecta globis æneis illorū vim nō frāgere, sed frāgi potius & cōminui; secus autem euenire si occurrat eis lana per se mollissima. Mare sine ingenti strepitu in arenam sibi cedentem fluendo irruit & frangitur; contra verò in rupes incidens fragorem excitat prorsus horribilem. Interim non sufficit voce tacere, nisi etiam gestu. Hoc dixerim propter nonnullos, qui mouendo seu excutiendo caput, suspendendo naso, indignantē portendendo canis linguā, & gestibus aliis, adeò non placant ipsum, vt magis exulcerent, quàm si iracunda ei verba darent. Secundò, si quis morbo vel graui alia calamitate pressus in te exardet iracundia licet immerentem; contine te, nec velis vicissim stomachari, sed excusa, ferto que patienter eius morositatem morbi grauitati imputandam magis quàm malitiæ.

Mollia verba quanta efficacia.

Reuerberabit illum citò conſcientia, commiſſi erroris admonebit, & mitigabit Tertiò, ſi quē facto dictóue ad iracundiā cōcitaſti, ne excuſaueris delictum tuum; ſed magis accuſa, partim vt diuino illi ſtatuto ſatisfacias: *Si frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade reconciliari fratri tuo.* Partim vt exulceratum demulceas. Sic ſanè demulcebis, gratiámque inuenies, non ſecus ac Dauid, cuius ad Deum verba ſunt: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Ignobilibus quidem animis vix hac modeſtia ſatisfacies, ſecus autem generoſis: nam

Matt. 5.

Pſal. 31.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis ira,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni:
Pugna ſuum finem, cū iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi:
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

Ouid. lib. 5. Triſt. Eleg. 5.

Idem aſſequere, ſi aliquod ius eius tueare, quomodò Herodem Regem reconciliauit ſibi Pilatus remittens Chriſtum ad tribunal eius, vbi audiuit eſſe Galilæum, & de Herodis poteſtate. Item ſi oſtendere ſtudeas minimè ei honorificum fore, nihil de ira velle remittere. Hoc artificio iratum placauit Deum Moyſes: *Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti? Ne, quæſo, dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus. Non poterat introducere pupulum in terram pro qua iurauerat, idcircò occidit*

Moyſes Deū placat qua ratione.
Exod. 32.
Num. 14.

cidit in solitudine. Quid verò sequitur? *Placatusque est Dominus, ne faceret malū, quod cogitauerat aduersus populū suum.* Et: *Dimisi iuxta verbū tuum.* Placauit & Saul Regem Dauid 1. Reg. 24. cùm dixisset: *Quē persequeris, Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* Item si illum beneficio aliquo prosequaris. *Hoc faciens,* ait Apostolus, *carbones ignis congeres super caput eius;* quasi diceret; illū à se totum mutabis, faciésque vt ardentē in te amorē concipiat. Prostat huius rei exemplum singulare in eodem Rege Saul; de quo ibidem: *Cùm autem complesset David huiusmodi sermones ad Saul; dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est, fili mi David? Et leuauit Saul vocem suam & fleuit, dixitque ad David: iustior tu es quàm ego. Tu enim tribuisti mihi bona; ego autem reddidi tibi mala.* Et infrà, *Dominus reddat tibi vicissitudinē hanc pro eo quod hodiè operatus es in me.* Cernimus hominem paulò antè implacabili correptum odio, mox accepto beneficio vsque eò fieri alium, vt resoluatur in lachrymas, & benè precetur ei, cuius spirabat cædem, & totis viribus maturabat. Quartò, si quem valdè iratum videris, aut temulentum, ne tunc arguas (nisi dictet necessitas, aut vlterioris damni periculum salutis verbum minimè differendum) nisi addere velis iræ præsenti fomitem. Tempus expecta, quo remittente perturbatione capax erit monitorum vtilium. *Sic tradit Hypocrates sub Canicula difficiles esse purgationes, eò quòd natura*

Hebr. 12.

In iratum ac temulentum non arguendum.

Hypocr. lib. 4. Aphor. 5.

tura flagrans æstiuis ardoribus, non fert acrimoniam purgantis pharmaci. Alibi scribit: *Si quis febricitanti cibum dederit, morbus.* Et periti olitores cauent sole sub ardenti plantas rigare. Egent hoc monitorio vxores nactæ maritos feros, ebriosos, truculentos, quibus in iram erumpentibus silentium ad tempus colant oportet; quia sat citò loquentur, si vtiliter, si tempestiuè, & sat bene. Vnde Abigail temulento viro suo non prius exprobrauit illatam Dauidi contumeliam, quàm sequenti die sensit illum vino vacuum. Magnam nihilominus vim habuit, quidquid tunc ei dixit in faciem: *Diluculò autem cùm digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hac, & emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Offenduntur multi diuina rerum dispositione, quasi minimè consentanea; cùm tamen ea nihil æquius sit, nec esse possit. Vndè vocatur ipsissima æquitas, Psal. 118. Iniquam talium iram, offensionémque compesci sce, admonendo loquendum de Deo parcissimè; tantum abest, vt rationem discutere vel damnare liceat, qua regit mundum; ac si fieri potest, doce in eo ipso quod mali consulitur, aliquid boni æquique inueniri. Fecit Clotildis vxor hoc Clodouæi Francorum Regis, vt illum nondum Christianum, & grauissimè iratum ob primogeniti sui obitum placaret, cui causam præbuisse suspicabatur collatum ei baptismum, instante illa & postulante (Christiana enim erat) vt ei conferretur. *Itáne Rex* (inquit illa) *de diuina dispositione cogi-*

&lib. 7. Aphor. 59.

Vxores in maritos feros ac ebriosos.

Clotildis quibus rationibus placarit iratum maritum.

Bellef. in Clodouæo.

tas; vt vindictam Dei odiúmque interpretare, quæ est gratulatione dignissima? Age, si subditi alicuius tui primogenitum vix natum confestim apud te habere velles, te putas dicere deberet de se malè meritum, agi secum miserè, rem sibi contigisse luctuosam? Non credo, cùm contrà insigne sit beneficium veréque regium: Ita boni consule, rogo, ereptum nobis à Deo Rege Regum tenellum filium nobis iam beatiorem. Denique si nihil aliud superest, frementi dicito & iracundo: Nescis charissimè, quàm alius à teipso sis cùm irasceris. Vtinam tunc in speculo teipsum cerneres, te sanè puderet tui vehementer præ totius pallore vultus, oris spuma, oculorum truculentia, contractione minacis supercilij, & vt scribit Persius Sat. 3.

Nunc face supposita feruescit sanguis & ira,
Scintillant oculi, dicísque facísque quod ipse
Non sani est hominis, non sanus iuret Orestes.

Furorē taceo tibi cū feris cōmunē, clamorē & rugitū cū leonibus. Taceo mētis alienationē cuius testes sunt gestus, verbáq; incōpositissima. Taceo interdictū à Deo vindictæ appetitū, cui ingēs parare se dicit supplicitū. Taceo corporis detrimētū, cuius venenū quóddā est bilis immoderata, ob id ab animo refrenāda; alias *viderit animus, ne si à corpore in ius vocetur,* inquit Plutarchus l. de tuēda valetudine, *muneris malè administrati reus declaretur, & pœnas luat.* Prætereo quoq; infamiā quā te respergis apud sapiētes, quibus certè vix vllis argumētis tantum animi corporísque motū probaueris

Iracundi cum feris comparatio.

ueris. Si molestias diu pati molestū dicas esse, hoc ipso mirabuntur, ex tot aliis toleratis nullam in te relictam patiendi & motos fluctus componendi consuetudinem; cùm reliqua omnia molesta vsu ipso fiant tolerabilia, vt cilicia pœnitentium, strepitus vulcaniæ & pistrinorum, fræna, sellæ & calcei equorum, &c. Si vitium aliquod tibi obiectum commemores, perindè dicent esse, ac si ostendisset qui obiecit, in veste maculam. Iam si ostendisset non excandesceres, neq viciſſim quæreres in eius veste aliquam; sed elueres proprìam. Hic autem te habes opposito prorsus modo.

Conflictus mutuus ex reprehensione vnde oriatur.

Auditis animi maculis viciſſim quæris in aliis, quas regeras, ita oritur conflictus, & mutua contaminatio. At reus non es obiecti criminis, minimè si esses, stomachaturus. Sit, vt dicis, vide tamen ne aliquid ei affine habeas vel commiseris. A mollicie & lasciuia procul abfuit Pompeius; mollis tamen & effœminatus est habitus, quod digito vno scalperet caput. Castus admodū Crassus fuit, malè tamen audiuit, quod frequenter adiret quandam Vestalem, vt sic illam induceret ad vendendum sibi elegans prædiolum. Si te iactes virum esse nobilem, fortem, prædiuitem, militarem, quem iniurias dedeceat pati. Respondebunt contrà, decere quàm maximè. Quorum, obsecro, magis est pati quàm fortium, aut qui videri fortes gestiunt? & contrà, quorum tolerabilior ira est & impatien-

Plut. lib. de vtil. cap. ab inim.

Fortiū maximè est pati.

tia

tia quàm imbecillium? Nam sicut caro, quia mollis est, magis tumet ex plaga quàm partes cæteræ; ita excitatur in mollissimis animis ira maior, suntque idcircò mulieres viris iracundiores, & ægroti sanis, & senes ætate florentibus, & infœlices fœlicibus. In promptu est tribunal iustitiæ, ad illud recurre pro actione iniuriarum, si damnosæ valdè videantur tibi & intolerabiles; iram interim cohibe ad nihil conducentem, sic acceptior eris iudicibus, & causæ tuæ melius consules: *Bonus altercator vitio iracundiæ careat*, verba sunt Quintilliani. *Nullus enim rationi magis obstat affectus, & fert extra causam, & ipsos nonnunquam Iudices incitat. Melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia. Neque enim refutanda tantùm quæ è contrario dicuntur, sed cõtemnenda, eleuanda, ridenda sunt, nec vsquam plus loci reperit vrbanitas.* Exceptionem tamen addit, nisi negotium sit cum impudentibus: *Contra turbantes audendum & impudentiæ fortiter resistendum. Sunt enim quidam præduri in hoc oris, vt obstrepant ingenti clamore, & medios sermones intercipiant, & omnia tumultu confundant; quos vt non imitari, ita acriter propulsare oportebit, & ipsorum improbitas retundenda, & Iudices appellandi frequenter, vt loquendi vices seruentur.* Si iustam prætendis iram tuam, culpâque vacuam quòd exploratam habeas acceptã iniuriã, creasti malũ ipsi tibi: cur enim explorasti? non debuisti certè iuxta sapientissimum philosophi cuiusdam consiliũ: *Multa*

Imbecilliores iracundiores.

Quintil. l. 6. cap. 1.

Impudentes retundendi.

nos iniuriæ trāseant, ex quibus plerasque nō accipit, qui nescit. Nō vis esse iracūdus? ne sis curiosus. Qui inquirit quod in se dictum sit, seipsum inquietat. Si denique causaris, te non homini, sed bruto irasci, vel opificio non procedenti ex voto, & quoddam indè doloris lenimentum percipere. Noueris turpe esse lenimentum, quod ex re capitur ridicula, dignáque vituperio, cuiusmodi est quo iræ indulgeas, ea diris deuouere, percutere, frangere, lacerare; quæ inferendæ iniuriæ non sunt capacia, nec emendationis. Puerorum propria est hæc insania, cædentium lapides, in quos irruerunt; & rabidorum quorundā mordentiū chartas lusorias, quibus non vincunt, sed vincuntur; & canū similiter saxa mordentiū, quæ in eos iaciuntur; & taurorū incurrentium in fœnū aut paleas, cùm iis proriunt cornua. Ob eandem infamis & irrisus fuit Xerxes, eò quòd iratus notas ipsi mari plagásque incussit, ac monti
Xerxis stulta audacia, ac præsumptio.
Athos epistolam misit in hæc verba: *Atho infœlix ad cœlum vsque porrecte, ne meis operibus facias tuos lapides magnos, & ad elaborandum difficiles, alioqui excisum te proiiciam in mare.* Plutarchus lib. de iracundia.

§. 3. Dicturus iam de vindictæ appetitu, in
Iræ natura in quo maximè sita.
quo potiùs consistit iræ natura & ratio, quàm in clamore, immutatione vultus, motu corporis & similibus; admoneo quod iam suprà indicaui, aliud esse vindicare acceptam iniuriam, aliud accepti damni reparationē in iudicio exigere. Hoc semper licet (sic tamen vt sæpè expediat vilium & improborū iniurias

contemnere, quia sic tā confunduntur, quàm gaudent, si quis bonus eis resistat, & magni pendunt haberi se dignos vltione) illud secus. *Non quæres vltionem*, ait Dominus, *nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Leu. 19. Per hoc non quærit homo, vt malè sit ei, à quo damnum accepit vel iniuriam; sed intendit tantūmodò indemnem se conseruare. Vltor verò spectat, vt eidem malè sit, atque ita fortis non est, eò quòd ab ira vincitur. Ita colligit S. Ambrosius: *Vindicare se non est actus fortitudinis, sed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit qui se vindicat.* S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 36. Nempè *sicut debilis stomachi est, cibum duriorem non posse concoquere, ita pusilli animi verbum duriusculum non posse sustinere*. Aliud item est, te tuósque defendere iniuriam propulsando, cum actu infertur; aliud acceptam vindicare. Hoc tibi non concedunt iura, sicut nec iudicem agere in causa propria & arrogare tibi publicam potestatem, Magistratui à Deo collatam ad vindictam malefactorum: Illud verò permittunt, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, id est, non plus faciendo quàm necesse est ad propulsandam iniuriam. *Vltio de propria iniuria quomodo, & quando permittatur.* Nec obstant verba Apostoli Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi*; quia *defendere*, pro *vindicare* accipit, & vox ἐκδικοῦντες, qua vtitur, significat *vlciscentes*. Confirmatur quod dico, ex causa; quam affert, cur defendere sese non liceat. *Scriptum est enim: mihi vindictam, & ego retribuam.* Aliud tertiò est fucum fuco opponere, aliud

aliud iniuriam veram acceptam vlcisci illatione damni. Hoc non licet, illud verò cùm sit quædam loci species, non ita interdicitur: idque innuit illa Æsopi fabula de vulpe & ciconia, quæ delusa à vulpe lingente oblonium effusum supra mensam; ad prandium inuitauit eam paratum intra vas vitreum, quod illa sola attingere immisso rostro poterat. Item aliud est malum alicui appetere, aliud vindictam; eò quòd malum patet latiùs quàm vindicta, cùm ei qui te læsit & ad irā concitauit, expeti malum possit eo fine, vt per illud emendetur ipse: alij verò discant eius damno seipsos reprimere. Vindicta verò malum est directè relatum & expetitum ad eundem affligendū nulla ratione habita emendationis. Pugnat affectus iste prauus cum charitate, quandoquidem proximi malum sibi præstituit; ille verò alius cum ea valdè benè cohæret contraria de causa; dummodò, vt supponitur, purus sit & infucatus, quali non repugnat optare puniri eum, qui Deo vel Reipublicæ iniuriam fecerit. *In iniuriis propriis*, dicebat S. Chrysostomus, *patientem esse laudabile est: iniurias autem Dei patienter sustinere nimis est impium.* His verbis: *Nescitis cuius spiritus sitis*, repressi sunt Christi discipuli, Luc. 12. quando rati se in persona Magistri contemni à Samaritanis, optarunt vt consumpturus illos ignis de cœlo descenderet. Postea autem ad solum Dei honorem respicientes, magna cum laude ac meritò optarunt puniri

Malum latiùs patet quàm vindicta.

Vindicta quid.

Discipulorū Christi repressio ac postea zelus quantus.

nitri, reipsaque pro sua authoritate puniuerunt Idololatras, Ananiã item & Saphiram mentientes Spiritui sancto, Actor. 5. & Elymam ponentem obicem Dei verbo, Actor. 13. Reipublicæ partes sumus, ideóque expetere media quibus conseruetur iure possumus, ac debemus. Huius autem generis est eorũ punitio, à quibus passa est detrimentũ. Et quia in eam peccat, qui eius Rectores lædit, in quibus singulariter stat, optare licet vt pro ratione iniuriæ puniatur. Ipsi verò Rectores non solùm optare possunt, sed pœnam quoque imponere: imò non licet eis iniuriã remittere personis publicis irrogatam, nisi sint supremi principes; qui sicut conniuere ad graues non debent sibi illatas, ne sic imminuant Magistratum & contemnatur; sed meminisse dicti Antigoni Regis: *Princeps eoúsque mitis sit, vt contemptui non sit*, ne prætereà magno suo damno idẽ experiatur, quod Mauricius Imperator, vbi primùm Phocã ducem militum in se rebellẽ reliquit impunitũ, breui post occupauit Phocas Imperiũ, & Mauricij filios omnes in conspectu eius iugulauit. Quam dirissimam calamitatẽ non sensisset Mauricius, si vsus in eũ non fuisset intẽpestiua clemẽtia: Ita rectè leues dissimulãt, præsertim à simplicitate potius vel rusticitate profectas, quàm malicia. Sic Saul dissimulabat audire nonnullos dicentes: *Nunquid saluare nos poterit iste?* Theodosius item, Arcadius, & Honorius nullum maledictum in Cæsares esse

Mauricij leuitas quã ei nosciua.

1. Reg. 10.

esse voluerunt. *Quia*, inquiunt, *si illud ex leuitate processit, cõtemnendũ est; si ex insania miseratione dignissimũ; si ab iniuria, remittendũ.* Et Titus Cæsar apud Dionem scripsit: *Nemo me iniuria afficere, aut insequi contumelia potest, proptereà quòd nihil ago quod reprehendi mereatur. Ea verò quæ falsa de me dicuntur, prorsus negligo.* Cauere interim debet Princeps, ne hoc prætextu inultas relinquat domesticorum & oficialium suorum nequitias ac perfidias, vt quæ redundant in singulare eius detrimentũ. Sic Theodosius iunior cùm didicisset Candidianum domesticũ suũ nequiter supprimere literas Ephesini Concilij ad se missas, puniri eum plectíque iussit, vt scribit S. Cyrillus in Apolog. Hodierni Monarchæ Sinensium remouent statim à Magistratu Quæstores, qui expilasse conuincuntur ærarium; & Iudices omnes sibi subalternos, qui vel puniẽdo reos excesserunt, vel fuerunt iusto remissiores, vel in ferenda mortis sententia præcipites: qua saluberrima seueritate in officio continent vniuersos. Imitantur hanc ipsam artẽ prudentes Episcopi zelum habentes Clericalis disciplinæ, scientésque erga subiectos sibi Clericos mansuetudine vtendum ad aras vsque. Ex deprauatis Clericis, tres quatuorue ter de resipicentia singulariter admonent, & nõ resipiscentes suis priuant beneficiis, atque hæc beneficia totidẽ honestis candidatis (quales semper in promptu aliquot habere possunt) conferunt. Mirum quàm citò reliqui alieno damno

Nequitia domesticorũ inulta à principibus non relinquenda.

damno sapiant, vt pœnā deuitent sibi imminentem. At vir priuatus cùm iuris sui sit Dominus, potest, si vult, irrogatę sibi iniurię vindictā prętermittere, imò expedit sępe ad exercitiū Christianæ patientiæ; licet hæc iniuria in eos redundet, quos subiectos habet, v.g. in vxorē & filios, vt qui partes quædā eius sunt, ab eoque diriguntur, & pendent in vindicatione iniuriarū; dummodò iniuriæ non sint insignes: námque à talibus tenetur illos defendere; ne alias rideatur & obstupescat, vt struthio, de qua Iob cap. 39. *Dereliquit oua sua in terra, obliuiscitur quod pes conculcet ea. Duratur ad filios suos quasi non sint sui: priuauit enim illam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Vicissim nō debēt filij iniurias graues contēnere suis illatas parētibus. Dagobertus Franciæ Rex audiens filios Landregisili pręceptoris sui in Aquitania occisi neglexisse mortē eius vindicare, deportari eos iussit, & bonis omnibus spoliari. Scripsit in hanc sententiam Aristoteles: *Tolerare si lacessaris, patique vt tui cōtumelia afficiantur, seruile profectò est.* In dubio porrò quicūque læsus ad veniā magis quàm ad vindictam inclinabit: idque videtur Aristoteles ipse consulere loco citato, vbi mansueti hominis describens ingeniū, ait, *peccare potius videtur in defectu; quippè qui non ad vltionē, sed ad veniā dandā promptior sit.* Vt prætereà possit iure vindicare se de aliquo, abstinebit tamen si eo facto armaturus sit contra se plurimos. Nemini quippè expedit multos simul lacessere,

Filij debent iniurias graues illatas parentibus vlcisci.

Arist. lib. 4. Eth. c. 5.

laceſſere, vt docet vrſi apologus, qui volens apis vnius domunculā ſubruere, à qua ictus fuerat, omnes in ſe prouocauit; & penè eneċtas ēſt.

Iudices nō agant in propria cauſa, & quomodo agēdum in eos.

§. 4. Ex his videre ſatis poteſt, quòd ſicut priuatorum non eſt vlciſci acceptas iniurias; ne quod perículoſiſſimum, eſt, Indices agant in cauſa propria: ſed quandoquidem poſſunt; confugere debent ad iuris adminiſtratores ſibi præpoſitos, ſynceriùs multò, certiúſque dicturos ſententiam de cauſæ iuſtitia, & iuxta collatam ſibi poteſtatē, congruam delicto pœnam decreturos (vt reſpondit Cleopatræ M.Bibulus punire per ſe nolens filiorum ſuorum interfectores ad ſe ab illa miſſos.) Ita poteſt ſupremus Princeps, ſeu Magiſtratus authoritate propria non ſolùm alienas per ſe & iudices ſurrogatos; ſed etiam ſibi illatas vindicare, quia cùm ſuperiorem in ordine ſuo non habeat ad quem recurrat, adminiſtrandæ iuſtitiæ gratia, niſi vlciſci poſſet acceptas; nō eſſet in terris eas vindicandi potentia: ideóque Deus nō ſatis prouidiſſet humano generi. Et quia non eſt priuatorum audere aliquid ſimile, grauiſſimè peccant, procúlque à iure & māſuetudine verſantur, quicūque ex iis vel ad monomachiā prouocant alios, vel in arenā deſcendunt prouocati, cùm hoc ſit propria authoritate iudicare proximū, & vt morte dignū condemnare: quódque amplius eſt, punire velle & occidere. Stupenda planè res & deteſtabilis, indicitur certus locus, dies, hora à iugulatu

gulaturis vel iugulandis? Feruntur ardore cædis & insaniæ ad immane certamen, auocare illos ab insania nihil potest, non Dei timor, non censura Ecclesiastica, non vxorum preces & lachrymæ, non priorum monita obtestantium, vt cuius naturæ sint, considerent. Cùm enim natura feras ad bellum variis armis instruxerit: verbi gratia, cornibus armauerit taurorum impetus, leones vnguibus, protensos dentes affixerit apribus: Elephantos cute & proboscide tutata sit, Rhinocerota crustis, Crocodylum testudine, Delphinum pinnis, histricem spinis, Rhaiam aculeis, Gallum calcare: solum hominem produxit inermem, imbecillum, tenerum, cute mollissima; vt se ad pacem natum intelligeret, non ad rixam & bellum, dictum à belluis, quod belluarum sit proprium. *Tu me læsisti*, inquit prouocator, *te armatum siste tali loco & tempore; vt vbi te confecero, norint omnes me abs te affectum iniuria.* Sed age, qui ita loqueris, vndè id nosse poterunt? Aut enim occides, aut occideris; aut neuter alterum, aut vterque aduersarium. Si primum, conuinceris tu ipse criminis, qui singulari hoc certamine probare te volebas læsum, vel innocentem. Si secundum, nihilo magis iudicio sapientum absolueris à crimine, cuius te Antagonista insimulat: intelligent siquidem non innocentia maiore, sed armorum vsu & experientia euenire, vt quis ex huiusmodi conflictu victor abscedat; nihil autem procliuius, quàm vt artis gladiatoriæ imperitior sit, qui est innocentior

Homo solus inermis inter animalia, & cur.

De duello nullum certum indicium.

nocentior. Præterea, parumne tibi videtur peccari in Rempublicam, si vnum ei membrũ abstuleris, quod ei conseruare, vt manus manum debueras, quodque precio vincit mundũ vniuersum? Tolerabilis vtcumque esset hæc dementia, si statim, & non ex condicto pugnaretur: posset enim insurgenti furori vtcũque imputari; sed cùm diei, locique conditio longam includat moram, qua labente facilè possunt rationes iustissimæ librari, propter quas expedit mutare consilium, eò grauius delictum est congressus qui sequitur, quò magis ira deferbuit, qua authore susceptus est. Longè quippè grauiora sunt, quæ præmeditata, atque præparata, quàm quæ repentino motu aliquo inferuntur. Excusatione rursus vtcúmque digna videretur, si vera aut grauis subesset causa, quę prætexitur. At quando puerilis non est, & ridicula? Caput mihi non aperuit, loco non cessit, ad quædam dicta mea subrisit, à iudicio meo discrepauit, eandem quã ego mulierem deperit, canem meum percussit vel surripuit, priùs quàm ego ingressus est atrium Principis. O iniuriarum moles & portenta, ô damna irreparabilia! Quasi verò peregrini aperiant tibi caput vel assurgant, à quibus tamen non idcircò te læsum arbitraris? Vel omnes qui rident, irrideant, & non intercedat magna inter hæc differentia? Vel nihil omninò à te emanet censura dignum, nec ad te pertineat quod vniuersim scriptum est, *in multis offendimus omnes?* Vel in verba tua iurare

Duellorum causæ quàm leuissimæ.

Iac. 3.

tare cuncti debeant? Vel in communem amasiá tantum iuris non esset aliis? Vel tanti precij canes tui possint esse, vt redimi hominis morte debeát, & ex iisdem canibus intraturo tibi ad aulá non multi præiuerint? At iniurias esse graues censent plurimi. Stulti quidem tibi similes, sed nequaquam sapientes, seu iusti rerum æstimatores in iis, quæ iuris sunt exercitatum habentes intellectum. Quin potius furorem illum execrantur, non in offeréte duellum modò, sed in admittente; tum quia in eo vterque est æquè aggredi solitus, tum quia qui acceptat, culpæ consentit lacessentis? Morte autem digni sunt, iuxtà doctrinam Apostoli, tam qui faciunt mala, quàm qui consentiunt facientibus. Monent prætereà qui Prudentia excellunt, adeundos Iudices in hunc finem à Deo constitutos, vt cuique ius dicant, & illatas iniurias vlciscantur, quod certè agere vt plurimum non prætermittunt. Et vt prætermitterent, non indè sequeretur, licere tibi eorum munus vsurpare; sed esset defectus & causa tota Deo supremo Iudici relinquenda, apud qué nihil inultum remanebit. At nisi quis in pugnam lacessitus cõsentiat, perpetua notatur infamia, quam durum nimis est in Aula pati; & vim vi repellere, seseque tueri cuiuis licet. Vir præterea sum, non fœmina, vt iniurias tolerẽ, sat multas hucusq; sustinui, & improbus est qui me illusit. Eodẽ modo respõdeo; infamiá interpretâtur stulti, de quibus ait Dominus: *cæci sunt & duces cæcorum*, nõ spirituales & cordati

Rom. 1.

Matth. 15.

cordari Cui enim vel parũ ſapienti videri po-
teſtconſentiendũ in prouocationẽ hanc bar-
baram, *Veni, iugulemus nos mutuò.* Si præſertim
de fœce populi ſit, qui ita loquitur, vir autem
inſignis qui annuit. Ludibriis abundat Re-
Ludibriis abundat. Regia. gia, fateor, perferendis nihilominùs propter
Deum, ſi ratum ſtat in ea verſari. Vel indè re-
cedendum, ſi iis perferendis imparem te ſen-
tias. Elige de his duobus alterum. Te, tuós-
que defendere aduerſus iniquum aggreſſorem,
fateor, licet: at iam euici ſimplicem non eſſe
defenſionem, quando duellaturus prodis in
medium. Admitto tamen grauiorem, vt plu-
rimùm, culpam cenſendam prouocantis quàm
prouocati, vtpotè authoris criminis, & imbe-
cilliorem vulgò ad pugnam laceſſentis. Vt
ille, ad quem Poëta:

Horat. Epod. ode. 6. *Quid immerentes hoſpites vexas canis*
Ignauus aduerſum lupos?

Eundemque adigentis amara quadam ne-
ceſſitate ad confligendum non ſine manifeſto
mortis diſcrimine. Vir cum ſis, non & fœmi-
na, hoc ipſo magis te oportet manſuetudinem
colere: nam iuxta Ariſtotelem: *Longè maior*
Ariſt. l. 3. Polit. c. 3. *virtus à viro, quàm à fœmina requiritur.* Et ali-
quid iam pertuliſſe condemnat magis præſen-
tem impatientiam ſecundùm illud Apoſtoli:
Hebr. 10. *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati*
magnum certamen ſuſtinuiſtis. Tandem quò im-
probior eſt qui te læſit, eò magis contemnen-
dus, & indignior, cuius cauſà vel digitum
Caroli VI. liberalitas. vertas. Carolus VI. Franciæ Rex cenſum an-
nuum

nudm 1000. librarum dedit nobili Ioanni Despinay, strenuo adolescenti, propter honorem quem eius occasione sibi comparauit cõfligens cum illo Cameraci in nuptiis Ioannis Niuernensis filij Philippi Audacis Burgundiæ Ducis, fortissimosque eius impetus sustinens; ita gratulari potius tibi deberes occasionem exercendæ prodendæque mansuetudinis tuæ, quam tibi suppeditat homo insulsus & iniutius. Ne tamen idcircò putet hic nugator, nullas se Deo pœnas luiturum, eius vtenti malicia ad probationem aliorum vel correptionem: luet enim grauissimas non minus, quàm illi, de quibus ait: *Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis: veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo.* Hoc ipso porrò, quo tibi priuato vindicta interdicitur, comminatio prohibetur; eò quòd vindictam respicit: verum planè est quod dici solet, arma quibus minamur, vltrò porrigimus; minus siquidem admoniti festinant præuenire nos, & antè opprimere, quàm opprimantur. Gen. 15.

§. 5. Iræ defectu peccari dicitur, quando de illata iniuria non sumitur vel quæritur vindicta, cum sumenda est; hoc est, in casibus expressis §. 3. Item quando in obiurgandis peccatoribus, & præsertim subditis non adhibetur vigor necessarius: Ita iacet, ridetur, contemnitur, & inefficax redditur obiurgatio. In hoc fuit extremo Heli iusto indulgentior erga nequissimos filios mellitis tantum verbis eos corripiens, propter quod audiuit ab irato *Ira defectu quando peccatur.* 1. Reg. 2.

 Deo,

Deo; *magis honorasti filios tuos quàm me.* Et infrà; *Suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam & complebo propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios, & non corripuit eos.* Vide quomodò apud Deum molliter nimis aliquem arguere, sit non arguere. Cúmque breui pòst orbatus fit vtroque filio, & accepto tam tristi nuntio ceciderit resupinus fractis ceruicibus, attende quàm seuerè castiget Deus nimiam erga subditos indulgentiam. Cùm itaque opus fuerit, sit vox tua vox virtutis. Antè omnia collige te, vbi tuorum deprehensis erratis iram senties in mentem irrepere, posteáque ratione adhibita iram plus minus præ te ferto, prout qui corripiendi sunt verbis indigebunt asperioribus vel minus asperis. Ita fiet in te, quod ait Psalmus 4. *Irascimini & nolite peccare*, quia id facies tenendo medium, eóque fine, vt moderata verborum austeritate, terreantur, confundantur, oculos aperiant, ac sapiant, non appetitu homicidij, vel in ordine ad illud, qua profectò mente, *qui iratus dicit fratri suo; fatue, reus est gehennæ ignis.* Matth. 5. Iustitiam simul exercebis, sic eos puniendo pro tua authoritate.

A viro Magnanimo quid Prudentia velit obseruari.

CAPVT. VIII.

§. 1.

§. 1. *Magnanimitas in quo sit posita.*
2. *Quando & quousque ambiendi honores & dignitates.*
3. *Qua cautela vtendum circa gloriam.*
4. *Iactare seipsum & commendare quousque, quo item casu liceat.*
5. *Quænam magni debet æstimare magnanimus, quæ vt parua contemnere.*
6. *Circa adeptos iam honores quid obseruandũ.*

§. 1. MAgnanimitas virtus est magni animi propria. Dicitur autem animus magnus tripliciter. Primò, qui magna & ardua, difficilia, terribilia aggreditur, vel constanter expectat iuxta præscriptum rationis, quo sensu viri fortes dicuntur magnanimi, quia in magnis timoris occasionibus non sinunt se plus æquo perturbari, nec in heroicis negotiis aggrediendis vel prosequendis facilè difficultatibus absterreri. Secundò, qui magna patitur, pergit interim obire partes suas viriliter, nec aliquid contra decorum facit, aut loquitur; atque ita patientissimi quique, vt Martyres, Magnanimorum nomen obtinẽt. Tertiò, qui magna non æstimat, nec prosequitur nisi quæ verè talia sunt, aquilam imitans, negligentem muscas capere; & Leonem qui pugnare dedignatur cum feris ignobilibus; & institores illos ac mercatores, qui circa pretiosas duntaxat merces negotiationem instituunt. Et quia inter bona hominis propria, post virtutem primas tenet honor,

Magnanimitas quid.

Magnus animus tripliciter.

Patientissimi maximè magnanimi.

esse voluerunt. *Quia*, inquiunt, *si illud ex leuitate processit, cõtemnendũ est; si ex insania miseratione dignissimũ; si ab iniuria, remittendũ.* Et Titus Cæsar apud Dionem scripsit: *Nemo me iniuria afficere, aut insequi contumelia potest, proptereà quòd nihil ago quod reprehendi mereatur. Ea verò quæ falsa de me dicuntur, prorsus negligo.* Cauere interim debet Princeps, ne hoc prætextu inultas relinquat domesticorum & oficialium suorum nequitias ac perfidias, vt quæ redundant in singulare eius detrimentũ. Sic Theodosius iunior cùm didicisset Candidianum domesticũ suũ nequiter supprimere literas Ephesini Concilij ad se missas, puniri eum plectíque iussit, vt scribit S. Cyrillus in Apolog. Hodierni Monarchæ Sinensium remouent statim à Magistratu Quæstores, qui expilasse conuincuntur ærarium; & Iudices omnes sibi subalternos, qui vel puniẽdo reos excesserunt, vel fuerunt iusto remissiores, vel in ferenda mortis sententia præcipites: qua saluberrima seueritate in officio continent vniuersos. Imitantur hanc ipsam artẽ prudentes Episcopi zelum habentes Clericalis disciplinæ, scientésque erga subiectos sibi Clericos mansuetudine vtendum ad aras vsque. Ex deprauatis Clericis, tres quatuorue ter de resipicentia singulariter admonent, & nõ resipiscentes suis priuant beneficiis, atque hæc beneficia totidẽ honestis candidatis (quales semper in promptu aliquot habere possunt) conferunt. Mirum quàm citò reliqui alieno damno

Nequitia domesticorũ inulta à principibus non relinquenda.

damno sapiant, vt pœnā deuitent sibi imminentem. At vir priuatus cùm iuris sui sit Dominus, poteſt, ſi vult, irrogatę ſibi iniurię vindictā prętermittere, imò expedit ſępe ad exercitiū Christianæ patientiæ; licet hæc iniuria in eos redundet, quos ſubiectos habet, v.g. in vxoré & filios, vt qui partes quædā eius ſunt, ab eóque diriguntur, & pendent in vindicatione iniuriarū; dummodò iniuriæ non ſint inſignes: námque à talibus tenetur illos defendere; ne alias rideatur & obſtupeſcat, vt ſtruthio, de qua Iob cap. 39. *Dereliquit oua ſua in terra, obliuiſcitur quod pes conculcet ea. Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui: priuauit enim illam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Viciſſim nō debét filij iniurias graues contémnere ſuis illatas parētibus. Dagobertus Franciæ Rex audiens filios Landregiſili pręceptoris ſui in Aquitania occiſi neglexiſſe morté eius vindicare, deportari eos iuſſit, & bonis omnibus ſpoliari. Scripſit in hanc ſententiam Ariſtoteles: *Tolerare ſi laceſſaris, patique vt tui cōtumelia afficiantur, ſeruile profectò eſt.* In dubio porrò quicūque læſus ad veniā magis quàm ad vindictam inclinabit: idque videtur Ariſtoteles ipſe conſulere loco citato, vbi manſueti hominis deſcribens ingeniū, ait, *peccare potiùs videtur in defectu; quippè qui non ad vltionē, ſed ad veniā dandā promptior ſit.* Vt prætereà poſſit iure vindicare ſe de aliquo, abſtinebit tamen ſi eo facto armaturus ſit contra ſe plurimos. Nemini quippè expedit multos ſimul laceſſere,

Filij debent iniurias graues illatas parentibus vlciſci.

Ariſt. lib. 4. Eth. c. 5.

lacessere, vt docet vrsi apologus, qui volens apis vnius domunculã subruere, à qua ictus fuerat, omnes in se prouocauit; & penè enectas ẽst.

Iudices nõ agant in propria causa, & quomodo agẽdum in eos.

§. 4. Ex his videre satis potest, quòd sicut priuatorum non est vlcisci acceptas iniurias; ne quod periculosissimum, est, Iudices agant in causa propria: sed quandoquidem possunt; confugere debent ad iuris administratores sibi præpositos, synceriùs multò, certiúsque dicturos sententiam de causæ iustitia, & iuxta collatam sibi potestatẽ, congruam delicto pœnam decreturos (vt respondit Cleopatræ M. Bibulus punire per se nolens filiorum suorum interfectores ad se ab illa missos.) Ita potest supremus Princeps, seu Magistratus authoritate propria non solùm alienas per se & iudices surrogatos; sed etiam sibi illatas vindicare, quia cùm superiorem in ordine suo non habeat ad quem recurrat, administrandæ iustitiæ gratia, nisi vlcisci posset acceptas; nõ esset in terris eas vindicandi potentia: ideóque Deus nõ satis prouidisset humano generi. Et quia non est priuatorum audere aliquid simile, grauissimè peccant, procúlque à iure & mãsuetudine versantur, quicũque ex iis vel ad monomachiã prouocant alios, vel in arenã descendunt prouocati, cùm hoc sit propria authoritate iudicare proximũ, & vt morte dignũ condemnare: quódque amplius est, punire velle & occidere. Stupenda planè res & detestabilis, indicitur certus locus, diẽs, hora à iugulatu

gulaturis vel iugulandis? Feruntur ardore cædis & insaniæ ad immane certamen, auocare illos ab insania nihil potest, non Dei timor, non censura Ecclesiastica, non vxorum preces & lachrymæ, non priorum monita obtestantium, vt cuius naturæ sint, considerent. Cùm enim natura feras ad bellum variis armis instruxerit: verbi gratia, cornibus armauerit taurorum impetus, leones vnguibus, protensos dentes affixerit apribus: Elephantos cute & proboscide tutata sit, Rhinocerota crustis, Crocodylum testudine, Delphinum pinnis, histricem spinis, Rhaiam aculeis, Gallum calcare: solum hominem produxit inermem, imbecillum, tenerum, cute mollissima; vt se ad pacem natum intelligeret, non ad rixam & bellum, dictum à belluis, quod belluarum sit proprium. *Tu me læsisti*, inquit prouocator, *te armatum siste tali loco & tempore; vt vbi te confecero, norint omnes me abs te affectum iniuria.* Sed age, qui ita loqueris, vnde id nosse poterunt? Aut enim occides, aut occideris; aut neuter alterum, aut vterque aduersarium. Si primum, conuinceris tu ipse criminis, qui singulari hoc certamine probare te volebas læsum, vel innocentem. Si secundum, nihilo magis iudicio sapientum absolueris à crimine, cuius te Antagonista insimulat: intelligent siquidem non innocentia maiore, sed armorum vsu & experientia euenire, vt quis ex huiusmodi conflictu victor abscedat; nihil autem procliuius, quàm vt artis gladiatoriæ imperitior sit, qui est innocentior

Homo solus inermis inter animalia, & cur.

De duello nullum certum indicium.

nocentior. Præterea, parumne tibi videtur peccari in Rempublicam, si vnum ei membrũ abstuleris, quod ei conseruare, vt manus manum debueras, quodque precio vincit mundũ vniuersum? Tolerabilis vtcumque esset hæc dementia, si statim, & non ex condicto pugnaretur: posset enim insurgenti furori vtcũque imputari; sed cùm diei, locique conditio longam includat moram, qua labente facilè possunt rationes iustissimæ librari, propter quas expedit mutare consilium, eò grauius delictum est congressus qui sequitur, quò magis ira deferbuit, qua authore susceptus est. Longè quippè grauiora sunt, quæ præmeditata, atque præparata, quàm quæ repentino motu aliquo inferuntur. Excusatione rursus vtcúmque digna videretur, si vera aut grauis subesset causa, quę prætexitur. At quando pue- *Duellorum causæ quàm leuissimæ.* rilis non est, & ridicula? Caput mihi non aperuit, loco non cessit, ad quædam dicta mea subrisit, à iudicio meo discrepauit, eandem quã ego mulierem deperit, canem meum percussit vel surripuit, priùs quàm ego ingressus est atrium Principis. O iniuriarum moles & portenta, ô damna irreparabilia! Quasi verò peregrini aperiant tibi caput vel assurgant, à quibus tamen non idcircò te læsum arbitraris? Vel omnes qui rident, irrideant, & non intercedat magna inter hæc differentia? Vel nihil omninò à te emanet censura dignum, nec *Iac. 3.* ad te pertineat quod vniuersim scriptum est, *in multis offendimus omnes?* Vel in verba tua iu-

rare

tare cuncti debeant? Vel in communem amasiá tantum iuris non esset aliis? Vel tanti precij canes tui possint esse, vt redimi hominis morte debeát, & ex iisdem canibus intraturo tibi ad aulá non multi præiuerint? At iniurias esse graues censent plurimi. Stulti quidem tibi similes, sed nequaquam sapientes, seu insti rerum æstimatores in iis, quæ iuris sunt exercitatum habentes intellectum. Quin potius furorem illum execrantur, non in offeréte duellum modò, sed in admittente; tum quia in eo vterque est æquè aggredi solitus, tum quia qui acceptat, culpæ consentit lacessentis? Morte autem digni sunt, iuxtà doctrinam Apostoli, tam qui faciunt mala, quàm qui consentiunt facientibus. Monent prætereà qui Prudentia excellunt, adeundos Iudices in hunc finem à Deo constitutos, vt cuique ius dicant, & illatas iniurias vlciscantur, quod certè agere vt plurimum non prætermittunt. Et vt prætermitterent, non indè sequeretur, licere tibi eorum munus vsurpare; sed esset defectus & causa tota Deo supremo Iudici relinquenda, apud qué nihil inultum remanebit. At nisi quis in pugnam lacessitus cósentiat, perpetua notatur infamia, quam durum nimis est in Aula pati; & vim vi repellere, seseque tueri cuiuis licet. Vir prætereà sum, non fœmina, vt iniurias toleré, sat multas hucusq; sustinui, & improbus est qui me illusit. Eodé modo respódeo; infamiá interpretátur stulti, de quibus ait Dominus: *cæci sunt & duces cæcorum*, nó spirituales & cordati

Rom. 1.

Matth. 15.

cordari Cui enim vel parũ ſupienti videri po-
reſtconſentiendũ in prouocationẽ hanc bar-
baram, *Veni, iugulemus nos mutuò.* Si præſertim
de fœce populi ſit, qui ita loquitur, vir autem
inſignis qui annuit. Ludibriis abundat Re-
gia, fateor, perferendis nihilominùs propter
Deum, ſi ratum ſtat in ea verſari. Vel indè re-
cedendum, ſi iis perferendis imparem te ſen-
tias. Elige de his duobus alterum. Te, tuóſ-
que defendere aduerſus iniquum aggreſſorem,
fateor, licet: at iam euici ſimplicem non eſſe
defenſionem, quando duellaturus prodis in
medium. Admitto tamen grauiorem, vt plu-
rimùm, culpam cenſendam prouocantis quàm
prouocati, vtpotè authoris criminis, & imbe-
cilliorem vulgò ad pugnam laceſſentis. Vt
ille, ad quem Poëta:

Ludibriis abundat. Regia.

Quid immerentes hoſpites vexas canis
Ignauus aduerſum lupos?

Horat. Epod. ode. 6.

Eundemque adigentis amara quadam ne-
ceſſitate ad confligendum non ſine manifeſto
mortis diſcrimine. Vir cum ſis, non & fœmi-
na, hoc ipſo magis te oportet manſuetudinem
colere: nam iuxta Ariſtotelem: *Longè maior
virtus à viro, quàm à fœmina requiritur.* Et ali-
quid iam pertuliſſe condemnat magis præſen-
tem impatientiam ſecundùm illud Apoſtoli:
*Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati
magnum certamen ſuſtinuiſtis.* Tandem quò im-
probior eſt qui te læſit, eò magis contemnen-
dus, & indignior, cuius cauſa vel digitum
vertas. Carolus VI. Franciæ Rex cenſum an-
nuum

Ariſt. l. 3. Polit. c. 3.

Hebr. 10.

Caroli VI. liberalitas.

nuum 1000. librarum dedit nobili Ioanni Despinay, strenuo adolescenti, propter honorem quem eius occasione sibi comparauit cōfligens cum illo Cameraci in nuptiis Ioannis Niuernensis filij Philippi Audacis Burgundiæ Ducis, fortissimosque eius impetus sustinens; ita gratulari potius tibi deberes occasionem exercendæ prodendæque mansuetudinis tuæ, quam tibi suppeditat homo insulsus & iniurius. Ne tamen idcircò putet hic nugator, nullas se Deo pœnas luiturum, eius vtenti malicia ad probationem aliorum vel correptionem: luet enim grauissimas non minus, quàm illi, de quibus ait: *Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis: veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego indicabo.* Hoc ipso porrò, quo tibi priuato vindicta interdicitur, comminatio prohibetur; eò quòd vindictam respicit: verum planè est quod dici solet, arma quibus minamur, vltrò porrigimus; minus siquidem admoniti festinant præuenire nos, & antè opprimere, quàm opprimantur. Gen. 15.

§. 5. Iræ defectu peccari dicitur, quando de illata iniuria non sumitur vel quæritur vindicta, cum sumenda est; hoc est, in casibus expressis §. 3. Item quando in obiurgandis peccatoribus, & præsertim subditis non adhibetur vigor necessarius: Ita iacet, ridetur, contemnitur, & inefficax redditur obiurgatio. In hoc fuit extremo Heli iusto indulgentior erga nequissimos filios, mellitis tantum verbis eos corripiens, propter quod audiuit ab irato *Ira defectu quando peccatur.* 1. Reg. 2.

 Deo,

Deo; *magis honorasti filios tuos quàm me.* Et infrà; *Suscitabo aduersum Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam & complebo propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios, & non corripuit eos.* Vide quomodò apud Deum molliter nimis aliquem arguere, sit non arguere. Cúmque breui pòst orbatus sit vtroque filio, & accepto tam tristi nuntio ceciderit resupinus fractis ceruicibus, attende quàm seuerè castiget Deus nimiam erga subditos indulgentiam. Cùm itaque opus fuerit, sit vox tua vox virtutis. Antè omnia collige te, vbi tuorum deprehensis erratis iram senties in mentem irrepere, posteáque ratione adhibita iram plus minus præ te ferto, prout qui corripiendi sunt verbis indigebunt asperioribus vel minus asperis. Ita fiet in te, quod ait Psalmus 4. *Irascimini & nolite peccare*, quia id facies tenendo medium, eóque fine, vt moderata verborum austeritate, terreantur, confundantur, oculos aperiant, ac sapiant, non appetitu homicidij, vel in ordine ad illud, qua profectò mente, *qui iratus dicit fratri suo; fatue, reus est gehennæ ignis.* Matth. 5. Iustitiam simul exercebis, sic eos puniendo pro tua authoritate.

A viro Magnanimo quid Prudentia velit obseruari.

CAPVT. VIII.

§. 1.

§. 1. *Magnanimitas in quo sit posita.*
2. *Quando & quousque ambiendi honores & dignitates.*
3. *Qua cautela vtendum circa gloriam.*
4. *Iactare seipsum & commendare quousque, quo item casu liceat.*
5. *Quænam magni debet æstimare magnanimus, quæ vt parua contemnere.*
6. *Circa adeptos iam honores quid obseruandũ.*

§. 1. Magnanimitas virtus est magni animi propria. Dicitur autem animus magnus tripliciter. Primò, qui magna & ardua, difficilia, terribilia aggreditur, vel constanter expectat iuxta præscriptum rationis, quo sensu viri fortes dicuntur magnanimi, quia in magnis timoris occasionibus non sinunt se plus æquo perturbari, nec in heroicis negotiis aggrediendis vel prosequendis facilè difficultatibus absterreri. Secundò, qui magna patitur, pergit interim obire partes suas viriliter, nec aliquid contra decorum facit, aut loquitur; atque ita patientissimi quique, vt Martyres, Magnanimorum nomen obtinẽt. Tertiò, qui magna non æstimat, nec prosequitur nisi quæ verè talia sunt, aquilam imitans, negligentem muscas capere; & Leonem qui pugnare dedignatur cum feris ignobilibus; & institores illos ac mercatores, qui circa pretiosas duntaxat merces negotiationem instituunt. Et quia inter bona hominis propria, post virtutem primas tenet honor,

Magnanimitas quid.

Magnus animus tripliciter.

Patientissimi maximè magnanimi.

Honor præcipuum virtutis præmium.

verum ac præcipuum Virtutis præmium, fit vt magnanimitatis sic sumptæ munus sit circa honores versari velut circa obiectum potissimum, appetendo eos, vel fugiendo prout ratio dictauerit. Et in hoc differt à virtutibus reliquis, quarum obiectum siue materia longè est alia, vt materia Iustitiæ ius; materia Fortitudinis, graue periculum; materia Patientiæ, aduersitas; materia Temperantiæ cibus, potus & voluptas. Ad honores reducuntur laudes, gloria, fama, & eiusmodi alia velut af-

Ad honores tendit magnanimitas.

finia. Porrò cùm ad honores tendat magnanimitas; honorum autem acquirendorum medium sit virtus seu virtutis actus; sequitur magnanimitati propositum quoque esse virtutum aliarum actum, siue exercitium, non vt obiectum & finem, sed vt viam & medium. Atque hoc ipsum est, quod sibi voluit S. Tho. dicens. 2. 2. q. 129. a. 1. *Magnanimitas est circa honores, vt scilicet studeat facere ea, quæ sunt honore digna; non tamen sic, vt pro magno æstimet humanum honorem.* Præ quo cœlestis quidem eminet; sed quia ordinis est supernaturalis; magnanimitas autem virtus moralis acquisita (de hac namque in præsentia loquimur) ad seriem spectat rerum humanarum & naturalium, fit vt solos honores humanos propositos habeat, non autem sublimes illos nisi per accidens, quatenus vel informatur charitate, vel magnanimitati infusæ subordinatur. Cùm autem magnanimitas, vt nomen ipsum sonat, & docet Aristoteles lib. 4. E-

thic.

Ethic.c. 3. consistat in magnitudine; perinde ac pulchritudo in magno corpore (nam parui elegantes & concinni, non autem pulchri dicuntur) fit vt si honores parui sint, non possit qui ad illos aspirat, dici magnanimus, sed modestus: magnanimus autē eatenus solū, quatenus magnos sibi proponit, vel vt melius dicā, magna & eximia virtutū opera, per quæ ad illos peruenitur. Hoc enim sēper memoriæ mandandum est, magnanimum non tam honorem quærere, præsertim humanū, vtpotè valdè parui precij, quàm eo dignū fieri per opera illa sublimia. Vndè liquet, procul distare eos à magnanimitate, qui ad honores solos collimant, neglectis virtutibus, quibus solis debentur, & virtutum loco inhiant opibus, velut sententia sua commodioribus ad eos consequendos, ita vt exclament:

Parui elegantes non pulchri dicuntur.

Magnanimus quis dicendus.

Et qui ab ea distent maximè.

O ciues ciues quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Vel si actuum virtutum rationem quoque habeant, minùs ad eos quàm ad honorem ipsum aspirant. Liquet prættereà, quanta dignitas sit magnanimitatis, non nisi eximia virtutum cæterarum opera sibi præstituentis, vt docet Arist. 4. Eth. 3. eorum respectu opes, voluptates, vitæ præsentis commoda, quæ mundus suspicit, contemnentis, etiam honores ipsos parui æstimantis; ex hominibus autem eos tantum habentis magno loco, qui virtute sunt præditi, reliquos autem eorumque iudicia aspernantis; secundùm illud Psalmi

Magnanimitas quātæ dignitatis, eiusque genius.

14. *Ad nihilū deductus est in cōspectu eius malignus timentes autem Domini glorificat.* Temperat prætereà honoris studium, vt non appetatur indebitus, nec vicissim debitus respuatur. Temperat spem circa opera illa heroica, vt non aggrediatur ea si sint supra vires & conditionem suam; quia tunc præsumptione delinqueret; nec vicissim plus æquo terreatur eorum difficultatibus, sed in egregiis cœptis perseueret. Ad hæc magnanimus merita sua considerat, teste Arist. loco citato; non vt variè in iis sibi
Iob. 31. complaceat, & vt Iob loquitur, *osculetur manū suam*; sed vt indè discat quousque debeat honores illos admittere, aut respuere: beneficiorū acceptorum obliuiscitur hoc sensu, quòd non cogitet de rependendis paribus, sed amplioribus; minora agere negligit, vt in iis non occupatus liberior sit ad maiora; vel si aliquando det se rebus mediocribus, contemptibiliter, vt sic dicam, id faciat, quasi non requirentibus magnam industriam, propter quod magnus versator videri non vult in re pusilla. Ironia vtitur, non quæ veritati opponitur; sed quæ significat dissimulationem dignitatis suæ apud mediocres, cùm apud magnos grauitatem colat, serióque agat omnia. Ab adulatoris ingenio procul est, nec eius more viuere nouit ad aliorum arbitrium. Infructuosis, sed honestis delectatur magis, quàm contrariis, in omnibus præponens honesta vtilibus, velut maiora magisque expetibilia. In loquendo liber est,

eſt, quod pertinet ad perhibēdum veritati ſyncerum teſtimonium.

§. 2. Dicturi magis in ſpecie de appetitu ac proſecutione honoris, laudis, ac gloriæ, reiicimus principio nimis diffuſam illam M. Tullij ſententiam. *Omnes ſtudio laudis trahimur, & optimus quiſque maximè gloriæ cupiditate incenditur.* Nam reuerà laudabilis non eſt, quæcumque honorum & gloriæ cupiditas; ſed moderata, & rationi conſentanea, nec proindè optimus quiſquis ea quomodocúmque conſectatur. Sic ergo potiùs ſentiamus. Virtuti debetur honor velut merces; non condigna quidem (de humano loquor) ſed quæ poteſt ab hominibus retribui, idque maior maiori. Ita fit, vt quò certiùs te intelliges virtute præditum, eò iuſtiùs ac ſecuriùs poſſis proportionatos ei honores, ſi deferantur, admittere, (ſi non deferantur ſiue ab inuidis, ſiue ab inurbanis, non multum curare, cùm ſufficiens conſolatio ſit illos meruiſſe) nec admittere ſolùm, ſed aliquo etiam modo quærere, non propter te, ſed ne fruſtretur virtus iure ſuo; vel vt indè creſcat tibi animus præſtandi adhuc plura, vel vt exſtimulentur cæteri ad ſtudium cultumque virtutis, vel ne honore carens, quo dignus es, authoritatis tuæ iacturam facias, viuaſque contemptibilis; atque ita minus poſſis prodeſſe multis, & bona agere. Permouit hoc B. Paulum innocentem, ne exire vellet de carcere, niſi honorificè indè à Magiſtratu educeretur:

Lib. 1. offic. & 1. Tuſc.

Virtuti honor debitus vt ppopria merces, & qualis.

B. Paulus non vult niſi honorificè egredi de carcere.

Caſos

Cæsos nos publicè, inquit Act. 16. *indemnatos, nos homines Romanos, miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt. Non ita, sed veniant, & ipsi nos eiiciant.* Manifestum eximij operis, & laude digni signum est, si ad Dei gloriam valdè confe-rat, vel ad tutelam, & incrementum Ecclesiæ vel ad salutem conuersionémque animarum; vel ad perfectionem propriam, vel ad Reipublicæ commoda & ornamenta. Secundò, si sis in dignitate constitutus, ne te patiare contemni à subditis; quin potiùs, da operam, te vt mediocri saltem honore afficiant, quo affici eiusdem conditionis alij solent. Sed quid, si tibi minimè sis virtutis conscius? Etiam tunc honorem admitte: vel si opus sit, exige, magistratus tui gratia, & ne ab eodem Paulo discrepes, qui dicebat *ministerium meum honorificabo.* Ipsa quippè dignitas secum portat; &, vt ita dicam, includit virtutem, si non tuam; saltem Dei, à quo illa procedit, & qua te ornare voluit, & à subditis propter ipsam coli. Quod quando cõtinget, caue inde gaudeas propter te quasi de te tibi ipsi debita, ne percutiare: sicut percussum ferunt asinum illum, quem Isidis portantem mysteria, à prætereunte populo in veneratione, habita, cùm obseruassent quidam inde exultare, & sibi gaudere; fuste salutarũt, dicentes: *non tibi, sed religioni.* Potius gaude, quod in te colatur Deus, & donum eius. Caue præterea prætextu honoris in eum refundendi, proprios ipsi honores admittere, exempli causa, Dei titulum, vel æquipollentem

Honor admittendus, ac quandoque exigendus.

Rom. 11.

alium

alium, vt omnipotentis, vel sacrificium, ne mortiferam tibi plagam infligat; sicut olim Herodi, cui peroranti cùm acclamasset populus, *Dei voces, & non hominis*; & ipse tantum honorem, cui par nullo modo erat, non detrectasset, *confestim percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit*. Tertiò, parum tibi sit Dei proprios non recipere, ne admitte quidem alios meritis tuis perspicuè superiores, sicut nec ense vti velles longiore, aut veste, quod faceres, si dignitatem tibi quæreres, quæ dotes & merita tua superat, (quandoquidem dignitati ea proportione coniunctus est honor, vt huic par non sit, qui non est illi,) vide ne tibi quæras eiusmodi, nec aliquis hoc suaserit, qui se tibi benè velle profitetur, dissuadeat potius pro viribus, & ad aurem tibi ingeminet: Act. 12.

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit, & intra Ouid. l. 3. de Trist.
Fortunam debet quisque manere suam.

Si fortes & robusti vix stare possunt in loco supero, perpetuoque ventis immanibus, quid facient imbecilles? Quid autem aliud sunt munera publica, quàm eiusmodi loca & fastigia? ibi ibi experiuntur omnes longè frequentissimè, quod eleganter quidam scriptum reliquit:

Sæpius ventis agitatur ingens Horat. l. 2. Carm. ode 10.
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos

Fulmi

Fulmina montes.

Mediocris status securissimus.

Securi contrà quietique sunt, qui in mediocri viuunt statu, vndè addit idem author.

Rectius viues Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, totus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Vtinam hoc pensiculatè apud se omnes voluerent: sed heu! frustrà surdis canitur. Documento huic saluberrimo tam pauci obtemperant, vt exclamet S. Bernardus. *O ambitio ambitiosorum crux, quomodò omnes torques? nihil acrius, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales crebriùs negotiis eius.* Et quia nõ obtemperant, euertuntur respublicæ, dum reguntur ab iis, qui nec regere sciunt, nec possũt nec auxiliatorem habent Deum tales abominantem, nec subditis placent; sed ambitione sua magno sunt offendiculo. Obseruauit hoc iamdudum S. Leo, & denunciauit his verbis: *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen sui initij est perniciosus exemplo. Et difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Hoc ipsum ingenium non esse boni ciuis scripsit his verbis Plat. 1. de Rep. *Si bonorum ciuium extaret ciuitas, in ea; vt arbitror,*

arbitror, non aliter nō imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certatur imperandi cupiditate. Huius vitij ne vmbram quidem, ac ſuſpicionem ferre Romani nondum moribus deprauati poterant. Ædificauerat Publicola Conſul in prælato loco ædes magnificas, & inaudiuit ſe ob id in ſuſpicionem venire affectati imperij, quid fecit? Funditùs illas ſub primam noctem ſubrui præcepit. Quo actu ita delectatus eſt ſenatus, populuſque Romanus; vt non modo illum in Conſulatu confirmauerit, ſed domum etiam ei conſtruxerit longè auguſtiorem; & vita functum in vrbe ſepeliri voluerit, cùm alij extra vrbem ſepelirentur, & per annum luxerit. Atque vtinam ſola múnera ſecularia recuſarentur, etiam Eccleſiaſticis à pleriſque inhiatur, de quibus idem Doctor mellifluus: *Circumit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, manibus ac pedibus reptat, ſi quo modo valeat ſe ingerere in patrimonium crucifixi.* Et quia honoris magni ſpecies quædam videtur prædiuitum amicitia, & familiaritas; ne talem ambiueris.

Plut. in publicola. *Publicola domum dirui & quantus habitus à cõciuibus.*

S. Bern. ibi.

Ouid. l. 3. de Triſti b.

Viue ſine inuidia, molleſque inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.

inquit Ouidius. Capto ceruo à Leone & ouibus, quæ ſe illi adiunxerant, totum ſibi vendicauit Leo rugiens, & dicens: Prima pars mihi debetur, quia ſum digniſſimus. Secunda, quia præſtantiſſimus. Tertia, quia plus vobis laboraui. Quartā niſi conceſſeritis, actū eſt de amicitia. Addit Hor. l. 1. Ep.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici.

Exper

Expertus metuet. Ad hæc sicut facies, quod viri est prudentis, quando te non facilè muneribus illis publicis parem esse iudicaueris, eáque opinione subnixus etiam oblata recusaueris, quandiu grauis nulla Reipublicæ necessitas aliud postulabit; ita cùm postulabit, & te viri probi ac sapientes dignum pronuntiabunt, noli refragari, nec esse iustus nimis ac humilis. *Melior est obedientia, quam victima.* 1. Reg. 15. *Et est qui se nimium submittit à multa humilitate.* Eccles. 19. Non substante eiusmodi necessitate, nō debent cogere te, nec possunt qui præsunt; Quo casu S. Gregorius in Epist. 2. ad Ioannem Episcopum Rauennatem succenset ei grauiter, quòd repugnantem quendam ordinasset Episcopum, vetátque, ne deinceps tale quid præsumat; exauthorationem minatur, si fecerit: substante possunt, vnde idem S. Gregorius ad Synagrium scribit in hęc verba: *Qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus.* Quintò, quantumcúmque dignus sis, aut tibi videare, nullius emas suffragium, quo ad dignitatem tibi aliàs non obuenturam, gradum facias; quia suffragium quoddam est veritatis testimonium; proindéque res quædam sacra procul distans à conditione venalium. Magis adhuc caue in illam vi aut dolo irrepere, memor quàm malè cesserit Absaloni & Tarquinio superbo, Tarquinio item Prisco hæc improbitas. Caue calumniari apud Principem eos, qui expetitas à te dignitates iam possident, quia sic ad se illas trāſ-

Suffragia nullo modo emenda, nec digno quidē.

ferro

ferrè, hominis eſt ſcelerati, furcáque digniſſimi. Caue iiſdem ſuggerere confictas difficultates, & pericula grauia; quorum apprehenſione inducantur ad abdicandum ſeſe, animúmque deſpondeant. Caue in eundem finem circumuenire eos promiſſis fallacibus; abominatur hæc omnia magnanimus. Caue denique inuidere iunioribus & ingenioſis; nam hoc etiam ad ambitioſi iam promoti partes attinet, metuentis ne obſcuretur à talibus, & minus regnet in Senatu vel in Aula; poſſideatque principem, ſi illi quoque promoueãtur. Magna eſt hæc improbitas, & ingeniis multis præclaris Reipublicæ multùm prodeſſe valentibus, longè pernicioſiſſima. Sic proceræ arbores ſuffocant ſubiectas vites, vt notat Plut. in Politicis. Dices fortè periculoſa eſſe acuta ingenia, ſæpenumerò ingrata erga promotores ſuos: vt damno ſuo expertus eſt Ageſilaus poſt Lyſandri promotionem, ideóque arcenda à latere, & negotiis Principis. An non tu quoque ſolers vis videri, acutus & ingenioſiſſimus? Quàm multos vni Lyſandro poſſum opponere? An non valdè obſeruauit Cliſtenem promotorem ſuum Ariſtides, & Chabriam Phocio, & Syllam Lucullus, & Maximum Cato, & Pammenem Epaminondas?

§. 3. Habet & Prudentia, quæ magnanimo præſcribat, quoad laudis appetitionem & gloriæ. Non prohibet nec damnat eiuſmodi appeti-

Prudentia non damnat appetitionẽ gloriæ.

petitionem, cùm illius propositione milites suos ad bellum incendat Iudas Machabæus,
1 Mach. 2. dicens: *Æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & accipietis gloriam magnam*: & Apostolus Fideles propositione laudis ad operandum benè.
Rom. 13. *Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Sed prohibet damnatque inanem seu vanam, eò quod vanum omne vitiosum est, nec appeti debet, vt probat S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. ex versu illo Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ porrò censenda sit vana gloria, quando item contingat, intelligi satis potest ex documentis, quæ iam subijcio. Primum; ne magnifieri & laudari quæras à rebus, quæ laudem non merentur, sed vituperium. Notat genus hoc hominum diuinus codex velut inanissimum, cùm ait Prou. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.*
Pausanias interfecit Philippum ad quid. Pausanias cùm ab Hermocle audiuisset compendiosam viam aucupandæ gloriæ esse interficere illustrem virum; mox Philippum interfecit, sicut & Hieronymus Olgiatus Galeacium Sfortiam Mediolanensium
Olgiatus Galeacium. ducem, dicens: *Age Hieronyme, stabit vetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua.* Fulgosius: *His tu potius, si sapis erubesce, confundere, & pœnitentiam age, præsertim si non semel iis, sed aliquoties te contaminaueris.* Nam cum turpia sunt, quæcumque honestati aduersantur, tum sanè turpissima, cùm iterantur, quia argumento sunt transisse peccatorem

rem in affectum cordis, vt Propheta loquitur Psalm. 72. vnde Hierem. 2. ait Dominus: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas!* A vitio corporis nemo quærit laudem; sed quanta potest arte dissimulat, vt olim Vatinius strumā dibaphio, seu purpura bis tincta, qua tegebat illam, ne videretur; vel ne ita se proderet eius deformitas: minus adhuc quærere debet à vitio animi longè grauióre. Secundum, ne laudari expetas à fictis dotibus, aut benefactis; vt contingit illis, qui perfricta fronte mentiuntur se bona fecisse, quæ non fecerunt, aut scire & posse quæ nec sciunt, nec possunt; aut externo gestu & corporis habitu pietatem simulant; qua vt pilis ouum planè destituuntur. In hoc prædicamento sunt hypocritæ. Tertium, magnam laudem colligere nunquam stude ex re modica, sicut nec magnos fructus ex planta minima. Quibusdam impensè laudantibus Philippum Macedoniæ Regem, quòd esset formosus, eloquens, & egregiè biberet: Respondit Demosthenes, hæc nihil omninò, vel parum habere laudis: quòd primum esset fœminarum, alterum Sophistarum, tertium verò spongiarum. Huc spectat, ne valdè negotiosus in re parua videri gestias, vt faceret qui sub leui sarcina gemeret, vt multum ea premi videretur; vel qui multas fœminas, pueros, & id genus imbelles à se diceret armis profligatos; cùm longè sit

Vatinius strumam qua arte tegeret.

Demosthenis atutum responsum.

 laudā

laudabilius, pauciores, sed fortes debellasse. Inde namque est quod antefertur Alexandro Iulius Cæsar, vt qui bella gessit cum viris fortissimis; Alexander verò cum Persis ignauis, & ob ignauiam meritò comparatis gregi ouium ab Eudamida Lacedemone, cui cùm quidam victorias recitaret à Laconibus de iis reportatas; & suaderet, vt ipse similiter spe fretus victoriæ Macedones aggrederetur, respondit: *Ignarare mihi videris istud idem esse, ac si quis deuictis mille ouibus, pugnet cum quinquaginta lupis.* Quartum, ex bono opere tuo humanam laudem, & gloriam nunquam tibi expetas, vt in ea conquiescas, & teipsum oblectes, cùm appendix exigua sit, & velut vmbra sequax eiusdem boni operis, in quo si non est conquiescendum: sed referri debet vel ad Dei gloriam, dicentis: *Luceat lux vestra coram hominibus; vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*: hoc est, vt ex virtute vestra excellenti coniecturam accipiant excellentiæ Dei vobis imperantis; & magnum planè Dominum esse ratiocinentur, qui dat cultoribus suis fructus ferre tam eximios, (quo modo sanato paralytico *glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*) vel ad propriam aut etiam proximi salutem & perfectionem; quantò minus est quiescendum in laude, & gloria illa incertissima? Dixi, *vt in ea conquiescas, & teipsum oblectes*; quia si laudari cupis à concione, verbi gratia, vt populus dum te magni facit, libentius & maiori

Cæsar Alexandro prælatus, & cur.

Humana laus non quærenda.

Matth. 6.

Matth. 9.

cum

cum applausu sacra Dogmata, & pia documenta recipiat, quæ à te audit, faciliúsque persuadeatur credere, quod credendum est, & facere quod faciendum, nihil dubitare debes bonum esse desiderium. Quò porrò per te bene operantem laudetur Deus, & tu cum ipso, nec vnquam remittas manus, nec dicas, sufficit. Perpende, quid dicat Apostolus, Gal. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.* Quid item de M. Pisone Tullius: *Oratoris locum tenuit tandiu, dum laborauit; posteà quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria.* Quintum delatum tibi honorem, vel laudem ob insigne opus, aut virtutem Deo magis quàm tibi ascribito, cum eiusmodi operis causa tantum fueris instrumentalis ac secundaria; ille verò primaria; & simul intellige, quòd quia laudis portio tibi vt instrumento debita: tam est exigua comparata cum altera, vt penè nulla videatur, non abs re simpliciter absolutéque dicamus. *Soli Deo honor, & gloria*: & sollicitè cauere profitemur aliquid de sacro hoc anathemate furari vel contingere; sed integrum relinquere atque illibatum diuinæ eius maiestati: non secus ac Ioseph castissimus heram suam sibi blandientem domino suo intactam seruauit, & illibatam. Neque enim sibi minus seruari vult Deus laudem & gloriam ex præclaris factis nostris resultantem, quàm vxorem suam Putiphar. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo.* Nec minus,

Deo tribuenda omnis gloria & laus.

Rom. 16.

Isa. 42.

imò multò magis indignatur iniquis eius detentoribus, quàm Poetarum Princeps versuum vsurpatori, quos condiderat:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis vellera fertis oues.

Sython diis tribuit quòd occiderit Cotym.

Quocircà Sithon Atheniensis ob res feliciter gestas ipsum prædicantibus, maximè quòd Cotym Regem occidisset: *Diis*, ait, *habenda est gratia, quibus authoribus hoc factum est. Nam ipse nihil aliud, quàm manum & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei est, huic habenda gratia, si quid fœliciter cesserit.* Cato similiter cuidam gratias agenti sibi, quòd ei se patronum in senatu exhibuisset: *Non mihi agito, sed reipublicæ, cuius vnius intuitu facio quicquid facio.* Melius adhuc cum Sithone dixisset: Habeto gratias Deo, à quo pendet quæcumque Respublica, & vis omnis rectè operandi. Cautissimus in hac parte fuit Carolus V. quando debellatis in Germania Protestantibus, non dixit cum Iulio Cæsare post deuictum primo accessu Pharnacem: *Veni, vidi, vici*, vt scribit Plut. in Apophth. Rom. Sed, *veni, vidi, & vicit Dominus.* Et antè ipsum heroina illa Hebræorum Iudith fortissima: *Laudate Dominum Deum nostrum, qui in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.* Idem te præstare conuenit perfecta re

Cato omnia facit intuitu Reipub.

Carolus V.

Iudith. 13.

re

te quacumque fœliciter, & dicere: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Quin etiam ob rationem allatam non tam alios laudare studebis à gestis eximiis, quàm Deum ipsum; dicésque: *Benedictus Deus, à quo est tibi tantum donum, qui per te tam multa præstitit, profligauit hostem, & restituit rem.* Hoc modo eandem Iuditham laudauit populus vniuersus: *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Est sanè iste virtutis actus non vulgaris, quia vehementer titillat humana gloria debita præclaris operibus, quam proindè ægrè à se repellit homo, atque in Deum transfert: osculatur potius sibi adherentem velut amicam dulcissimam: *Pecunias contemnere volenti est facile; honorem autem à multis collatum despicere, multo labore indiget; magna sapientia est, Angelicæ cuiusdam naturæ ipsum cælestis testudinis verticem tangentis.* Sextum ac postremum, placeat tibi longè magis Deo probari, ab eóque commendari opera tua bona, quàm ab hominibus, quorum incertissima sunt iudicia; & quot capita, tot sensus. Si secus feceris; indignabitur tibi ob iniuriam, quæ à te in eum proficiscetur; nisi fortè iniuriam non interpretere laudari malle ab hominibus, iisdemque placere. *Hoc omnia peruertit, hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniam hominum respectu omnia facimus; & in bonis operibus nulla nobis cura est,*

Psalm. 113.

Ibib.

S. Chrysost. Homil. 43. ad pop.

Deo probari potiùs quàm hominibus opera studendum.

Idem in c. 4.1. ad Cor.

vt laudatorem Deum habeamus; sed laudem nobis à conseruis nostris inquirimus.

§. 4. Non prohibetur quidem vir magnanimus ad Dei dona, vel etiam ad bona quæ fe-
1. Cor. 2. cit, respicere, cùm scribat Apostolus: *Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Sed neque vetatur inde affici moderata lætitia. Nam si meritò tristantur mali de malo opere; cur non ex aduerso lætentur iusti de bono? Quid magis quàm hoc
Psal. 31. licere innuit ille Psalmi versiculus: *Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde?* Quis nescit benè operantem mulieri similem esse, quæ elegantulum parit infantem? De eiusmodi autem muliere ait Domi-
Ioan. 16. nus: *Mulier cùm parit, tristitiam habet; cùm autem pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Cùm in occiso Leone, qui Symbolum fuit nobilissimorum operum, mel Samson inuenisset, non recusauit eius gustare dulcedinem, qua significata est iusti lætitia rectè operantis. At de
Iactantia quando licita. iactantia maior est dubitandi ratio, possitne vir idem magnanimus, se, suaque extollere, & commemorare: & tamen dicimus, quòd possit bono fine in plerisque casibus; verbi caussa ad authoritatem propriam conseruandam, qua diminuta nihil aut parum prodesse valet Reipublicæ; integra verò permanente plurimum. Sic Apostolus necessitate adactus se-
2. Cor. 11. ipsum prædicauit, dicens: *In quo quis audet,*

audeo

audeo & ego. Hebrai sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico plus ego. Cúmque principio cerneret suspectam esse Apostolis cæteris electionem, & conuersionem suam; narrare cœpit, quanta per ipsum fecisset Dominus, Act. 9. & S. Basilius Simplicianum hæreticum sic alloquitur, à quo contemnebatur: *Admoneas teipsum extremæ diei, & nos non doceas: scimus plura quàm tu scias.* Et S. Greg. Nazian. in orat. ad Imperat. *Lex Christi vos meæ potestati, meóque subiecit tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo imperio etiam maiori ac perfectiori.* Deiicere te conatur Diabolus in desperationis barathrum; ad cogitationem recurre tuorum bonorum operum cum S. Hilarione, cuius vicini morti verba erant: *Egredere anima mea, septuaginta iã annos Christo seruiuisti, & adhuc times?* & cum Iob c. 29. perhibente sibi testimonium hoc magnificum: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Agere vis Deo gratias pro acceptis de manu eius beneficiis? Agnoscas oportet hæc beneficia, eique commemores, vel aliis, vt honorem ei concilies: & cum psalte in eiusmodi erumpas vocem: *Venite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.* Et Luc. 8. ait Christus energumeno, quẽ curauerat: *Redi in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus.* Sequitur autem: *Et abiit per vniuersam ciuitatem prædicans, quanta illi fecisset Iesus.* Ac ne omninò profanos prætereamus, ait Iunoni apud Virgilium Æolus:

S. Hilarion in morte.

S. Hier. in vita S. Hil.

Psal. 65.

Æneid.1. *Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra, Iouemque*
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

Premit quis innocentiam tuam calumnia, & virum bonum traducit vt nefarium; nihil obstat quò minùs ad abstergendam eam virtutes tuas proferas, opponasque verbis sycophantæ velut murum fortissimum. Fecit hoc Claudius ille Marcellus, qui primus seriò sese obiecit Annibali, accusatus à C. Publicio Bibulo, quod in bello conniueret, illúdque de industria protraheret. Confugit, inquam, ad honorificam eorum narrationem, quæ aduersus hostem illum exitialem Romani Imperij eoúsque gesserat, atque ita repressit obtrectatorē. Scipio quoq; Africanus vidēs se accusatū à M. Neuio, quasi minùs fideliter cum Antiocho eiusdem Imperij hoste alio grauissimo dimicasset; hæc verba dedit: *Tali die grauissimam, vtilissimam, & insperatam victoriam contra Annibalem vobis peperi; tanti beneficij nos dedecet esse immemores. Ergo criminatore isto relicto, eamus in Capitolium acturi diis gratias.* Reipsa processit, & omnes illum secuti sunt. Vis fortè ingratos confundere? Nunquam id præstabis fœliciùs, quàm si benefacta in illos tua recitanda suscipias, vestigiis insistens Iacob Patriarchæ, sic alloquentis Laban Socerum suum, nimis acceptorum immemorem: *Tu nosti,*

C. Marcellus accusatus repellit aduersariū.

Scipio irridet accusatorem.

Aul. Gell. l. 4. cap. 18.

sti, quomodò seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es ad introitum meum. Vis consternatos affines vel alios amicos tuos consolari? Non incommodè id feceris, si prosperitates tuas quas reputare suas debent, exposueris. Quod à Ioseph factum constat Gen. 45. *Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto; festinate, & adducite eum ad me.* Sociis addere cupis animum? Facies id non ægrè, si rem à te perfici potuisse, reipsaque perfectam non sine retributionis ingentis expectatione docueris. Quò spectat illa B. Pauli sententia ad Timotheum, quem imitatorem habere cupiebat virtutum suarum: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex; non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Sortiri desideras præclari cuiusdam operis occasionem? Sæpè te effugiet, nisi quædam protuleris à te præclarè gesta, quæ meritò argumenta videri possint agendorum posthac similium. Audire iuuat de se loquentem Dauid in conspectu Saul Regis, à quo prohibebatur in arenam cum Goliath descendere, velut infirmus cum robustissimo; *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis:* [illegible] &

2. Tim. 4.

Dauid quã fortis ac strenuus.

1. Reg. 17.

& persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & Leonem & Vrsum interfeci ego seruus tuus. Sed & de Sanctis quibusdam memoriæ proditum est, quòd ad impetrandam Dei misericordiam, vel aliquid temporale, interdum non dubitauerint sese commendare à virtutibus, vt Ezechias Rex Iuda, & Sara vxor Tobiæ iunioris; ex quibus ille pro vitæ prorogatione sic orat. 4. Reg. 20. *Memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, quod placitum est coram te, fecerim*. Hæc verò ad auertendam à se calumniam impactam sibi ab ancillula: *Tu scis*
Tob. 3. *Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni cõcupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me; neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui*. Et infrà: *Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni*. Extra hos casus ab omni iactantia & ostentatione caue tibi diligenter; nemini odiosissimus non eris, si teipsum cecineris, vt plurimùm vitiosa sui iacta-

Iactatio sui vitiosa.

tio est, affertque audientibus non fastidium modò, sed plerumque etiam odium; quia, vt eleganter scribit Quintil. l. 11. c. 1. *Habet mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoque abiectos aut submittentes se alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur, & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac*

despicere

despicere creditur, *nec tam se maiorem*, *quàm minores cæteros facere*; *Inde inuident humiliores*. Fingunt Poetæ egregiis filiis orbatam Niobē, quòd de iis intolerantissimè gloriaretur, alienos despiceret. Ob eam causam Gallinis relinque iactantiam oua statim annunciantibus, quę ediderunt; nec impetrare à se valentibus vt sileant: si appetis celebrari, non verbis opus est, sed benefactis:

Famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. — Virg. 10. Æneid.

Vituli & vaccæ, inquit Aristoteles, *grauiorem vocem edunt*, *quàm boues*, ita planè viri parum boni magis sua iactant, quàm magna virtute prędíti. (Arist. l. 5. de hist. anim. c. 14.) Ex quibus alij, vt Moyses, cauerunt libros sacros à se conscriptos propriis insignire nominibus. Alij de se quasi de tertio loquuntur in re plausibili, vt S. Ioan. Euangelista. (*Modestia in plurimis.*) *Discipulus ille*, inquit, *quem diligebat Iesus*. (Ioan. 21.) Alij partis duntaxat bonorum suorum meminere, ac si nihil prætereà boni egissent, vt Dauid Psal. 76. *dixi, nunc cœpi*. Alij sic laudant alios, vt procul distare ab eorum dotibus videantur, vt 2. Pet. 3. *Sicut charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi scientiam scripsit vobis*. Alij nō laudes, sed peccata sua modestiæ causa commemorant, vt S. August. in suis Confess. sique in suum aliquid laude dignum prorumpant, id se facere testantur inuitos. Scripsit hac occasione B. Paulus 2. Corint. 12. *Factus sum insipiens, vos me coëgistis, ego enim à vobis debui laudari,*

dari, adeò in mente habebat, quod ait Salomon: *Laudet te os alienum, & non os tuum.* Rectè quoque Epictetus: *Non enim vt de tuis laboribus meminisse tibi est suaue, sic & aliis audire iucundum.* Stultæ iactantiæ origines & genera tot ferè sunt, quot vanæ gloriæ, de qua supra. Duæ autem inter cæteras, de quibus in specie aliquid dicere non prætermittam, tum quia vix vllæ inter nobiles crebriores; tum quia tam iniustæ sunt, & visu dignæ, quàm iustæ multis apparent parum iudiciosis. Prima est eorum, qui vt dici solet, *in pace Leones, in bello autem & foris damæ & sorices.* Cùm in tuto sunt omnia, iurares nihil iis generosius, adeo multa à se iubent expectari, Leonum more rugiunt, vultum componunt ad seueritatem, adducunt supercilium; nunc hos, nunc illos sub angulo acuto respiciunt, barbam promissam alunt quæ terrorem incutiat, & præ se ferat simul fortitudinem. Gallos gallinaceos diceres cum gradiuntur, tanta est illorum cum grauitate maiestas. Quasi boues lassi aut saturi figunt pedem fortiter. Vbi hostes nullos adesse sciunt, discurrunt huc & illuc, quasi eos discerpturi, & vbinam sint simulato furore percontantur. Cùm standum est, crura deducunt, & vt Peleus supra modum placent sibi in machæra sua, quæ elegantem nacta vaginam vix vnquam vidit solem, & læuam quidem manum sinistro applicant lateri, dextra autem aut barbam demulcent,

Prou. 27.

Iactantiæ origines quot.

cent, aut reducunt cæsariem, aut intentant minas absentibus; lingua denique prorumpunt in execrationes horribiles, & Victoriam sibi certissimam pollicentur.

Parturient montes nascetur ridiculus mus.

Horat. in Arte. Ita opinione sua tam sunt magnanimi, quàm sapientum iudicio ridiculi. Namque vbi primum offert sese occasio edendi aliquod virtutis specimen, obmutescunt, trepidant, primi terga vertunt, & murium more in antrum se suum recipiunt. *Sic filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli.* Nec tamen in his ponunt suæ metas vanitatis, in insignibus præterea & fenestris vitreis depingi se curant, sub specie strenuissimorum ducum, vt quondam Athenienses curarunt repræsentarise in tabulis quasi iugulantes fugantesque Lacedæmonios. Opportunè autem accidit; inquit Plut. in Apopht. Lacon. vt cùm quidam inspectis tabulis exclamaret, *ô fortes Athenienses*; responderit Lacon, qui fortè aderat, *in tabulis*. Ad hanc priorem iactantiam videtur mihi proximè accessisse Accius ille Tragœdus, quem scribit Quintil. l. 5. c. 13. interrogatum, cur causas non ageret, cùm apud eum tanta vis esset in Tragœdiis; respondisse, quòd in illis ea dicerentur quæ ipse vellet; in foro dicturi aduersarij essent, quæ minimè vellet. Hoc eodem lumine procul à magnanimitate fuerunt seculi huius Nouatores (est hoc annotare operæ pretium) sistere

Isa. 77.

Atheniensium vanitas, & iactantia.

imò multò magis indignatur iniquis eius detentoribus, quàm Poëtarum Princeps versuum vsurpatori, quos condiderat:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis vellera fertis oues.

Sython diis tribuit quòd occiderit Cotym. Quocircà Sithon Atheniensis ob res feliciter gestas ipsum prædicantibus, maximè quòd Cotym Regem occidisset: *Diis*, ait, *habenda est gratia, quibus authoribus hoc factum est. Nam ipse nihil aliud, quàm manum & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei est, huic habenda gratia, si quid fœliciter cesserit.* Cato similiter cuidam gratias agenti *Cato omnia facit intuitu Reipub.* sibi, quòd ei se patronum in senatu exhibuisset: *Non mihi agito, sed reipublicæ, cuius vnius intuitu facio quicquid facio.* Melius adhuc cum Sithone dixisset: Habeto gratias Deo, à quo pendet quæcumque Respublica, & vis omnis rectè operandi. Cautissimus in hac parte *Carolus V.* fuit Carolus V. quando debellatis in Germania Protestantibus, non dixit cum Iulio Cæsare, post deuictum primo accessu Pharnacem: *Veni, vidi, vici*, vt scribit Plut. in Apo- *Iudith. 13.* pht. Rom. Sed, *veni, vidi, & vicit Dominus.* Et antè ipsum heroina illa Hebræorum Iudith fortissima: *Laudate Dominum Deum nostrum, qui in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.* Idem te præstare conuenit perfecta-

re

te quacumque fœliciter, & dicere: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Quin etiam ob rationem allatam non tam alios laudare studebis à gestis eximiis, quàm Deum ipsum; dicésque: *Benedictus Deus, à quo est tibi tantum donum, qui per te tam multa præstitit, profligauit hostem, & restituit rem.* Hoc modo eandem Iuditham laudauit populus vniuersus: *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Est sanè iste virtutis actus non vulgaris, quia vehementer titillat humana gloria debita præclaris operibus, quam proindè ægrè à se repellit homo, atque in Deum transfert; osculatur potius sibi adherentem velut amicam dulcissimam: *Pecunias contemnere volenti est facile; honorem autem à multis collatum despicere, multo labore indiget; magna sapientia est, Angelica cuiusdam natura ipsum cælestis testudinis verticem tangentis.* Sextum ac postremum, placeat tibi longè magis Deo probari, ab eóque commendari opera tua bona, quàm ab hominibus, quorum incertissima sunt iudicia; & quot capita, tot sensus. Si secus feceris; indignabitur tibi ob iniuriam, quæ à te in eum proficiscetur; nisi fortè iniuriam non interpretere laudari malle ab hominibus, iisdemque placere. *Hoc omnia peruertit, hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniam hominum respectu omnia facimus; & in bonis operibus nulla nobis cura est,*

Psalat. 113.

Ibib.

S. Chrysost. Homil. 43. ad pop.

Deo probari potiùs quàm homiib us opera studendum.

Idem in c. 4. 1. ad Cor.

vt laudatorem Deum habeamus ; sed laudem nobis à conseruis nostris inquirimus.

§. 4. Non prohibetur quidem vir magnanimus ad Dei dona, vel etiam ad bona quæ fecit, respicere, cùm scribat Apostolus : *Nos* (1. Cor. 2.) *autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Sed neque vetatur inde affici moderata lætitia. Nam si meritò tristantur mali de malo opere; cur non ex aduerso lætentur iusti de bono? Quid magis quàm hoc licere innuit ille Psalmi versiculus : *Lætamini* (Psal. 31.) *in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde?* Quis nescit benè operantem mulieri similem esse, quæ elegantulum parit infantem? De eiusmodi autem muliere ait Dominus : *Mulier cùm parit, tristitiam habet ; cùm* (Ioan. 16.) *autem pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Cùm in occiso Leone, qui Symbolum fuit nobilissimorum operum, mel Samson inuenisset, non recusauit eius gustare dulcedinem, qua significata est iusti lætitia rectè operantis. At de iactantia maior est dubitandi ratio; possitne (*Iactantia quando licita.*) vir idem magnanimus, se, suaque extollere, & commemorare: & tamen dicimus, quòd possit bono fine in plerisque casibus; verbi causa ad authoritatem propriam conseruandam, qua diminuta nihil aut parum prodesse valet Reipublicæ; integra verò permanente plurimum. Sic Apostolus necessitate adactus seipsum prædicauit, dicens : *In quo quis audet,* (2. Cor. 11.) *audeo*

audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico plus ego. Cúmque principio cerneret suspectam esse Apostolis cæteris electionem, & conuersionem suam, narrare cœpit, quanta per ipsum fecisset Dominus, Act. 9. & S. Basilius Simplicianum hæreticum sic alloquitur, à quo contemnebatur: *Admoneas teipsum extrema diei, & nos non doceas: scimus plura quàm tu scias.* Et S. Greg. Nazian. in orat. ad Imperat. *Lex Christi vos meæ potestati, meóque subiecit tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo imperio etiam maiori ac perfectiori.* Deiicere te conatur Diabolus in desperationis barathrum; ad cogitationem recurre tuorum bonorum operum cum S. Hilarione, cuius vicini morti verba erant: *Egredere anima mea, septuaginta iã annos Christo seruiuisti, & adhuc times?* & cum Iob c. 29. perhibente sibi testimonium hoc magnificum: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Agere vis Deo gratias pro acceptis de manu eius beneficiis? Agnoscas oportet hæc beneficia, eique commemores, vel aliis, vt honorem ei concilies: & cum psalte in eiusmodi erumpas vocem: *Venite; & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.* Et Luc. 8. ait Christus energumeno, quẽ curauerat: *Redi in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus.* Sequitur autem: *Et abiit per vniuersam ciuitatem prædicans, quanta illi fecisset Iesus.* Ac ne omninò profanos prætereamus, ait Iunoni apud Virgilium Æolus:

S. Hilarion in morte.

S. Hier. in vita S. Hil.

Psal. 65.

Æneid. 1.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra, Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

Premit quis innocentiam tuam calumnia, & virum bonum traducit vt nefarium; nihil obstat quò minùs ad abstergendam eam virtutes tuas proferas, opponasque verbis sycophantæ velut murum fortissimum. Fecit hoc Claudius ille Marcellus, qui primus seriò sese obiecit Annibali, accusatus à C. Publicio Bibulo, quod in bello conniueret, illúdque de industria protraheret. Confugit, inquam, ad honorificam eorum narrationem, quæ aduersus hostem illum exitialem Romani Imperij eoúsque gesserat, atque ita repressit obtrectatorē. Scipio quoq; Africanus vidēs se accusatū à M. Neuio, quasi minùs fideliter cum Antiocho eiusdem Imperij hoste alio grauissimo dimicasset: hæc verba dedit: *Tali die grauissimam, vtilissimam, & insperatam victoriam contra Annibalem vobis peperi; tanti beneficij nos dedecet esse immemores. Ergo criminatore isto relicto, eamus in Capitolium acturi diis gratias.* Reipsa processit, & omnes illum secuti sunt. Vis fortè ingratos confundere? Nunquam id præstabis fœliciùs, quàm si benefacta in illos tua recitanda suscipias, vestigiis insistens Iacob Patriarchæ, sic alloquentis Laban Socerum suum, nimis acceptorum immemorem: *Tu nosti,*

C. Marcellus accusatus repellit aduersariū.

Scipio irridet accusatorem.

Aul. Gell. l. 4. cap. 18.

sti, quomodò seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es ad introitum meum. Vis consternatos affines vel alios amicos tuos consolari? Non incommodè id feceris, si prosperitates tuas quas reputare suas debent, exposueris. Quod à Ioseph factum constat Gen. 45. *Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto; festinate, & adducite eum ad me.* Sociis addere cupis animum? Facies id non ægrè, si rem à te perfici potuisse, reipsaque perfectam non sine retributionis ingentis expectatione docueris. Quò spectat illa B. Pauli sententia ad Timotheum, quem imitatorem habere cupiebat virtutum suarum: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex; non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Sortiri desideras præclari cuiusdam operis occasionem? Sæpè te effugiet, nisi quædam protuleris à te præclarè gesta, quæ meritò argumenta videri possint agendorum posthac similium. Audire iuuat de se loquentem Dauid in conspectu Saul Regis, à quo prohibebatur in arenam cum Goliath descendere velut infirmus cum robustissimo; *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis:* &

2.Tim.4.

Dauid quã fortis ac strenuus.

1.Reg.17.

petitionem, cùm illius propositione milites suos ad bellum incendat Iudas Machabæus, dicens: *Æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & accipietis gloriam magnam*: & Apostolus Fideles propositione laudis ad operandum benè. *Bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Sed prohibet damnatque inanem seu vanam, eò quod vanum omne vitiosum est, nec appeti debet, vt probat S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. ex versu illo Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ porrò censenda sit vana gloria, quando item contingat, intelligi satis potest ex documentis, quæ iam subijcio. Primum; ne magnifieri & laudari quæras à rebus, quæ laudem non merentur, sed vituperium. Notat genus hoc hominum diuinus codex velut inanissimum, cùm ait Prou. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Pausanias cùm ab Hermocle audiuisset compendiosam viam aucupandæ gloriæ esse interficere illustrem virum; mox Philippum interfecit, sicut & Hieronymus Olgiatus Galeacium Sfortiam Mediolanensium ducem, dicens: *Age Hieronyme, stabit vetus memoria facti. Mors acerba, fama perpetua.* Fulgosius: *Hi tu potius, si sapis erubesce, confundere, & pœnitentiam age, præsertim si non semel iis, sed aliquoties te contaminaueris.* Nam cum turpia sunt, quæcumque honestati aduersantur, tum sanè turpissima, cùm iterantur, quia argumento sunt transisse peccatorem

1 Mach. 2.

Rom. 13.

Pausanias interfecit Philippum ad quid.

Olgiatus Galeacium.

rem in affectum cordis; vt Propheta loquitur Psalm. 72. vnde Hierem. 2. ait Dominus: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas!* A vitio corporis nemo quærit laudem; sed quanta potest arte dissimulat, vt olim Vatinius strumã dibaphio, seu purpura bis tincta; qua tegebat illam, ne videretur; vel ne ita se proderet eius deformitas: minus adhuc quærere debet à vitio animi longè grauiore. Secundum, ne laudari expetas à fictis dotibus, aut benefactis; vt contingit illis, qui perfricta fronte mentiuntur se bona fecisse, quæ non fecerunt, aut scire & posse quæ nec sciunt, nec possunt; aut externo gestu & corporis habitu pietatem simulant; qua vt pilis ouum planè destituuntur. In hoc prædicamento sunt hypocritæ. Tertium, magnam laudem colligere nunquam stude ex re modica, sicut nec magnos fructus ex planta minima. Quibusdam impensè laudantibus Philippum Macedoniæ Regem, quòd esset formosus, eloquens, & egregiè biberet: Respondit Demosthenes, hæc nihil omninò, vel parum habere laudis: quòd primum esset fœminarum, alterum Sophistarum, tertium verò spongiarum. Huc spectat, ne valdè negotiosus in re parua videri gestias, vt faceret qui sub leui sarcina gemeret, vt multum ea premi videretur; vel qui multas fœminas, pueros, & id genus imbelles à se diceret armis profligatos; cùm longè sit

Vatinius strumam qua arte tegeret.

Demosthenis arutum responsum.

laudabilius, pauciores, sed fortes debellasse.

Cæsar Alexandro prælatus, & cur.

Inde namque est quod antefertur Alexandro Iulius Cæsar, vt qui bella gessit cum viris fortissimis; Alexander verò cum Persis ignauis, & ob ignauiam meritò comparatis gregi ouium ab Eudamida Lacedemone, cui cùm quidam victorias recitaret à Laconibus de iis reportatas; & suaderet, vt ipse similiter spe fretus victoriæ Macedones aggrederetur, respondit: *Ignarare mihi videris istud idem esse, ac si quis deuictis mille ouibus, pugnet cum quinquaginta lupis.*

Humana laus non quærenda.

Quartum, ex bono opere tuo humanam laudem, & gloriam nunquam tibi expectas, vt in ea conquiescas, & teipsum oblectes, cùm appendix exigua sit, & velut vmbra sequax eiusdem boni operis, in quo si non est conquiescendum: sed referri debet vel ad Dei gloriam, dicentis: *Luceat lux vestra coram hominibus; vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*; hoc est, vt ex virtute vestra excellenti coniecturam accipiant excellentiæ Dei vobis imperantis; & magnum planè Dominum esse ratiocinentur, qui dat cultoribus suis fructus ferre tam eximios, (quo modo sanato paralytico *glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*) vel ad propriam aut etiam proximi salutem & perfectionem; quantò minus est quiescendum in laude, & gloria illa incertissima? Dixi, *vt in ea conquiescas, & teipsum oblectes*; quia si laudari cupis à concione, verbi gratia, vt populus dum te magni facit, libentius & maiori

Matth. 6.

Matth. 9.

cum

tum applausu sacra DOGMATA, & pia documenta recipiat, quæ à te audit, faciliúsque persuadeatur credere, quod credendum est; & facere quod faciendum, nihil dubitare debes bonum esse desiderium. Quò porrò per te bene operantem laudetur Deus, & tu cum ipso, nec vnquam remittas manus, nec dicas, sufficit. Perpende, quid dicat Apostolus, Gal. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo mettemus non deficientes.* Quid item de M. Pisone Tullius: *Oratoris locum tenuit tandiu, dum laborauit; postea quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria.* Quintum delatum tibi honorem, vel laudem ob insigne opus, aut virtutem Deo magis quàm tibi ascribito, cum eiusmodi operis causa tantum fueris instrumentalis ac secundaria; ille verò primaria; & simul intellige, quòd quia laudis portio tibi vt instrumento debita: tam est exigua comparata cum altera, vt penè nulla videatur, non abs re simpliciter absolutéque dicamus. *Soli Deo honor, & gloria*: & sollicitè cauere profitemur aliquid de sacro hoc anathemate furari vel contingere; sed integrum relinquere atque illibatum diuinæ eius maiestati: non secus ac Ioseph castissimus heram suam sibi blandientem domino suo intactam seruauit, & illibatam. Neque enim sibi minus seruari vult Deus laudem & gloriam ex præclaris factis nostris resultantem, quàm vxorem suam Putiphar. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo.* Nec minus,

Deo tribuenda omnis gloria & laus.

Rom. 16.

Isa. 42.

imò multò magis indignatur iniquis eius detentoribus, quàm Poëtarum Princeps versuum vsurpatori, quos condiderat:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores;
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis vellera fertis oues.

Sython diis tribuit quòd occiderit Cotym.

Quocircà Sithon Atheniensis ob res feliciter gestas ipsum prædicantibus, maximè quòd Cotym Regem occidisset: *Diis*, ait, *habenda est gratia, quibus authoribus hoc factum est. Nam ipse nihil aliud, quàm manum & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei est, huic habenda gratia, si quid fœliciter cesserit.* Cato similiter cuidam gratias agenti sibi, quòd ei se patronum in senatu exhibuisset: *Non mihi agito, sed reipublicæ, cuius vnius intuitu facio quicquid facio.* Melius adhuc cum Sithone dixisset: Habeto gratias Deo, à quo pendet quæcumque Respublica, & vis omnis rectò operandi. Cautissimus in hac parte fuit Carolus V. quando debellatis in Germania Protestantibus, non dixit cum Iulio Cæsare post deuictum primo accessu Pharnacem: *Veni, vidi, vici*, vt scribit Plut. in Apophth. Rom. Sed, *veni, vidi, & vicit Dominus.* Et antè ipsum heroina illa Hebræorum Iudith fortissima: *Laudate Dominum Deum nostrum, qui in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.* Idem te præstare conuenit perfecta re

Cato omnia facit intuitu Reipub.

Carolus V.

Iudith. 13.

re quacumque fœliciter, & dicere: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Quin etiam ob rationem allatam non tam alios laudare studebis à gestis eximiis, quàm Deum ipsum; dicésque: *Benedictus Deus, à quo est tibi tantum donum, qui per te tam multa præstitit, profligauit hostem, & restituit rem.* Hoc modo eandem Iuditham laudauit populus vniuersus: *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Est sanè iste virtutis actus non vulgaris, quia vehementer titillat humana gloria debita præclaris operibus, quam proindè ægrè à se repellit homo, atque in Deum transfert: osculatur potius sibi adherentem velut amicam dulcissimam: *Pecunias contemnere volenti est facile; honorem autem à multis collatum despicere, multo labore indiget; magna sapientia est, Angelicæ cuiusdam naturæ ipsum cælestis testudinis verticem tangentis.* Sextum ac postremum, placeat tibi longè magis Deo probari, ab eóque commendari opera tua bona, quàm ab hominibus, quorum incertissima sunt iudicia; & quot capita, tot sensus. Si secus feceris; indignabitur tibi ob iniuriam, quæ à te in eum proficiscetur; nisi fortè iniuriam non interpretere laudari malle ab hominibus, iisdemque placere. *Hoc omnia peruertit, hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniam hominum respectu omnia facimus; & in bonis operibus nulla nobis cura est,*

Psalm. 113.

Ibid.

S. Chrysost. Homil. 43. ad pop.

Deo probari potiùs quàm hominibus opera studendum.

Idem in c. 4.1. ad Cor.

vt laudatorem Deum habeamus; sed laudem nobis à conseruis nostris inquirimus.

§. 4. Non prohibetur quidem vir magnanimus ad Dei dona, vel etiam ad bona quæ fe-
1. Cor. 2. cit, respicere, cùm scribat Apostolus: *Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est; vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Sed neque vetatur inde affici moderata lætitia. Nam si meritò tristantur mali de malo opere; cur non ex aduerso lætentur iusti de bono? Quid magis quàm hoc
Psal. 31. licere innuit ille Psalmi versiculus: *Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde?* Quis nescit benè operantem mulieri similem esse, quæ elegantulum parit infantem? De eiusmodi autem muliere ait Domi-
Ioan. 16. nus: *Mulier cùm parit, tristitiam habet; cùm autem pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Cùm in occiso Leone, qui Symbolum fuit nobilissimorum operum, mel Samson inuenisset, non recusauit eius gustare dulcedinem, qua significata est iusti lætitia rectè operantis. At de

Iactantia quando licita. iactantia maior est dubitandi ratio; possitne vir idem magnanimus, se, suaque extollere, & commemorare: & tamen dicimus, quòd possit bono fine in plerisque casibus; verbi causa ad authoritatem propriam conseruandam, qua diminuta nihil aut parum prodesse valet Reipublicæ; integra verò permanente plurimum. Sic Apostolus necessitate adactus se-
2. Cor. 11. ipsum prædicauit, dicens: *In quo quis audet, audeo*

audeo & ego. Hebræi sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri Christi sunt, vt minus sapiens dico plus ego. Cúmque principio cerneret suspectam esse Apostolis cæteris electionem, & conuersionem suam, narrare cœpit, quanta per ipsum fecisset Dominus, Act. 9. & S. Basilius Simplicianum hæreticum sic alloquitur, à quo contemnebatur: *Admoneas teipsum extremæ diei, & nos non doceas: scimus plura quàm tu scias.* Et S. Greg. Nazian. in orat. ad Imperat. *Lex Christi vos meæ potestati, meóque subiecit tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo imperio etiam maiori ac perfectiori.* Deiicere te conatur Diabolus in desperationis barathrum; ad cogitationem recurre tuorum bonorum operum cum S. Hilarione, cuius vicini morti verba erant: *Egredere anima mea, septuaginta iã annos Christo seruiuisti, & adhuc times?* & cum Iob c. 29. perhibente sibi testimonium hoc magnificum: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Agere vis Deo gratias pro acceptis de manu eius beneficiis? Agnoscas oportet hæc beneficia, eique commemores, vel aliis, vt honorem ei concilies: & cum psalte in eiusmodi erumpas vocem: *Venite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ.* Et Luc. 8. ait Christus energumeno, quẽ curauerat: *Redi in domum tuam, & narra quanta fecit tibi Deus.* Sequitur autem: *Et abiit per vniuersam ciuitatem prædicans, quanta illi fecisset Iesus.* Ac ne omninò profanos prætereamus, ait Iunoni apud Virgilium Æolus:

S. Hilarion in morte.

S. Hier. in vita S. Hil.

Psal. 65.

sti, quomodò seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es ad introitum meum. Vis consternatos affines vel alios amicos tuos consolari? Non incommodè id feceris, si prosperitates tuas quas reputare suas debent, exposueris. Quod à Ioseph factum constat Gen. 45. *Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto; festinate, & adducite eum ad me.* Sociis addere cupis animum? Facies id non ægrè, si rem à te perfici potuisse, reipsaque perfectam non sine retributionis ingentis expectatione docueris. Quò spectat illa B. Pauli sententia ad Timotheum, quem imitatorem habere cupiebat virtutum suarum: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex; non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Sortiri desideras præclari cuiusdam operis occasionem? Sæpè te effugiet, nisi quædam protuleris à te præclarè gesta, quæ meritò argumenta videri possint agendorum posthac similium. Audire iuuat de se loquentem Dauid in conspectu Saul Regis, à quo prohibebatur in arenam cum Goliath descendere velut infirmus cum robustissimo; *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: &*

2.Tim.4.

Dauid quā fortis ac strenuus.

1.Reg.17.

& persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. Nam & Leonem & Vrsum interfeci ego seruus tuus. Sed & de Sanctis quibusdam memoriæ proditum est, quòd ad impetrandam Dei misericordiam, vel aliquid temporale, interdum non dubitauerint sese commendare à virtutibus, vt Ezechias Rex Iuda, & Sara vxor Tobiæ iunioris; ex quibus ille pro vitæ prorogatione sic orat. 4. Reg. 20. *Memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, quod placitum est coram te, fecerim.* Hæc verò ad auertendam à se calumniam impactam sibi ab ancillula: *Tu scis*
Tob. 3. *Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni cõcupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me; neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Et infrà: *Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni.* Extra hos casus ab omni iactantia & ostentatione caue tibi diligenter; nemini odiosissimus non eris, si teipsum cecineris, vt plurimùm vitiosa sui iacta-
Iactatio sui vitiosa. tio est, affertque audientibus non fastidium modò, sed plerumque etiam odium; quia, vt eleganter scribit Quintil. l. 11. c. 1. *Habet mens nostra natura sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoque abiectos aut submittentes se alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur, & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere*

despicere creditur, nec tam se maiorem, quàm minores cæteros facere; Inde inuident humiliores. Fingunt Poetæ egregiis filiis orbatam Niobē, quòd de iis intolerantissimè gloriaretur, alienos despiceret. Ob eam causam Gallinis relinque iactantiam oua statim annuntiantibus, quę ediderunt; nec impetrare à se valentibus vt sileant: si appetis celebrari, non verbis opus est, sed benefactis:

Famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Virg. 10. Æneid.

Vituli & vaccæ, inquit Aristoteles, *grauiorem vocem edunt, quàm boues*, ita planè viri parum boni magis sua iactant, quàm magna virtute prędíti. (Arist. l. 5. de hist. anim. c. 14.) Ex quibus alij, vt Moyses, cauerunt libros sacros à se conscriptos propriis insignire nominibus. Alij de se quasi de tertio loquuntur in re plausibili, vt S. Ioan. Euangelista. (*Modestia in plurimis.*) *Discipulus ille*, inquit, *quem diligebat Iesus.* Alij partis duntaxat bonorum suorum meminere, ac si nihil prætereà boni egissent, vt Dauid Psal. 76. *dixi, nunc cœpi.* (Ioan. 21.) Alij sic laudant alios, vt procul distare ab eorum dotibus videantur, vt 2. Pet. 3. *Sicut charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi scientiam scripsit vobis.* Alij nō laudes, sed peccata sua modestiæ causa commemorant, vt S. August. in suis Confess. sique in suum aliquid laude dignum prorumpant, id se facere testantur inuitos. Scripsit hac occasione B. Paulus 2. Corint. 12. *Factus sum insipiens, vos me coëgistis, ego enim à vobis debui laudari,*

cent, aut reducunt cæsariem, aut intentant minas absentibus; lingua denique prorumpunt in execrationes horribiles, & Victoriam sibi certissimam pollicentur.

Parturient montes nascetur ridiculus mus.

Horat. in Arte. Ita opinione sua tam sunt magnanimi, quàm sapientum iudicio ridiculi. Namque vbi primum offert sese occasio edendi aliquod virtutis specimen, obmutescunt, trepidant, primi terga vertunt, & murium more in antrum se suum recipiunt. *Sic filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conuersi sunt in die belli.* Isa. 77. Nec tamen in his ponunt suæ metas vanitatis, in insignibus prætereà & fenestris vitreis depingi se curant, sub specie strenuissimorum ducum, vt quondam Athenienses curarunt repræsentarise in tabulis quasi iugulantes fugantesque Lacedæmonios. *Atheniensium vanitas, & iactantia.* Opportunè autem accidit; inquit Plut. in Apopht. Lacon. vt cùm quidam inspectis tabulis exclamaret, *ô fortes Athenienses*; responderit Lacon, qui fortè aderat, *in tabulis.* Ad hanc priorem iactantiam videtur mihi proximè accessisse Accius ille Tragœdus, quem scribit Quintil. l. 5. c. 13. interrogatum, cur causas non ageret, cùm apud eum tanta vis esset in Tragœdiis; respondisse, quòd in illis ea dicerentur quæ ipse vellet; in foro dicturi aduersarij essent, quæ minimè vellet. Hoc eodem lumine procul à magnanimitate fuerunt seculi huius Nouatores (est hoc annotare operæ pretium) sistere

Nouatores non audent sese sistere in concilio Tridentino.

sistere se non audentes Tridentino Concilio, ad quod publicè, solenniter, ac multoties inuitati sunt data assecuratione omnis generis; cũ tamen priùs instantissimè vt celebraretur peterent. *Sic Celestius Pelagianus sentiens fraudes suas detectas subduxit se Apostolicæ sedis examini.*

S. Aug. l. 2. contra 2. ep. Pel. c. 3.

Excusationem prætendunt absentiæ, quòd Ioanni Hus seruata non sit fides in Constantiensi, quòd indictum fuerit Tridentinum authoritate Romani Pontificis, quòd denique præsenserint, se in eo non habituros vocem actiuam, nec admissum iri vt Iudices, sed vt reos. Verùm puerilis nimis est excusatio; quia non Synodus Constantiensis, sed Imperator solus saluumconductum dederat Ioanni Hus, vt patet ex Sess. 19. eiusdem Synodi, vbi simul declarat, se non teneri eo saluoconductu, quò minùs possit de eiusmodi personarum errore inquirere, eosque punire quantum suadebit iustitia, si sint pertinaces: At Tridentinum liberam promiserat eis abeũdi potestatem, quin etiam impunitatem. Quod ad Conciliorum decreta, perpetui moris in Ecclesia fuit, vt resoluerentur omnia in summi Pontificis authoritatem, adsciscentis sibi legitimos Antistites, ab eóque penderent velut à supremo Iudice, idque obseruatum in ipsa lege veteri, docebit te Iosephus lib. 14. Antiquitatum Iudaicarum cap. 16. adducto exemplo pulcherrimo. Nouatorum autem nullus summus est Pontifex, nec Antistes, nullus potest legitimè se vocatum, missumque ostendere. Sed

Conciliorum decreta resoluta in authoritatẽ summi Pontificis.

neque

neque ante eos vlli Hæretici actiuam habuere vocem in Conciliis seu generalibus seu prouincialibus, in quibus discussa illorum causa est, & iudicata. Nec mirum sanè, cùm reus sit, cuius causa discutitur; repugnet autem iuri & rationi, vt reus habeat vocem actiuam, iudicandíque potestatem. In specie altera turpis iactantiæ hoc loco perstringendæ, sunt, qui ambitiosissimè commendant se à præclaris maiorum suorum facinoribus, à prosapia, stemmate, & similibus. Mirum sanè, quomodò non vident, quòd si laudandi sunt propter virtutes maiorum, propter eorũ dein delicta & vitia vituperandi vicissim sunt & puniendi; cùm tamen velint punitionem non ad se, sed ad eos solos pertinere. Audiant quid de hoc argumento scriptum reliquerit S. Basilius: *Lex veritati propria vniuscuiusque encomia exigit. Neque enim equum celerem facit patris in cursu præstantia. Neque canis encomium est, ex velocissimis natum esse. Sed quemadmodum reliquorum animalium virtus in ipsis singulis consideratur; sic etiam viri propria laus, ex rectè ab ipso factis testimonium fert.* Eleganter quoque Ouid. 13. Metam.

In iactabũdos ob maiorum nobilitatem.

S. Basil. concio. in S. Mamatem.

Et genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto. & alibi:
Non census nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos ingeniúmque facit.

lib. 1. de Ponto.

Sicut ad commendationem monstrorum nihil confert parentum robur, forma, perfectio; imò tunc maximè se prodit illorum de-

formitas, quando cum genitoribus omni parte absolutis comparantur, & contraria iuxta se posita magis apparent; ita quò clariores virtute fuerint aui tui & proaui, contemnent te magis velut ab iis remotiorem, qui degenerasse sentient.

Magni quæ verè magna sunt facienda, quæ parua parui.

§. 5. Ad magnanimum pertinere diximus, magni æstimare quę verè magna sunt, quę autem parua, contemnere, ac saltem valdè perplexè, & plus quàm necesse est non prosequi. In priore illo genere primas tenet Deus optimus maximus. Tum eius cultus, de quo Philo Iudæus, *seruire Deo maxima est gloriatio, non modò libertate maior, sed diuitiis & principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur pretiosior.* Hæc est sapientia illa nobilis, quam toties Salomon antefert Regum sedibus, auro obrizo, & gemmis quibúsque pretiosissimis, & se adamasse scribit; & exquisiuisse à iuuentute sua. De qua etiam addit: *Inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnib. &c.* Adhæc æterna Beatitudo: nam cùm sit infiniti boni; hoc est, Dei æterna fruitio, quomodò fieri potest, vt in ea non inueniatur omne bonum, ac solatium; ab ea vicissim non absit omne malum? Væ proindè ingratis illis, qui certos in ea gradus, metásque sibi præstituunt, dicúntque; sufficit mihi, dūmodò in aliquam eius partem veniam; ambitiosus essem, si emi-

Phil. lib. de Cherub.

Sapientia nobilis quæ verè.

Sap. 7.

Æterna Beatitudo quid.

nere

nere in ea quærerem. Sufficit, fateor, pars siue gradus eius minimus ad explendum cuiusque appetitum; sed conatus adipiscendi eum solum, non sufficit ad testificandum quanti æstimare Beatitudinem debeat. Imò non aspirare ad ampliores, cùm possis, indicium est manifesti contemptus, ignauiæque turpissimæ, & quod temporalia bona pluris facias; in quibus acquirendis nullam tibi metam statuis; sed optas quærisque semper ampliora. Sicut admonemur maiores semper in via Domini progressus facere dum viuimus; in gratia, inquam, & sanctitate, *Æmulamini*, inquit Apostolus, *Charismata meliora*, & in Apocalypsi legimus, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*; ita ad maiorem semper aspirare beatitudinem, quæ sanctitatis est præmium, eóque magis coniunget nos Deo, quo maior fuerit. Vana est, atque à Deo reprobatur ambitio, qua caducis inhiatur honoribus neglectis æternis, vel quæruntur honores indignis sæpè obtingentes, aut alios claritudine sua offuscantes. In appetitionem autem æternorum nihil cadit eiusmodi. Caduci non sunt, nec ideò minus ab aliquibus participantur, quòd magis ab aliis. Ad eosdem indignus nemo admittitur; quia omnes dignos facit gratia, cui proportione respondet gloria: Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*. Quid plura?

Et quanti facienda.

1. Cor. 12.

Apoc. 22.

Ambitio quanam à Deo reprobata.

Cc 2 tanti

tanti refert à fœlicitate illa perenni non excidere ; vt ne postremus eius gradus nos effugiat, aspirandum sit modis omnibus ad maximum ; qua certè ratione fiet , vt non inueniamur minus habentes, quàm sit ad salutem necessarium ; sed summum capientes mediũ saltem obtineamus. Inter magna denique bona vide semper reponas eandem Dei gratiam , & viros sanctos , & fideles vitæ huius amicos : nam gratia , vt iam iam dicebam, mensura est æternæ beatitudinis, iúsque ad illam tribuit , gratos nos Deo, & in conspectu eius facit speciosos, vt non abs re ob tam insignes effectus dictum sit Apostolo : *Sufficit tibi gratia mea*. Sanctis tantùm tribuit Dominus, vt custodire se dicat omnia ossa eorum, mortem reputet pretiosam , in iis præbeat se mirabilem , multa edat miracula ad eorum postulationem , inuocationem, tactásque aut piè gestatas reliquias. Tunc etiam cùm adhuc ab eo peregrinarentur, conferebat mortalibus cæteris illorum intuitu complura beneficia, v.g. ducentis illis & septuaginta qui cum B. Paulo nauigabant, ad quem Angelus: *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecũ.* De amico bono scriptum est : *Amicus fidelis protector fortis, qui autem inuenit illum , inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio ; & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* In posteriore verò genere seu rerum contemnendarum locum habent laus, gloria , & honor quicumque paruus, qualem

Gratia beatitudinis æternæ mensura.

2. Cor. 12.
psal. 33.
115. 67.

Act. 27.

Eccles. 6.

Laus honor &c. quales quærendi.

qualem negligi debere à viro magnanimo agnouit & docuit Aristoteles, cuius ecce tibi verba: *Magnanimi est ad honoratas res non accedere, aut vbi alij principatum obtinent, ociosumque esse & cunctatorem, nisi vbi magnus aliquis honor, magnúmque opus est.* Et quoniam tales sunt, quicumque ab hominibus deferuntur, tametsi secus senserit idem Philosophus, etiam Imperiales, & Regij, de quibus S. August.lib.8.Cõfess.c.6. *Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris, quò ambimus peruenire? quid quærimus? maior ne esse potest spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum?* Sequitur magnanimum non esse, quisquis eos suspicit & dignos censet, qui magno labore ac studio conquirantur; esto vel eos admittat sibi delatos, ac etiam quandóque requirat non tam propter se quasi eos curet; quàm propter officium bonumque subditorum, quos sic expedit in humilitate conseruare, vel de iis non conqueratur, quasi merito suo impatibus. Idem de humana laude, gloriáque iudicium; nihil ea fugacius, nihil mutabilius, & incertum magis. Quàm te multi laudant præsentem, qui absentem vituperant; quàm multi ore glorificant, qui in recessu cordis sui indignum putant vnius diei vita? Si eos vel parum offenderis; confestim finem accipit laus omnis, sicut & præteritorum beneficiorum recordatio. Si in vitium aliquod

Arist. lib. 4. Eth. c. 4.

Laus humana quàm fugax & mutabilis.

degeneraueris, contemptui mox, & infamis eris; & eorum fabula, qui te laudibus paulò antè ad astra vsque attollebant. Sed præcipuè futilis laus eorum est & aspernanda, qui aliena merita furtim sua faciũt, & indè laudẽ aucupantur. Eleganter M. Tullius tales cõparat latronibus l.5.de finibus: *Vt fures earum rerum quas ceperunt, signa commutant; sic multi alienis sententiis pro suis vtuntur, nomina tanquam rerum notas mutantes.* Illa item, quæ à vilibus, infamibus, vitiosis hominibus proficiscitur.

Proficiscens à malis fugienda.

Laudare non solent nisi quæ magnificaciunt; illis autem cùm sit vitiositate corruptum iudicium, nihil facilè magnum videtur, nisi quod olet vitium; ita fit, vt laude sua bonos contaminent, eò quòd insinuant eos sibi esse similes, & vitio aliquo viuere inquinatos. *Non* itaque *speciosa laus est in ore peccatoris*, vt scribit Eccles. c. 15. meritóque Deus talem aspernans Psal.49. ait peccatori: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* & Christus Marc. 1. non patitur dæmonia loqui, sibique dare testimonium; sicut nec electus eius Apostolus, quem & Timotheum cùm commendaret immundus ille spiritus, exclamans: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*; imposuit ei silentium: *Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea; & exiit eadem hora.* Tolerabilis contra, imò suo æstimanda pretio est laus

Act. 16.

A bonis veniens æstimanda.

laus bonorum; vt æstimauit apud Ciceronem Neuianus, cùm diceret: *Latus sum, laudari me abs te pater à laudato viro.* In numero similiter rerum spernendarum sunt temporales diuitiæ, quæ sine dubio si bona essent magna, vera, solida, in cælo inuenirentur, indè autem excluduntur. Contempsit eas quondã Crates Thebanus, vir ditissimus, & proiecit in profundum maris, ne illarum cura & sollicitudine à philosophandi studio auocaretur. Christus autem quid? An se valdè occupauit in iis coaceruandis? Cùm omnibus vti posset pro arbitrio, & iure suo, ne quidem aliquid habere voluit, vbi caput reclinaret; Et quamuis non præceperit quibúsque perfectionis amatoribus, omnes vt venderent, & pauperibus erogarent. In propatulo collocantur, quæ magni fiunt; ipsæ autem opes eiusmodi inclusit, & abscondit terræ visceribus, veluti res despicatissimas, & quasdam mundi sordes in antrum relegandas, veluti virorum bonorũ indignas oculis, & malorum duntaxat delicias. Psal. 16. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Illas B. Paulus spreuit quasi stercora, & contentos nos esse voluit paucissimis. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Easdem affirmat, cùm nimis multiplicantur, retia esse Diaboli: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quia mergunt homines in interitum & perditionem.*

Cic. lib. 5. fam. ad Luceium.

Diuitiæ temporales qualia bona.

Crates mergit diuitias, & cur.

Luc. 9.

Matth. 19.

Absconditæ in terra visceribus cur.

1. Tim. 6.

Ibid.

Vndè Salomon mediocris fortunæ potius e-legit esse, quàm valdè opulentus: *Diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum*; & inflatorum more Atheorum, *dicam, quis est Dominus*? Prisci authores, vt earum vilitatem ostenderent, & contemptum persuaderent, literis prodiderunt Vlyssem donatum preciosissima, & odorifera veste à Calypso amica sua, reiecisse eam, vbi se expertus est in aquam prolapsum ab ea magis magísque demergi & grauari, nec enatare posse. Plut. lib. de vitanda vsura. Scripserunt alij nequaquam iis sedari graues mentis curas; sed magis augeri:

Prou. 30.

Horat. lib. 2. Carm. ode. 6.

Non enim gaza, neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vir magnus quis.

Alij denique virum magnum definiuerunt, qui eas infra se duceret, ac poneret in minimis. *Disputarunt Philosophi*, inquit Theophrastus, *coram Philipo Macedone Rege, quæ res esset in mundo maxima. Dixerunt quidam, montem Olympum, alij solem, alij mare, intra quod terra natat. Postremus verò ac sapientissimus habitus respondit, animum terrena omnia despicientem, & illis omnibus superstantem.* Itaque contemnamus eas, quorquot magnanimi esse volumus, si non ita vt abiiciamus planè, vt saltem cor seu affectum non apponamus; quandoquidem in iis & sublunaribus aliis sita non est vera fœlicitas, sed ab indita debet

bet virtute promanare: sicut calor non est à vestibus, sed à calente corpore, esto à vestibus retineatur, ne effluat, vt tradit Plut. lib. de virtute & vitio. At magnum saltem ornamentum opes afferunt. Ne hoc quidem, ornantur potius à viris probis eas possidētibus; à cæteris autem contaminantur. Amicos gignunt, sed vt plurimum inconstantes, iis persimiles de quibus Ouid. l.2. de Pont. Eleg. 3.

Diuitiæ potiùs ornantur à possessoribus probis quàm ornent.

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit velis aura secunda meis:
Vt fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera puppe relinquor aquis.

Vis tandem scire, quid inter cætera despicatui habendum sit tanquam verè paruum? Iudicium insulsorum hominum, de rebus in quibus versati non sunt, vel ad quarum tractationem minimè à Deo vocati. Rideres puto, nec audiendos crederes, qui bello nunquam interfuissent, nec sulcassent mare nauibus, longas tamen ratiocinationes instituere præsumerent de militaribus rebus & naualibus. Ad eundem planè modum sententias contemne vitiosorum hominū de virtutibus ac bonis operibus, seu pietatis exercitiis; Indoctorum item de scientia & re literaria, secularium definire audentium controuersias de fide ac religione. Otiosorum denique rebus se tuis immiscentium, easque pro affectus diuersitate aliter interpretantium. Talibus vehementer indignari solebat S. Hieronymus epist. 14. quòd nihil boni valentes facere,

Iudiciū insulsorum quanti faciendum.

re, de aliis tantum iudicare præſumerent. Eodem ſpectat apophthegma Demetrij, dicere ſoliti ſe eiuſmodi Cenſorum voces importunas non magis æſtimare, quàm ventris flatum. Nihil enim ferè intereſſe ſurſum, an deorſum ſonus turpiter emittatur. Adderem interrogatus imitandam Lunam in eo, quòd ad importunos canum latratus obſurdeſcens nunquam intermittat curſum ſuum; canes autem ſilentio eius confuſi coguntur tandem fatigati rabida ora claudere. Imitandam item incudem maximam, qualis nec ictus metuit, nec ſtrepitus. Ita non curat vir magnanimus; ſed deridet inuidorũ cenſuras, & popularẽ loquacitatẽ. Puſillanimus verò quaſi ampulla vitrea ictũ nullũ ſuſtinet, & quaſi apis fumi eſt impatientiſſimus. Nihil autẽ aliud ſunt dicteria garrulorũ, quàm fumi inaniſſimi. In hoc potius apes imitemur, quòd melliferæ ſint, quòd mundæ, laborioſæ, oſores Veneris, Regi ſuo obſequentes; nec vnquam magni aliquid præſtituros nos ſperemus, quandiu non didicerimus eiuſmodi nugatorum verba aſpernari. Indigna ſunt quæ attendantur, non ſolùm ſi vituperationem contineant, ſed etiam ſi laudem, vt dicebamus. Quod ne quis à me ſolo credat affirmari, Senecam audiat: *Laudes ab improbis & ſcurris proficiſcentes, cùm ſint fucatæ & inſyncera, modis omnibus cauendæ ſunt, neque oportet ab his ſic affici, quemadmodum afficiuntur ſues, dum fricantur, atque titillantur,* vt

Puſillanimus nullum ictum ſuſtinet.

Sen. l. de vitioſa verecundia.

vt nos ipsos facillimè præbeamus vtendos cuiuis volenti, deiicientes nos, & ad scalpturam accommodantes.

§.6. Vide tandem dignitatem vt adeptus & honorem, nec te, nec illum dicto, factóue aliquo inhonesto labefacias, ne de te dicant: *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* Vt vituperio digni sunt, qui honores & dignitates ambitiosè quærunt directè vel indirectè, per se vel per alios: ita qui adeptas dedecore aliquo afficiunt, quas magis deberent illustrare. Ridicula semper simia tunc videtur præcipuè, quando supra theatrum, aut columnam constituta, vndè videtur ab omnibus, nudas ostentat nates, & nugas agit. Et tu quoque fabula eris vicinorum & conciuiũ si abuti te contingat delatis honoribus. Cur putas faciei næui & maculæ maximè fœdant inspectos, & offendunt inspicientes; nisi quia facies, in qua videntur, eminentissima pars est corporis; inferiores autem teguntur, nec ita sunt peruiæ? Ornare præstat insignia, quam ornari ab insignibus; nouus item honor nouos mores postulat. Stella prius eras nebulosa, nunc à te sole facto per adeptionem Magistratus radij expectantur eximiorum operum. Lucernæ instar positæ super candelabrum lucendum tibi est domesticis, & subiectis omnibus. Sic itaque te geras, vt illi te sibi gratulentur tuis probè fungentem partibus, defleant morientem, requirant

Dignitatẽ adeptus non debet eam labefacere. Psal. 48.

requirant absentem. Ne insolescas delatis honoribus. *Rectorem te posuerunt, noli extolli.* Facilè est Deo, qui te prouexit, deprimere, & facere nouissima tua peiora prioribus. Qui insolescit, humanos honores magni pendit, atque hoc ipso deficit à virtute magnanimitatis. Ingenium quoque seruile ac illiterale sibi esse demonstrat, talium siquidem est efferri intolerabiliter:

Ecclesf.32.

Insolentia in honoribus quàm maximè vitanda.

Asperius nihil est humili cùm surgit in altum.

Claud. l. 1. in Eutrop.

Et iuxta Salomonem: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per seruum cùm regnauerit.* Et infrà: *per ancillam, cùm hæres fuerit dominæ suæ.* Sicut ignis numquam voracior est, quàm vbi multum excreuerit; ita ampliorum honorum appetentissimi solent esse, qui delibare cœperunt aliquos. Rectè proindè feceris frænum tibi in hac parte iniiciendo: sic sanè à te auertes pericula capitis, ex quibus illa sunt grauissima, quæ cùm magnis honoribus coniunguntur; nec mirum, cùm valdè prouecti, vicini sint principibus (qui igni persimiles facilè adurunt sibi nimis appropinquantes) & vix soleant modestè se gerere, sed sua freti dignitate æquent se illis, aut mandata infringant, aut liberiùs cum illis agant, quàm ferat quæ illis debetur, reuerentia. Hostium & æmulatorum artes taceo, tunc maximè incumbentes calumniis, quibus si fieri potest, quos oderunt, prouectos deiiciant. Quo in genere quid passi sint Bellisarius sub Iustino Imperatore; Aluarus Luna sub Io.

Prou.30.

Castellæ

Castellæ Rege, & nostro seculo Albuquercius Lusitanus Dux fortissimus; & infiniti alij; dicerem, si non esset notissimum. Rectè Ouidius:

Ouid. lib. 3. de Trist.

Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique memor contrahe vela tui.

Et Horatius l. 2. ode. 10.

Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Hoc si impetrare à te nequit modestia, vide saltem ne ampliores honores seditione, dolo, fraude, vi, iniustitia, & malis id genus artibus tibi comparare studeas, quarum infœlicissimus plerúmque est exitus. Denique si te in dignitate constitutum, videas, præstare bona fide quod potes; nec tamen satisfacere subditis aut Reipublicæ, nulli propterea te tradere grauiori mœstitiæ. Nemo plura tenetur facere, quàm valet. Perpende rursus, reipsáne deficias an non. Nam si deficias, præstat vt teipsum abdices eo munere, quàm vt tandem deiiciare, eius qui tibi præest, authoritate, & infestetis continuis tuorum odiis, obloquutionibus, murmurationibus, conspirationibus, & aliis id genus miseriis. Si te præclarè obeuntem partes tuas princeps, vel iniustè vel leui de causa in ordinem redigat; caue idcircò ei obloqui; quandoquidem facilè fiet vt Corycæum aliquem iubeat dicta factáque tua obseruare, vt rectè magis adhuc puniat in detractione deprehensum, vel ex modestia tua innocentiæ virtutísque coniecturam accipiat,

accipiat, & te hoc modo probatum antiquo gradui restituat. Denique si fortè idem iniusta deiectione non contentus præciperet, vt criminis te reum faterere, à quo te sentis immunem, ne obtemperaueris; quia obtemperando mentireris, & contra teipsum diceres falsum testimonium. Coluit hanc magnanimitatis speciē Ioannes Maresius vir insignis Lutetiæ Mercatorum, vt vocant, Præfectus, & Caroli VI. Aduocatus: qui iam tribus superioribus Regibus fidelissimè seruierat. Accusatus enim, quòd non satis compressisset seditionem quandam; ob idque damnatus capitis, monitúsque, vt si vitæ suæ consultum vellet, reū se fateretur læsæ Maiestatis & veniā à Rege postularet: Absit hoc à me, inquit; nunquam in Regis Maiestatem à me peccatum memini, & in animam meam testem inuoco Deum, fecisse me quod potui; sed nequiuisse statim perfectéque tantam hominum multitudinem compescere. His dictis ceruicem carnifici fortiter exhibuit præcidendam. Ne tamen occideretur, potuisset, vti alio loco diximus, famam suam prodigere; hoc est, se reum fateri: dummodò verborum suorum sensum à mendacio alienum concepisset, v.g. ore dicendo *reus sum*, intra se autem intelligendo, *si vera est accusatio.*

Bellef. in Carolo 6.

Vir humilis quid agere, à quibus item sibi cauere debeat.

CAPVT IX.

§. 1. *Humilitas quid sit; quotuplex, quæ potissimum consectanda.*
2. *Humilitatis vera ac præcipua partes & munia.*
3. *Quanam arte quærenda humilitas.*
4. *Humilitas quos maximè deceat.*

§. 1. HVMILITAS, si nomen spectes, ab humo nomen trahit, quòd hominem ad humum vsque deiiciat, hoc ipso quo ille defectus suos considerans quibus nihil altum debetur, parui se æstimat; vehementer deprimit, sibique vilescit, vt notat S. Bern. in lib. de gradibus humilitatis. Hanc ob causam magnanimitati repugnare videtur aspiranti ad sublimia; verè tamen non repugnat, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 129. a. 3. ad 4. & q. 35. a. 1. ad 3. quia hæ duæ virtutes diuersa ratione ad diuersa tendunt. Eximias virtutes sibi proponit magnanimus tanquam magna bona, & consequenter honores magnos, non propter se quasi eos multum curet; sed quia debentur eiusmodi virtutibus, & stimulo sunt ad eas ardentiùs consectandas: simul autem cauet, virtutibus suis impares quærere, vel admittere. Humilis autem insistens totus cognitio

Humilitas, vnde dicta.

Magnanimus quid sibi proponat.

Humilis quid.

cognitioni suæ, defectus & necessitates suas ante oculos statuit, atque ita minimè laudari postulat, aut præferri cæteris; sed parui potius æstimari, & subiici ac postponi; quandoquidem nec laus, nec honor, nec præpositura decet peccata, quæ commisit, nec defectus quos circumfert, nec necessitates, quas patitur; sed subiectio magis ac cõfusio. Vnde & Christus secundùm naturam humanam à diuina maximè deficientẽ, iuxta illud Isa. 40. *Omnes gentes quasi nõ sint, sic sunt coram eo*; humilitatem valdè coluit, vt tradit idem S. Thom. q. 161. a. ad 4. Est autem humilitas duplex, exterior vna, qua modestè quis de se loquitur, in nouissimo recumbit loco, humi iacet, alios subsequitur, viles sibi vestes circumponit, oblatos honores repudiat, &c. Interior alia, qua sentit de se modestissimè, externámque illam demissionem sibi reuerà credit conuenire, ob idque eam vel sibi gratulatur quasi consentaneam ac propriam; vel saltem fert patienter: vndè S. Bern. serm. 16. in Cant. *Verus humilis vult videri, non humilis prædicari*. Indicat distinctionẽ hanc & simul cõmendat posterioreẽ humilitatis speciẽ S. Hieronymus his verbis: *Humilitatem sequere, non quæ ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum; sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud enim est virtutem habere, aliud virtutis similitudinem*. Sed fortè intra te dicis: Humilitatis modum, formámque debemus à Christo accipere; ait námque

Humilitas duplex.

S. Hier. in epist. ad Celantiam.

námque

namque Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Ille autem nunquam ita corde humilis fuit, vt errata in se aliqua defectusque agnosceret, vtque honore indignum se iudicaret; dignum confusione: facilis responsio; rationabilem oportet esse humilitatem nostram, sicut & obsequium. Rationabilis autem est, quando peccata & defectus nostros si verè insunt, fideliter agnoscimus, vel si non insunt, humilem saltem conditionem nostram profitemur; sic tamen vt iura non inficiemur. Humillimus fuit Christvs, quantum passa est veritas, rectaque ratio. Quia peccato omni carebat & vitio, non debuit se peccatorem credere, nec reum pœnæ, quæ debetur peccatoribus: Quia verò homo erat, & quoad hoc Deo minor, palam hoc professus est, Ioan. 14. *Pater maior me est*, vixit ei semper subiectissimus, nihilque antiquius habuit, quàm morē gerere diuinæ eius volũtati, quoad mediatoris officium, vnde cùm dixisset Ps. 39. *In capite libri*, hoc est, diuinæ dispositionis de salute humani generis, *Scriptũ est de me, vt facerẽ voluntatem tuam*, mox adiecit, *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* In horto autem oliuarum cùm respiciens ad malum naturale mortis corporis dixisset, *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, confestim obtutum conuertens ad Dei decretum, atque ad salutem hominum addidit: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*, atque ita *humiliauit semet-* Matth. 26.

ipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Cumque in se esset innocentissimus, peccatorum nihilominus personam vltrò sustinens, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, & factus pro nobis peccatum*, id est, hostia pro peccato, culpas nostras in se suscepit expiandas, iuxta illud 1. Pet. 2. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* & Isa. 53. *Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrûm.* Fecit hoc ipsum, vt diceret Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, id est, delicta hominum quæ mea reputo, quatenus abolere ea decreui, non patiuntur vt saluti & vitæ meæ consulam, cùm per mortem meam sint abolenda; exponam itaque libenter illam morti, proculque ab eo ero, vt quò mihi prospiciam inexpiata hæc delicta relinquam. Vides Lector, humilitatem eius incomparabilem, quomodo cum se iustum sciret esse & innocentem, voluerit tamen causa nostra vt reus plecti, contumeliis affici, planè contemni, cum iniquis reputari. Et cùm sibi etiam vt homini (ob vnionem hypostaticam) nosset datam omnem potestatem in cœlo & in terra, ius præterea competere in omnia mundi regna, nullum tamen sibi vsurpauerit, ab omni pompa & maiestate abstinuerit, diuitias contempserit, probè intelligens horum omnium vsum non cohærere cum mediatoris munere volentis nos morte sua redimere.

Philip. 2.
Isa. 59.
2. Cor. 5.

§. 2.

§. 2. Audi iam & diligenter obserua partes viri verè humilis. Primò subijce te Deo, & dispositioni eius diuinæ, ac voluntati. Agnosce te eius creaturam, téque admonens dicito, *Subiecta esto Deo anima mea:* subditis autem tuis, *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Ipsum time semperque reuerere valentem corpus, & animam tuam perdere in gehennam. Quid Lucifero & Angelis eius profuit subesse nolle, nisi vt ignominiosissimè detraherētur ad ima tartari? Si te afflixerit, vel affligi permiserit, suscipe de manu eius disciplinam; non declines in verba maliciæ, noli teipsum iustificare, sed Deum, dicitóque: *Iustus es Domine, & certum iudicium tuum: agnosco peccata mea, quibus iram tuam merui: cùm ita me punis, non secundùm ea facis mihi, nec secundùm iniquitates meas retribuis; digna factis recipio.* Ethnicis reis in vsu fuit hæc humilitas etiam erga principes, quos læserant. Exulis vnius verba sunt:

Veri humilis partes. *Psal. 61.* *1. pet. 5.* *Psal. 118.* *Luc. 10.*

Et iubet & merui, nec quæ damnauerit ille
Crimina, defendi fasue piumue puto:
Omniaque hæc timui, quoniam meruisse videbar:
Sed tua peccato lenior ira meo est.

Ouid.

Et quoniam legitimi superiores vicem eius gerunt, eis te propter ipsum submittito, semper memor grauissimæ illius sententiæ: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* In cuius confirmationem scribit Apostolus Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem*

Luc. 10.

resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Secundò, considera diligenter lapsus & relapsus tuos quotidianos, ineptias, inconstantiam, imbecillitatem, vanitatem, absurdos mores ac ridiculos; quorum seria cogitatione fiet sine dubio, vt dicas: *factus sum mihimetipsi grauis:* & te tui vehementer pudeat, sicut Iunoniam auem pudet deformitatis pedum suorum, cùm eos intuetur, & deprimit, quas prius ambitiosè explicabat plumas superbiæ. Imprimis autem; pone tibi antè oculos stupendam oscitantiam tuam circa vitiorum extirpationem, virtutúmque studium, qua factum est, vt ne virtutem quidem adhuc vnam post tot annos, intra tot bene agendi occasiones tibi comparaueris; ne vnum quidem vitium perfectè extirpaueris; imò contra tot promissa, vel pia decreta in Sacramento cõcepta Pœnitentiæ, non desinas more canũ redire ad turpẽ vomitum, more suum ad luti volutabrum, & delictis nouis vetera cumulare. Magna profectò hæc humilitatis materia est & confusionis, vt meritò te possis ac debeas minimum æstimare, quotquot sunt mortalium; hoc sensu, quòd nemo alius tam pauca fecisset bona, si tot abundasset benè operandi, proficiendique occasionibus; nemo tot perpetrasset mala, si ad manum habuisset tot ad se immaculatum conseruandum auxilia. Quin etiam iuuerit ad memoriam reducere culpas veteres etiam condonatas, Apostoli exemplo dicentis: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari*

Lapsus quã sæpissimè animo voluẽdi.

Iob. 7.

Humilitatis materia.

1. Tim. 1.

vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: quod tamen delictum sibi fuisse remissum testatur, cùm addit: *Sed ideo misericordiam consecutus sum.* Tertiò, noli extolli vanis spebus, rebusque prosperis, cùm proclinius nihil sit, quàm vt mutentur in aduersas. *Quo die Seianũ Senatus deduxerat, populus in frusta diuisit. In quem quicquid congeri poterat, Dij hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.* De Iechonia superbiente ob res secundas, ait Dominus: *Viuo ego, quia si fuerit Iechonias sicut annulus in manu mea dextera, inde euellam eum, & dabo te in manu quærentium animam tuam.* Quartò, nemini te facilè præposueris; quia vt vincas hunc vel illum dote vna, facilè fit, vt vicissim ab eo vincaris altera, & maiore quidem non secus ac pauo cantu superatus à luscinia plumis longè antecellit. Quin etiam secundùm vnam eandemque nihil vetat vincere & vinci, vt Ciceronem & Demosthenem, de quibus Quintilianus. *In eloquendo est aliqua diuersitas: densior ille, hic copiosior, ille concludit arctiùs, hic latiùs: pugnat ille acumine semper, hic frequenter & pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci; curæ plus in illo, in hoc naturæ.* In vnoquoque sunt bona quædam permixta malis.

Terra salutiferas herbas, eadémque nocentes
Nutrit, & vrticæ proxima sæpè rosa est.

Formosior proximo es, sed sanior ille ac robustior. Ditior es, sed stupidus fortè, & sine

Spe vanà, nec rebus prosperis non superbiẽdũ.

Sen l. 1. de Tranq. c. 11

Seiani fatũ.

Hier. 22.

Nemo sese debet alteri præponer.

Quintilianus l. 10. c. 1.

Ouid l. 1. de remed.

Dotes propria vnicuique.

cerebro sicut pulchra capita in sculptoris officina; ille autem doctior atque ingenio fœlicior; vel tu doctior, ille probior; tu nobilior, ille docilior, humanior & Reipublicæ vtilior; neque enim nouum est plus habere vtilitatis, vel magis esse necessaria, quæ sunt imperfectiora, vt panem, quàm carnem; aërem, quàm ignem. Tibi fortè natura plus memoriæ, illi verò plus contulit iudicij. Peritior es humaniorum literarũ; sed ille studio præit Theologiæ, Philosophiæ, Medicinæ, aut iurisprudentiæ: magna pulchraque tibi tua videntur, & illi sua. Habet ille næuos suos, & tu similiter proprios, sicut & populus quilibet. Vndè olim vulgò iactabatur: *Superbia Babyloniorum, inuidia Iudæorum, iracundia Thebanorum, auaricia Tyriorum, Scytarum crudelitas, Bœotiorum stupiditas, comessatio Sydoniorum, Magia Ægyptiorum, luxus Sybaritarum, Cretensium mendacia, Afrorum perfidia, Lacedæmoniorum furta, ingratitudo Atheniensium.* Virtutem nunc colis, ille vitia. Verùm fortè non perseuerabis; ille autem resipiscet, explebitque in breui tempora multa. Complecteris mente citò quod ille segniter; sed sciendum est, quòd tardigradi dum semper ambulant, sæpè ad metam celeriores præueniunt passim subsistente. Rhombus, Scatina, Rhaia, & Pastinaca cùm sint piscium tardissimi; sæpè repeciuntur in ventre habere mugilem omnium velocissimum, solertiáque illum & ingenio capiunt. Imbecilliores quoque lignarij arte &

Tardigradi sæpè ad metam celeriores perueniunt.

&industria idem præstant quod robustiores, surrigendo ingentissima pondera axibus, vectibus, & throcleis. Præcellis fortè, sed valde imperfectis, & luscus tibi Rex videris inter cæcos; hoc autem quam parum est iudicio sapientis & per se ridiculum? Denique aut antecellere te censes ob ampliora bona, quæ tibi, aut propter grauiora quæ aliis insunt mala. Ex neutro capite tumere te conuenit,& attollere supercilium. Non ex primo, quia sicut Africa Leones habet, Leopardos, Lynces; non autem apros, ceruos, capras syluestres: sic non omnia in te congesta sunt ornamenta; sed in alios plura, nec facilè est definire vtra sint maiora. Sensilium alia est ratio, in quibus assignare non ægrè possumus maius & minus, maximum item & minimum, vt inter animalia Elephantem & Acarum, vt tradit Arist. l. 5. de hist. an. c. 32. Neque ex secundo, quia oculatissimus in perspiciendis alienis defectibus, cæcus es in tuis, & tua debes aliena reputare, vtpotè in quæ prolapsurus fueras, nisi te præuenisset diuina gratia. *Domine*, ait S. Augustinus, *gratiæ tuæ deputo, quæcumque non feci mala.* Et infrà: *Omnia mihi dimissa fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Quid si admoneare præterea, vt pluris alium quemnis quam teipsum facias? Consilium certè hoc est Apostoli Phil. 2. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*, seruarique poterit, ait S. Th. 2. 2. q. 161. a. 3. si proprios defectus cum aliorũ virtutibus, S. Aug. l. 2. Conf. c. 7.

& donis à Deo acceptis comparemus. Iuxta Auguft. verò l. de fancta virg. c. 43. 47. 51. fi piè credamus, conftantiores fore alios, fi occafio daretur martyrij. Quintò, ne facilè iudicium tuum anteponas non dico præpofitorum tuorum, fed nec æqualium. Plurium fententiam crede, vt plurimùm, tua certiorem (plus enim vident oculi quàm oculus, plus illuminant candelæ plures, quàm vnica; &, vt fcribit Seneca, *Magnum eft apud nos veritatis argumentum, aliquid omnibus videri.*) Multo adhuc magis fententiam Catholicæ Ecclefiæ, quam vocat Apoftolus. 1. Tim 3. *Columnam & firmamentum veritatis*: & de qua S. Aug. *De eo, quod tota per orbem frequentat Ecclefia, difputare, an ita faciendum fit, infolentiffima infania eft.* Hoc quia non obferuarunt Sectarij, in hæreticos euaferunt. Cupidi gloriæ noua excogitarunt dogmata, quibus clarefcerent, & viderentur fanctos patres vincere Sapientia. Nec excogitarunt folum, fed in Conciliis ipfis Oecumenicis redarguti, perrexerunt, adhucque pergunt ea pertinaciter ac fuperbè propugnare. Affine documentum fit, ne in rebus agendis opinioni & prudentiæ tuæ nimis adhærefcas, fed in dubiis confulas Sapientes. Sicut enim indoctiffimi omnium funt, qui de nulla re dubitant, fed credunt fe fcire omnia; ita imprudentiffimi, qui de rebus agendis nullum putant interrogandum. Tales monet Apoftolus Roman. 12. *Nolite effe prudentes apud vofmetipfos.* Modeftior Ariftoteles, Ad

Iudicium proprium alienis non anteponendum.

Sen. epift. 118.

S. Aug. ep. 118.

Sectarij vndè facti hæretici.

Ad res magnas, inquit, *consultores adhibemus nobis ipsis diffisi, quasi minus ad statuendum idonei.* Christus ipse in Consilium Apostolos interdum adhibuit, non ex necessitate, sed ad instruendos nos, vt cùm ait: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Et verò iuxta vetus prouerbium, *quandoque est olitor opportuna locutus.* Multa docet mediatè, seu per interrogatos alios Dominus, quæ non immediatè, & vt notat S. Chrysost. *Fit sæpenumero, vt prudens quod oportebat non videat, & stultior aliquid eorum quæ conueniunt inueniat: Id quod in Moyse & Socero suo factum est, in Saul & puero suo, in Isaac & Rebecca.* Imò si Salomoni credimus, eò insipientior est aliquis, quò se credit sapientiorem: *Cuncta tentaui in Sapientia*, inquit, *dixi: Sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me.* Sexto humanum applausum ne quæsieris, minùs adhuc affectaueris prolatis in mediũ meritis ad te nõ pertinentibus, de quibus S. Greg. Nazianz. in Monodia. *Longè turpissimum est colores, formas, equos aliundè quàm ex seipsis non probari; nos verò ornatum ac pulchritudinem extrinsecam ab aliis quærere ac mutuari. Quid enim, quæso, ad nos maiorum virtutes, si ignaui fuerimus?* Huic affinis est illorum vesania, qui sine vlla necessitate seipsos canunt, suáque ostentant, ne inde fruantur laude quam venantur; sed vel inuitam ac repugnantem ad se pertrahant. Inter alios tangit hæc vrtica nouatores, qui vt progressus aliquos in lingua Græca fecisse videantur, ridiculè planè, intempestiuè, im-

Dominus in consilium adhibuit Apostolos.
Ioan. 8.

S.Chrys. in c.12. ad Rom.

Eccles. 7.

portunè, & *sine vlla necessitate* quasdam eius voculas scriptis suis ac thesibus solent inserere, vt bene periti indoctis appareant. Exemplum. Hoc, inquiunt ἀδύνατον est, quare non dicunt *impossibile?* Item hoc ex aduersariorum ὑποθέσει dicimus; cur non scribunt, ex aduersariorum *suppositione*? Item Deus in cordibus nostris accendat φιλαλήθειαν καὶ φιλαδελφίαν; cur non scribunt, foueat *amorem veri & proximi?* Vicissim ne te ex abrupto & sine proposito verbis vllis depresseris; sed occasionem expectata, vt cùm deferũtur munera publica, quibus indignum te sentis & imparem: tunc affectationis specie & suspicione carebit humiliatio, dicere cum Hieremia poteris *A, A, A, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Si multa scias, ne te eoúsque despicias, vt cum Socrate dicas; *hoc vnum scio, quod nihil scio*: fœtet siquidem, multumque offendit mendax ista sui deiectio. *Sapientia est, vt neque te omnia scire putes, quod Dei est: neque omnia nescire, quod pecudis. Est aliquid medium quod sit hominis, scientia videlicet cum ignorantia temperata.* Huic præscripto affine videtur, vt syncerè agnoscens tenuitatem tuam, nunquam studeas videri par præstantioribus; nec ranam illam imitere, quę cupida æquandi bouem sese distendebat, sed quo exitu? Cùm semel, iterumque intumuisset, ac tertiò magis adhuc vellet intumescere, crepuit. Indigent valde monitorio isto iuniores, qui vbi aliquid scire incipiunt; omnia se scire arbitrantur, ratóque induci possunt, vt se halluci

Hier. 1.

Scientia moderata in homine.

Lact. l. 3. de fals. Sap. c. 6.

hallucinatos fuisse aliquando consentiant. Huic præscriptioni coniuncta est quæ sequitur. Septimò in delicto deprehensus, caue illud propugnes, sed magis fatere; ab eóque resili, non minori candore animi & libertate, quàm olim Horatius à pestilenti doctrina Epicuri, dicens:

Parcus deorum cultor, & infrequens
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos.

Lib. 1. carmin. ode 34.

Sic malo non augebis malum, sic humilitatis exemplum dabis & specimen, sic inuenies gratiam, excusabunt te qui audient, si te accusaueris. Sed fortè dicis: Præpositi mei non sunt vt ferre illorum censuram me oporteat. Imò in hoc sunt & videri debent, quòd errore simili non implicentur. Vt taceam teneri eos fraterno fungi munere, deque animi labe te commonefacere; qui si de faciei macula non admonerent, à teipso dicerentur non satisfacere fraternis legibus. Quis autem ignorat grauiores esse animi labes quàm corporis? Si quãdo duriùs cum aliquo agebat Ludouicus XI. Galliæ Rex, mox culpam agnoscebat, & virum illum munere aliquo afficiebat. Et Ludouicus IX. morti proximus filio suo dixit: Ita te geras, vt Confessarij & necessarij tui liberè te admonere possint mali. Demetrius Antigoni filius à priuato Atheniensi reprehensus

reprehensus quasi locutus barbarè, non excanduit ob censuram, nec tuendum suscepit barbarismum, in quem inciderat; sed agens gratias quinquaginta medimnorum millia Atheniensibus dedit. Habet porrò medimnus modios sex, vt scribit Ribera in c. 3. Hos. Futilis, certè peccati excusatio noua est culpa; quia vel illius reum se negat esse, qui excusat, & sic mentitur; vel peccatum negat esse, atque ita agnitam oppugnat veritatem. Agit autem cõtra humilitatem, quia videri vult, quàm sit innocentior. Sed neque aliquid hac via proficit, quandoquidem non ei creditur vtenti & sese communienti causis inanibus; cuiusmodi sunt, *In peccatum impulit me Diabolus, peccati author fuit mihi socius, coëgit astrorum influentia; non putabam, in me parentes vitium hoc transtulerunt, impossibilis Dei lex est, nec à me potuit obseruari, feci quod fecit inolita victus consuetudine, in vsum abiit peccatum meum, nec quisquam ferè est qui eò non se contaminet*, &c. Neminem impellit Diabolus, nec quenquam prosternit, qui prius non consenserit, quem proindè consensum ante omnia impetrare studet, vt eùm dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Tergiuersans Adam in Euam Sociam, & Eua in serpentem reiicere tentauit culpam suam; sed frustrà. *Deus intentator malorum est, neminem tentat*, seu ad peccatum inducit, esto iustis de causis quandoque sinat induci; *Vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quocircà ne posthac dixeris: *Ipse*

Demetrius quanti compensat reprehensionẽ.

Diabolus nullum prosternit inuitum. Matth. 4.

Iac. 1.

Ipse me implanauit; non enim ei necessarij sunt homines impij. Procul ab eo fuit idem sapientissimus Deus, vt astrorum dominio subiiceret hominem, propter quem astra fecit, & cœlos omnes fabricauit. Si ab illorum influxibus cogi voluit hominem, ad quid ei contulit arbitrij libertatem, cuius indicia & testes sunt tot admonitiones consectandi virtutes, vitia verò fugiendi? *Nemo enim quenquam hortatur ad ea, quæ nec sunt in nostra potestate, nec nostræ voluntatis.* Nemo te coegit, falsum putare, & ad ea non attendere quæ facis & loqueris. A parente in prolem si transferrentur animi vitia, ex malo patre nullus esset bonus filius, nec ex bono malus. Non Cainum genuisset Adam, non Ismaelem Abraham, non Esau Iacob, non Dauid Absalonem, non Ezechias Manassem. Faciliùs admiserim vitia corporis transire ad filios, quamquam nec hoc perenne est, si videlicet filij obseruent à principio formam viuendi conuenientem, & vitiis illis contrariam, vt si parentibus nati podagricis vel epilepticis excrementa purgent, pauca colligant, moderato vtantur exercitio corporis, cibos benè concoquant, vt tradit Galen. ad Aphor. 28. lib. 6. Legem Dei si esset impossibilis, nó vocaret Christus *iugum suaue, & onus leue*, nec Dauid dulciorem super mel & fauum, minus adhæc adderet de præcepis Dominicis: *etenim seruus tuus custodit ea.* Sed quemadmodum amanti nihil est difficile, ita non amanti, non feruenti spiritu, sed frigido, delicato, veternoso

Ecclef. 15.

Arbitrij libertas quãta.

Arist. l. 3. Eth. c. 3.

Parentum vitia non transeunt in filios.

Lex Dei possibilis. Matth. 11.

Ps. 18.

noso difficilia sunt omnia pietatis exercitia & intolerabilia. Magna vis est prauæ consuetudinis; sed nequaquam tanta vt euelli non possit stirpitus. *Hanc vincere difficillimum est*, ait S. Aug. *& tamen ipsam si se quisque non deserat, nec reformidet Christianam disciplinam, Deo duce atque adiuuante, superabit.* Denique communis peccandi vsus non minuit culpam, sed gehennæ socios multiplicat, sicut ait Christus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Octauo, impensè laudatus responde, aliud esse Dei iudicium, aliud hominum; persæpè laudantium, quod ille reprobat: nec addere prætermitte malum esse ex quouis defectu. Vndè cum S. Ioannis Eleemosynarij effusam in pauperes liberalitatem laudaret quispiam ac suspiceret, in more habebat dicere: *Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus.* Rursus quia tacitè laudem quærunt, cæteros carpunt & meliores videri volunt & iudiciosiores, & videri volunt præstare, qui in communitate non receptum à sapientibus; sed singularem sequuntur viuendi ritum, à singularitate abstinebis. Agens item cum æqualibus vel ferè æqualibus, inferiorem tibi quæres locum, in conuiuiis maximè, iuxta Christi consilium, idque ex animo quasi tibi debitum, & non vt videare humilis; nec intra te frendens aut mussitans, si nó promouearis ad altiorem. Sic Agesilaus patienter tulit in

S.Aug. l. de serm. dom. in monte.

Vsus peccādi non minuit culpā.

Luc. 14.

in ludo publico assignari sibi locum parum honorificum, dicens: *Ostendam non locum viris, sed viros loco dignitatem conciliare*. Nonò, viciſſim caue humilitatis prætextu honores recuſare dignitati tuæ debitos, quando iuxta magnanimitatis leges expedit vt admittatur. Facilius tibi conceditur non multum exigere, nec iraſci non deferentibus, quoties ex ruſticitate vel inaduertentia non deferuntur; ſecùs quando ex faſtu atque malicia. Caue, quod iam dudum monui, ab inferiore quem fortè duriùs tractaueris, veniam petas; ſi indè futurum prævideas, vt te ipſe, vel alij irrideant, & contemnant. Quando autem hoc non timebitur, ſæpè erit laude dignum, magnique meriti. Ita Saul ad Dauid. 1. Reg. 24. *Iuſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Caue pertinaciter recuſes munus, ſeu dignitatem, cui te præpoſiti tui idoneum iudicant, ac neceſſarium; *melior eſt obedientia, quã victimæ.* De hoc argumento dixi multa ſatis cap. præcedenti. Caue peccato inquines te, quo vileſcas apud homines, abominabilis eſt humilitas, quæ non acquiritur ſine offenſione Creatoris, & humanę dignitatis iniuria, de qua S. Chryſ. in c. 3. ep. 1. ad Cor. *Hæc duo maximè ſolent abducere à peccato, quando pœnam peccato propoſitam cogitauerimus, & quando dignitatem noſtram reputauerimus.* Caue aduerſum te mentiare, vt occaſionem des ſentiendi de te malè, vel ſuſpicandi. *Cum humilitatis cauſa mentiris,* ſi

Honores dignitati debiti non recuſandi.

1. Reg. 15.

Vt vileſcas non peccandum.

S. Aug. ferm. 39. de verb. Apost.

si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod euitaueras. Veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorẽ; vt etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, vt quod est, dicas. Nam quomodo est veritas, vbi viget falsitas? Sanctus quidem Ambrosius humilitati studens, ne assumeretur in Mediolanensem Antistitem, finxit se crudelem, cùm esset mitissimus, in reos sæuiit, & scorta introduxit in domum suam, vt inhumanus & impudens haberetur, atque ita non promoueretur ad Archiepiscopatum; sed Catechumenus adhuc erat, cùm hoc fecit, necdum satis instructus & illuminatus.

Peccata propria non vulganda.

Caue denique, peccata tua euulges, præsertim grauia, & deducas in notitiam publicam, cùm rarò id fiat sine scandalo pusillorum. Exceptio est, si iuridicè interrogeris, vt Achan Iof. 7. Si vitam viuas regularem, cùm apud religiosos non offendat publica sui accusatio; sed laudetur quasi actus virtutis heroicus, si ex peculiari instinctu Spiritus sancti id facias, quo modo videtur idem S. Augustinus libros edidisse Confessionum: vel ad liberandum à morte innocentem falso accusatum sceleris quod perpetrasti. Non teneris, fateor, prodere te, quando non influxisti in necem eius, & accusationem; potes tamen, éstque opus insigne charitatis, & singularis exempli.

Publica sui accusatio laudanda inter religiosos.

§. 3. Virtutem hanc eximiam si instanter à Deo postulaueris, impetrabis. Multùm præterea conducet ad eius adeptionem, versari

cum

cum humilibus, sicut è contra. *Qui cum superbo graditur, induet superbiam; & stultorum socius similis efficitur.* Item teipsum ad vnguem discutere, & defectus proprios intueri. *Difficillimum est*, fateor, *quemadmodum quidam dixere sapientes, seipsum cognoscere, suauissimum tamen*, & ad virtutem hanc consequendam perutilè ac necessarium. Sicut extolluntur qui bona sua considerant, nec ea in Deum referunt; vt Arphaxad, qui cùm ciuitatem ædificasset potentissimam, quam appellauit Ecbatanis, *gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum*; Ita paruuli sunt in oculis suis, qui labes suas, vitia, errata, inclinationes malas, absurdos mores & deprauatos crebrò ad cogitationem reuocant. Vbi porrò humiles euaserint in cordibus suis, non ita multò post extrinsecus quoque esse poterunt, quia violentum non potest esse diuturnum; vim autẽ sibi facit ille omnis, qui contra mentẽ agit, qui depressus interius extollitur exteriùs. Vnde nec mendaces in mendaciis suis constãtes solent esse. Lubet ex his defectibus nonnullos recẽsere communes partim vniuersis, partim plerisq; mortalibus. Quoad corpus, mortalis est homo in puluerẽ rediturus vndè venit. *Miserabilis prorsus infirmitas, sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum.* Ad idem insinuandum ex 12. lapidibus pretiosis, qui ponuntur in corona Regis Franciæ, supremus est sardius terræ colorem referens, vt se no-

Eccles. 13.

Arist. l. 2. mag. mor. c. 18.

Iudith. 1.

Eccles. 5.

Lapides duodecim in corona Regũ Franciæ, & quid significent.

 uerit

uerit in terram abiturum, nec aliud esse Reges dum regnant, quàm terram quandam eleuatam. Cum animalia cætera in lucem prodeant in suo genere perfecta, imperfectus prodit homo. *Indicium est, quòd illa statim ab ortu viuere sua opera quærunt; pueri autem curam desiderant, nec seruari nisi alieno beneficio possunt,* non agnoscit parentes suos, nec quæ sibi vtilia sunt discernere eorum quispiam nouit à noxiis. Destituitur toto ferè septennio vsu rationis, delirat circa senium: brutæ autem animantes, vt annosa vulpes, cautiores sunt. Orat proindè Dauid, *cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Morbis laborat pluribus multò; & grauioribus, vt interdum podagra, calculo, apoplexia, paralysi, epilepsia, elephantiasi, lue luxuriæ, cuius tanta vis est, omnes vt pili decidant, dentes nutent, liueant oculi, contagiosus sit ipse quoque halitus. Constat idem homo partibus duabus, ratione & concupiscentia intestino bello nunquam supersedentibus. *Concupiscit caro aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* Intellectui parum inest luminis, multum caliginis; perpauca nouit, ignorat quamplurima, & quod nouit, citò obliuiscitur. Dicit intra se: *diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescit quia miser est, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apocal. 3. Ampliora scire desiderat, & desiderando excruciatur. *In multa scientia, multa est indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem,* nec mirum, quia quò est doctior,

Arist. sect. 10. prob. 45

Psal. 70.

Gal. 5.

Eccles. 1.

ctior, eò plura se videt ignorare, sicut qui ascendit montem plura semper deprehendit ac distantiora quæ distinctè nondum vidit. De inconstantia quid dicam? mutatur in horas, cito ab opinione & sententia recedit quam conceperat; maior adhuc voluntatis instabilitas. Sæpè fit vt stolidissimus cum sit, se tamen credat sapientissimum. Pronus est ad nequitiam; semel autem deprauatus, ægerrimè recepit se ad bonam frugem. Nunquam sua contentus sorte melius aliquid sibi semper quærit, ac fingit; quo impetrato nihilò est quietior, nullis procellis aut vorticibus ita Euripus agitur, sicut ille perturbationibus vndecim, quas recenset Philosophus. Nam ad Morem, quod attinet, proprio seruit miserrimè, amat se peruersissimè, quærens sibi delicias, voluptates, & inconcessa alia quæ mergunt in interitum. Cæterorum iudicio prævalere vult suum, nec vnquam aliis ex toto facit, quod sibi vult fieri. Blanditur & complacet sibi, miratur sese & circumspicit, quasi aureo funiculo de cœlo demissum, & alterius speciei indiuiduum, dicitque intra se, *non sum sicut cæteri hominum.* Creaturas quandoque ita deperit, vt vix cibum somnumque capiat; nec ita multò pòst ab iisdem totus quantus est, auertitur, vt Amnon à Thamar sorore sua quam constupraverat. Denique effertur stultissimè supra sua merita, & alios ferè omnes præ se contemnit.

Semel deprauatus ægrè venit ad bonam frugem.

Amator.

Superbus.

Luc. 18.

Inuidus. Quod ad odium, optima quæque eò prosequitur, fastidit virtutis studium, laborem, pœnitentiam salutarem, Christianam disciplinā, Dei iustitiam, & Deum ipsum, si vel ab eo castigetur, vel quod petit non impetret. Imò seipsum odit hoc ipso, quo nugari, & peccare delectatur. *Qui enim diligit iniquitatē, odit animam suam.* (Psal. 10.) *Cupidus.* Quod ad concupiscentiam, totus est in appetendis, quæ sibi minimè conueniũt, nec profutura sunt; scire appetit quæ ad se non pertinent, vt arcana magica, aliena secreta atque consilia, audire noua & peregrina, videre miracula, interceptas aut furto sublatas aliorum epistolas reserare, insolitis vestibus omnium ad se oculos conuertere, antеferri sociis, in orbe celebrari, in aliorum mores inquirere, possidere millia auri & argenti; fugit contrà res salutares, pia monita, temperantiā, pœnitentiam, memoriā nouissimorũ, carnis macerationem, satisfactionē, ablatorũ restitutionē, &c. *Delectationem quærēs.* Quod ad delectationē, exultat in rebus pessimis, saginatur & gaudet alienis infortuniis, vt cruore hirũdines, & muscæ vlceribus; cruciatur contrà rebus eorundē prosperis, nihil se habere putat, quandiu aliquid deest, alios se semper credit ditiores, & vicini pecoris vbera grādiora; inde tristatur ac mœret, qui gaudere deberet, velut de fratrũ suorũ commodis (omnes enim fratres sumus, sub vno communi patre Deo) & boni consulere Dei dispositionem bona sua pro arbitrio dispensantis. *Sperans.* Quod ad spem, sperat & sibi pollicetur

liceret infinita sublunaria, quæ nunquam euenient; quia tamen sperat, intendit neruos omnes vt sua faciat, labores nullos refugit; nulla exhorret pericula. In salutis autem negotio captum diceres mente & membris omnibus; oculos habens & aures, nec videt, nec audit, non ambulat pedibus, non palpat manibus, quæ facilia sunt, dicere audet impossibilia, nec ea digito vult contingere; volutatur in lectulo suo, sicut vertitur ostium in cardine. Quod ad metum, vmbram suam metuit, domi se continet otiosus præ horrore laboris manuum, & ait, *Leo est foris; in medio platearum occidendus sum.* Prou. 22. Ingens saxum diceres mouendum trochleis & vectibus. Imperfectè & ad vsurpationem consuetudinis bonum plerumque facit quod facit; rarò non desideratur aliquid, festinat operari ne diu operetur. At circa nugas est audacissimus, longissimum etiam tempus bene ducit, quod in eas impenditur, nullas recusat Vigilias, nullis se subtrahit mortis discriminibus. Restat ira, quæ vbi illum apprehenderit, vincit furore vrsos, feruet sanguis interius, palescunt genæ, spumant ora, emicant oculi, vacillat vox, armatur ferro manus, effundit præceps quicquid in buccam venerit, & cœlum petit minis & clamoribus. Alia parte *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Occupat se totū idem homo circa vitæ huius curam. Cuti prospicit ac si eo solo fine venisset in mundum.

Metuens. *Audax.* *Iratus.* *Corpus curans.* Sap. 9.

Gulosus. dum. Non comedit, vt viuat; sed viuit, vt comedat. Animus illi semper in patinis. Collum gruis optat sibi cum Philoxeno ad percipiendam longam ex saporibus voluptatem. De solis ratiocinatur eduliis, in quibus citò fastidit quidquid non est singulare. Hinc replentur lumbi eius illusionibus, quia impletus est venter vino & dapibus. Vix denique moritur, cùm statim computrescit, (præsertim si deliciis assueuerit) & fœtet intolerabiliter. Sufficient hæc spero benè librata ad exclamandum sæpè: *Quid est homo?* Atque ad nos intra humilitatis & modestiæ septa continendos.

Superbiendi occasiones. §. 4. Mortalibus quibusdam, vt morbidis, rusticis, pauperibus, nulla ferè est superbiendi occasio; aliis autem maxima ob virtutem, scientiam, nobilitatem, diuitias, præclara facinora, & varias animi dotes, aut corporis. Atque hi quidem eatenus humilitate magis indigent, quatenus multò faciliùs impingunt ad superbię lapidem propter incentiua huiusmodi, (puta ob doctrinam, de qua Apostolus 1. Cor. 8. *Scientia inflat:* & antè illum Cicero l. 2. Tusc. *Quotus quisque Philosophorum inuenitur, qui disciplinam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet?* Ac prætereà opes, de quibus 1. Tim. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non superbè sapere:*) inter quæ conseruata animi modestia solida semper est, non secus ac secundùm Plat. l. 1. de leg. *Optimi omnium sunt, qui inter malos sunt boni.* Illis verò hoc alio titulo magis

magis est necessaria, quàm in iis longè sit superbia detestabilior; cùm nullam, aut penè nullam habeant causam sese extollendi: propter quod singulariter ait Deus, Eccl. 25. *Abominari se pauperem superbum*; Vix vnquam prætermittit tales in altum eductos confundere tandem & allidere, præsertim si malis artibus ad sublimes gradus irrepserint. Exemplo vno contentus ero. Anno Christi 1205. capto à Bulgaris Balduino Flandriæ comite, nebulo quidam & triobolaris homo statura ei, vultúque persimilis prodiit in medium post 10. annos, contendens se esse Balduinum ipsissimum diuinitùs è carcere liberatum; cùm tamen illum in carcere obiisse, fama esset apud omnes constantissima. Ioanna eiusdem hæres ac filia vehementer attonita impostorem illum scelerate sese ingerentem in tantum principatum, maturè tentauit armis opprimere, sed principio victa est, & coacta confugere ad Ludouicum VIII. Franciæ Regem, qui ad se vocauit illum, vt ex eius responsis certò intelligeret, fucumne faceret, an veritate & iure niteretur; interrogandique curam cômisit Beluacensi Episco. Ille ratus fore, vt de solo euasionis modo interrogaretur ad respondendû sese egregiè comparauit; & quoad hoc satisfecit. Sed perrexit solers Episcopus sciscitari, vbinam fecisset Philippo Regi homagium, vt vocant; quis eum creauisset torquatum equitem, vbinam & quando in vxorem duxisset Mariâ Ioannæ præsentis Comitissæ matrem.

Bellef. & Fulgof. l. 9. cap. 16.

Balduinus falsus.

Qua arte deprehensus.

Ille melius nihil habens quod responderet, hæc sibi memoria dixit excidisse. Tum Rex, faciunt te hæc verba suspectissimum, quis enim facilè tantarum rerum obliuiscitur? Abi, ne vltrà te videam. Recepit se ille in Belgium; sed cito desertus ab omnibus transfugit in Burgundiam, vbi à nobili quodam captus Comitissæ est traditus interiecto pretio quadringentarum marcarum auri, & torturæ subiectus, in qua fraudem totam aperuit, móxque suspensus est & strangulatus.

Captus & affectus supplicio.

Prudentiæ leges circa Studiositatis materiam.

CAPVT X.

§. 1. *Sudiositatis descriptio.*
2. *Scientiæ laus, & periculum.*
3. *Quid præcipuè discendum.*
4. *De recto sciendi modo, & scientiæ vsu.*
5. *Quæ artes censendæ malæ, & abominandæ.*
6. *Curiositatis vitium quàm graue sit & latè pateat.*

Ardor sciendi.
Lib. 1. Meta.c. 1.

§. 1. HOminem suapte natura ardere desiderio sciendi multa, & cognoscendi testis est Aristoteles: *Omnes homines*, inquit, *naturaliter scire desiderant.* In Zenone

Philo

Philoſopho tantus hic ardor fuit, vt cuidam poſcenti centum nummos, qui ſe promiſerat aliqua ei Dialecticæ arcana reſeraturum, ducentos numerauerit. Diogenes autem Cynicus Athenas profectus ad Antiſthenem; ſæpè repulſus non ſine minis niſi diſcederet, reſpondit: *Cæde ſi vis, at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas; dum aliquid dixeris.* Vix ſe in mediocritate continet tanta diſcendi auiditas; ideóque virtute indiget, qua temperetur, huic nomen ſtudioſitas, quam S. Th. 2.2.q.169.a.2.& q.167.a.1.*virtutem* definit *temperantem humanum deſiderium circa rerum cognitiones & ſtudia.*

Diogenis diſcendi cupiditas.

Studioſitas quid.

§.2. Bona eſt ſcientia, ſed periculoſa valdè, perniciosiſſimáque abutentibus, quos præſtaret nunquam literis animum adieciſſe. Bona eſt, quia lux quædam eſt mentis, qua innoteſcunt nobis, quæ laterent aliàs ac ſi non eſſent. Quare ſi lucis materialis tantum eſt precium, vt in mundi creatione primum ferè fuerit Dei opificium, ab eodémque illam contemplante bona iudicata; & Tobias captus oculis, quibus eam cerneret, vllum ſibi gaudium eſſe poſſe negauerit, & iniucunda ſit quæcumque domus etiam ornatiſſima ſi ei deſit; quid de ſpiritali hac luce ſentiendum? Quomodò non reponatur inter bona verè magna, cùm error ei contrarius de numero ſit malorum verè grauium, obtrudens pro nobiliſſima aureáque veritate mendacium deformiſſimum? & Ioſue vehementer expetierit ſubruere ciuitatem no-

Scientia bona, at quàm periculoſa.

mine Cariathsepher, in qua Ethnici errores, & nugas suas venditabant? *Qui percusserit Cariathsepher*, inquit, *& ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem*. Diuitiis multum multi tribuunt, scientiæ autem longè amplius Ecclesiastes: *Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuit possessori suo*. De viris bonis, sed scientia destitutis à S. Hieronymo scriptū memini, *Sancta rusticitas solùm sibi prodest, & quantùm ædificat ex vita merito Ecclesiam Christi, tantùm nocet, si destruentibus non resistat.* Hac infamia inter cæteras notantur filij Heli, quòd cùm offerendo sacrificio darent operam, nescirent tamen officium Sacerdotum. Alios æquè imperitos detestatur alibi Deus, & ait: *Quia scientiam repulisti, repellā & ego te*, &c. Reges prætereo & Imperatores, qui nihil se habere rati sine eruditione & doctrina, vel precio vel precibus compararunt sibi viros doctissimos, vt Crœsus Anacharsim, Dionysius Aristippū, Ptolomeus Stilponē Megarensē, Mithridates Metrodorū, Philippus Macedo Aristotelē. Prodigiosi proinde meritò videri debēt qui sciētiā eiusq; Professores vituperāt. Quod profectò nō faciūt; quasi rē esse vituperio dignā in recessu cordis arbitrētur; sed inuidię œstro perciti, vel vt ea ratione ignominiosæ inscitię suę excusationē quęrāt. *Multi vellēt omnes esse ignorātes*, ait S. Greg. Naz. *vt illorum ignorātia in cōmuni latēs minimè deprehēdi, aut ab aliis taxari possit.* Nō est interim par sciētię cuiusque dignitas; sed infusa nobilior sēper simili acquisita

Iof. 15.

Ecclef. 7.

S. Hier. ad Paulinum.

1. Reg. 2.

Osee. 4.

Reges affecti aduersus scientiam.

S. Gregor. Nazianz. in vita S. Basilij.

sita, nō solū habita ratione modi, quo obtinetur; sed abūdātioris etiā luminis, quocū menti à Deo infūditur. Hinc illud Pharaonis ad Ioseph Patriarchā: *Quia ostēdit tibi Deus omnia, quæ locutus es; nūquid sapiētiorem, & similem tui inuenire potero?* Et certè regula est generalis; quæcūq; proximè emanāt à Deo, præstātiora sunt cęteris, vt terrestris Paradisi amœnitas, Christi, Adami & Euæ pulchritudo, vini sapor ex aqua facti in Cana Galileæ, sanitas diuersis miraculosè restituta, vt paralytico, cui dictū est: *Surge, tolle lectū tuū, & vade in domū tuā.* Neque enim ab alio quàm iā robusto, & exactè præter morem curato portari & quidem ad domum vsque lectus potuit, in quo priùs iacuerat. Scientia autem infusa ad rerum spectat seriem, quæ immediatè à Deo proficiscūtur. At vicissim periculosā voco scientiā, quòd abuti ea procliue sit, in alienam perniciem vel propriā; quod aliquādo summis Oratoribus Demostheni & Ciceroni accidisse legimus: de quibus Iuuē. Sat. 10.

Scientia infusa præstat acquisita.

Gen. 41.

Proximè à Deo emanātia quantū præstent cæteris.

Eloquio sed vterque perit orator, vtrumque
Largus & exundās letho dedit ingenij fons.

Quæ tamē nō idcircò vel dānāda est, vel abolēda, nisi etiā auersari velimus Dei bonitatē ac patiētiā, de qua Iob. 24. *Dedit Deus homini locū pœnitētiæ, & ipse abutitur eo in superbiā.* Et Eccl. 8. *Quia non profertur citò cōtra malos sententia; filij hominū absque timore vllo perpetrāt mala;* Et similiter vinum detestari, quo abutuntur hodiè plurimi, & abusi fortè sunt primi quidam orbis incolæ. Neque enim probabilitate vacat,

per

per fructum primis interdictum parentibus vuam intelligi, tum quia pulchra est, & ad gustandum suauis, quibus qualitatibus fructum illum præditum fuisse legimus; tum quia scriptum est: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Et Noë specialiter plantasse dicitur vineam, quòd ea quodammodò syluestris euasisset, vt pote neglecta ab Adamo ac posteris; & quasi maledicta. Refert sanè Pererius in Genes. disputãs de ligno sciẽtiæ, quosdam sic sensisse, nec argumentum, quo refellit eos, videtur valde firmum; quòd scilicet non sit propriè arbor. Nam neque plãta sinapi arbor propriè est, sed herba; & tamen arbor dicitur Matth. 13. Ventos denique caluminiari, de quibus Seneca: *Ingens naturæ beneficium venti sunt, si illud in iniuriam suam non vertat hominum furor. Sed non ideò non sunt ista natura sua bona, si vitio malè vtentium nocent. Si beneficia naturæ vtentium prauitate perpendimus, nihil non malo nostro accepimus. Nihil inuenies tam manifestæ vtilitatis, quod non in contrarium transferat culpa.* Et quoniam diuersis abusibus exposita scientia est, vt Philosophia humana nectendis Sophismatibus; Iuris prudẽtia euertendis iuribus per citationes legum adulterinas & interpretationes: Medicina accelerandis ægrorum mortibus per lethalium Pharmacorum propinationem: Poetica amatoriis versibus concinnandis; lectio ipsa Scripturæ sacræ, & quoddam ingenij acumen prouehendis hęresibus; accersenda Prudentia est, quę re-

Fructus interdictus primis parentibus quis.
Ezech. 18.

Lib. 5 nat. q. c. 10.

Scientia quot abusibus exposita.

ctum eius præscribat vsum, omnéque depellat detrimenti inde capiendi periculum, vel etiam inferendi.

§.3. Cùm ab obiecto petat scientia dignitatem suam, Deo autem nihil sit augustius, imò nihil æquè nobile, dubium esse non potest, quin eius cognitio teneat inter omnes principatum, idque non obscurè significat ipse, dicens: *In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Minimam eius notitiam longè præfert Aristoteles, l. 1. Metaph. reliquis omnibus. Huic proximè succedit propria sui ipsius cognitio, de qua dixi cap. præced. & alibi quæ videntur sufficere. Tanti autem fecit Iuuenalis Sat. 11. vt scribat:

Dei cognitio quāta virtus.

Hierem. 9.

Sui cognitio.

E cælo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Tertia est notitia rerum ad salutem pertinentium, quas scilicet vt salui simus, credere nos oportet, facere, aut fugere. Hanc vide compares tibi diligenter; & erubesce, si cùm pleráque alia noris, ea te fugiat: si omnia naturæ arcana teneas cum eodem Aristotele; cœlorum motus ac Planetarum periodos cum Hyparcho & Ptolomæo; omnem curandi rationem cum Hypocrate; partes omnes facundiæ cum Cicerone & Quintiliano; omnes iuris apices cum Bartholo. Si cum Salomone disputes super lignis, à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseras de iumentis & volucribus, & reptilibus & piscibus; ignores tamen quæ saluti tuæ deseruiunt, non noris proferre præcipuos,

In qualibet sciētia præclari.

3. Reg. 4.

&

& capitales fidei Catholicæ articulos, non numerare Sacramenta Ecclesiæ, non eiusdem præcepta aut Decalogi, non recitare precem Dominicam,&c.Quid enim tibi profutura est farrago illa tota peregrinarum scientiarum, quando huius defectu summè vtilis, ac necessariæ excludi te senties à regno cælorum,& in

Psal. 35. te impleri quod ait Scriptura, *noluit intelligere vt bene ageret*.& 1. Cor.14.*Si quis autem ignorat, ignorabitur*. & Isa.5. *Propterea populus meus ductus est in captiuitatem, quia non habuit scientiam.* Quàm præstat pauca scire,sed vtilissima quàm multa inania? Vulpeculæ iactanti se de arte multiplici Echinum & felem præposuit antiquitas,dicens. *Multa nouit vulpes, sed Echinus & felis vnum.* Cùm suis astutiis capitur sæpè vulpes à canibus: Echinus autem spinis suis inuoluit se in pilæ speciem;felis verò subsilit in arbores altissimas.Quocirca quæramus in posterum auidè intelligere,quę faciunt ad vitam illam beatam, & tunc non parum doctos nos

Laertius in Aristippo. esse in Domino gloriemur. *Vti non ij qui plurimum comedunt & exercentur, melius valent iis qui modicè; ita non qui plurima, sed qui vtilissima legerint, docti censendi sunt & studiosi.*Et Cicero l.1. offic. *Quidam nimis magnum studium atque opera in res obscuras ac difficiles conferunt, easque non*

Nouissimorum cōsideratio. *necessarias.* Quarta est solida quatuor nouissimorum consideratio, de quibus Eccl. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum nō peccabis.* Et Deut. 32. *Gens absque prudentia est, atque consilio;*

consilio; vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ante oculos ponenda mors est, tum vt cogitatione eius assidua, & expectatione non perturbemur cum aduenerit; tum vt ex ea maturè intelligamus sublunarium rerum vanitatem, quæ nos adueniente illa deserent, si nondum deseruerunt; & cùm infidas atque instabiles esse intellexerimus, meliores seu cœlestes conquiramus, atque iis amorem studiumque nostrum alligemus. Quæ cura cùm omnibus cordi debet esse, tum præcipuè senibus non valentibus diu viuere. Quare postremas benè agendi occasiones auidè arripiant, & bonorum operum sarcinas, quibus iuuari in alia vita cupiunt, conuasare festinent. In hac ipsa mortis cogitatione tantum Plato aliàs Ethnicus situm censuit, vt Philosophiam non aliud quàm mortis meditationem esse scripserit, & prope Athenas Philosophaturus Academiam elegerit, locum vrbi vicinum, & terræmotibus aliisque mortis periculis obnoxium, vt eius iugiter ad memoriam reducendæ præsentior esset occasio. Faciet bene præmeditatus diuini rigor iudicij, vt in quibusque dictis factisque tuis sis cautissimus, in quo ad amussim exiget Deus, à quocumque omnia abdita quæque scrutabitur, & reddet vnicuique secundùm opera sua. *Iudex iste cùm sedebit, quicquid latet, apparebit, nil inultum remanebit.* Vnde Iob. cap. 9. *Verebatur omnia opera sua*

Mors ante oculos ponenda, & cur.

Academia vbi & qualis locus.

sua, sciens quòd non parceret Deus delinquenti. Faciet infernalis gehennæ meditatio præparata vniuersis, qui vitam homine dignam non vixerint, sed imitati fuerint pecora suis moribus ctapulando, pergræcando, libidinando, diuinas humanasque leges violando, vt à vitiorum complexu ad virtutis studium se transferant, ne aliàs in die obitus sui Dæmonibus socientur, & calamitatem adeant, cui impar est omnis dicendi facultas, quia calamitas est summum excludens bonum, summum includens malum siue cruciatum, quare si ob humanum & temporale exilium, ita gemebat Ouidius, vt diceret,

Lib. 1. Trist. Eleg. 3.

Denique quid propero? Scythia est, quò mittimur, inquam;
Roma relinquenda est, vtraque iusta mora.

Quid dicere potuit, cùm ex decreto summi Dei se vidit esse de numero damnatorum? Sanè quod per hyperbolem scripsit de malis exilij illius temporalis, verè potest vsurpare, & cum eo damnatus quiuis alius de malis sempiterni.

Idem lib. 1. Eleg. 4. & 8.

Tot mala iam patior, quot in æthere Sydera fulgent,
Paruaque quot siccus corpora puluis habet.
Hic status, hæc rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat vt lachrymis nullus adesse modus.

Id tandem consequere ex cogitatione feria cœlestium gaudiorum, quæ præparauit Deus diligentibus se, vt leuem ducas laborem omnem

omnem quo ad illa peruenitur, præque illis alia quæcumque despicias. Quæ cùm ita sint, in horum omnium meditatione exerce te diligènter, ne dicas: sanus sum, nihil adhuc mihi necesse est de morte cogitare, faciam id cõflictari morbo incipiens. Multos fallunt præsentia, & quia nondũ ægrotare se sentiunt, ab omni periculo se tutos arbitrãtur, longos sibi promittunt dies, & eminus derident mortem. Quasi verò præcordia ingressi sint sua, & quid ibi sit, quid agatur certò intelligant, & sexcenti casus repentini de medio plerósque ex improuiso non auferant? Imprudentissimus nauta est, qui de freti angustiis non priùs cogitat, quàm in illas inciderit. Si te oporteret successiuè septem panes comedere, in quorum vno venenum latere certò tibi constaret, trepidares indubiè ad singulos. Metueres similiter iturus ordine ad amicos totidem, de quibus dixisset tibi ad aurẽ Propheta quispiam; horum vnus exitialem occultat sicam ad te conficiendum, reipsaque conficiet. Dispones vtique domui tuæ quouis tempore, vt non nisi paratum incerta mors deprehenderet. Quid autem aliud sunt hebdomadæ cuiusque dies, quàm amici quidam & vitæ panes ordine recurrentes, quorum vnus indubiè tibi postremus erit, & mortis spiculum in te vibrabit prius occultum? Quinta est scientia rerum ad Ecclesiæ vel temporalis Reipublicæ bonum conducentium; ad quod quicumque doctrinam suam directè vel in-

Ille melius nihil habens quod responderet, hæc sibi memoria dixit excidisse. Tum Rex, faciunt te hæc verba suspectissimum, quis enim facilè tantarum rerum obliuiscitur? Abi, ne vltrà te videam. Recepit se ille in Belgium; sed cito desertus ab omnibus transfugit in Burgundiam, vbi à nobili quodam captus Comitissæ est traditus interiecto pretio quadringentarum marcarum auri, & torturæ subiectus, in qua fraudem totam aperuit, móxque suspensus est & strangulatus.

Captus & affectus supplicio.

Prudentiæ leges circa Studiositatis materiam.

CAPVT X.

§. 1. *Sudiositatis descriptio.*
2. *Scientiæ laus, & periculum.*
3. *Quid præcipuè discendum.*
4. *De recto sciendi modo, & scientiæ vsu.*
5. *Quæ artes censendæ malæ, & abominandæ.*
6. *Curiositatis vitium quàm graue sit & latè pateat.*

Ardor sciendi.
Lib. 1. Meta. c. 1.

§. 1. Hominem suapte natura ardere desiderio sciendi multa, & cognoscendi testis est Aristoteles: *Omnes homines*, inquit, *naturaliter scire desiderant*. In Zenone Philo

Philoſopho tantus hic ardor fuit, vt cuidam poſcenti centum nummos, qui ſe promiſerat aliqua ei Dialecticæ arcana reſeraturum, ducentos numerauerit. Diogenes autem Cynicus Athenas profectus ad Antiſthenem; ſæpè repulſus non ſine minis niſi diſcederet, reſpondit: *Cæde ſi vis, at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas; dum aliquid dixeris.* Vix ſe in mediocritate continet tanta diſcendi auiditas; ideóque virtute indiget, qua temperetur, huic nomen ſtudioſitas, quam S. Th. 2.2.q.169.a.2.& q.167.a.1. *virtutem* definit *tẽperantem humanum deſiderium circa rerum cognitiones & ſtudia.*

Diogenis diſcendi cupiditas.

Studioſitas quid.

§.2. Bona eſt ſcientia, ſed periculoſa valdè, perniciofiſſimáque abutentibus, quos præſtaret nunquam literis animum adiecisse. Bona eſt, quia lux quædam eſt mentis, qua innoteſcunt nobis, quæ laterent aliàs ac ſi non eſſent. Quare ſi lucis materialis tantum eſt precium, vt in mundi creatione primum ferè fuerit Dei opificium, ab eodémque illam contemplante bona iudicata; & Tobias captus oculis, quibus eam cerneret, vllum ſibi gaudium eſſe poſſe negauerit, & iniucunda ſit quæcumque domus etiam ornatiſſima ſi ei deſit; quid de ſpiritali hac luce ſentiendum? Quomodò non reponatur inter bona verè magna, cùm error ei contrarius de numero ſit malorum verè grauium, obtrudens pro nobiliſſima aureáque veritate mendacium deformiſſimum? & Ioſue vehementer expetierit ſubruere ciuitatem no-

Scientia bona, at quàm periculoſa.

mine Cariathsepher, in qua Ethnici errores, & nugas suas venditabant? *Qui percusserit Cariathsepher*, inquit, *& ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem*. Diuitiis multum multi tribuunt, scientiæ autem longè amplius Ecclesiastes: *Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuit possessori suo*. De viris bonis, sed scientia destitutis à S. Hieronymo scriptũ memini, *Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantùm ædificat ex vita merito Ecclesiam Christi; tantùm nocet, si destruentibus non resistat.* Hac infamia inter cæteras notantur filij Heli, quòd cùm offerendo sacrificio darent operam; nescirent tamen officium Sacerdotum. Alios æquè imperitos detestatur alibi Deus, & ait: *Quia scientiam repulisti, repellã & ego te*, &c. Reges prætereo & Imperatores, qui nihil se habere rati sine eruditione & doctrina, vel precio vel precibus compararunt sibi viros doctissimos, vt Crœsus Anacharsim, Dionysius Aristippũ, Ptolomeus Stilponẽ Megarensẽ, Mithridates Metrodorũ, Philippus Macedo Aristotelẽ. Prodigiosi proinde meritò videri debẽt qui sciẽtiã eiusq; Professores vituperãt. Quod profectò nõ faciũt; quasi rẽ esse vituperio dignã in recessu cordis arbitrẽtur; sed inuidię œstro perciti, vel vt ea ratione ignominiosæ inscitię suę excusationẽ quęrãt. *Multi vellẽt omnes esse ignorãtes*, ait S. Greg. Naz. *vt illorum ignorãtia in cõmuni latẽs minimè deprehẽdi, aut ab aliis taxari possit.* Nõ est interim par sciẽtię cuiusque dignitas; sed infusa nobilior sẽper simili acquisita

Margin notes:

Iosu. 15.

Eccles. 7.

S. Hier. ad Paulinum.

1. Reg. 2.

Osee. 4.

Reges affecti aduersus scientiam.

S. Gregor. Nazianz. in vita S. Basilij.

ſita, nō ſolū habita ratione modi, quo obtinetur; ſed abūdātioris etiā luminis, quocū menti à Deo infūditur. Hinc illud Pharaonis ad Ioſeph Patriarchā: *Quia oſtēdit tibi Deus omnia, quæ locutus es; nūquid ſapiētiorem, & ſimilem tui inuenire potero?* Et certè regula eſt generalis; quæcūq; proximè emanāt à Deo, præſtātiora ſunt cęteris, vt terreſtris Paradiſi amœnitas, Chriſti, Adami & Euæ pulchritudo, vini ſapor ex aqua facti in Cana Galileæ, ſanitas diuerſis miraculosè reſtituta, vt paralytico, cui dictū eſt: *Surge, tolle lectū tuū, & vade in domū tuā.* Neque enim ab alio quàm iā robuſto, & exactè præter morem curato portari & quidem ad domum vſque lectus potuit, in quo priùs iacuerat. Scientia autem infuſa ad rerum ſpectat ſeriem, quæ immediatè à Deo proficiſcūtur. At viciſſim periculosā voco ſcientiā, quòd abuti ea procliue ſit, in alienam perniciem vel propriā; quod aliquādo ſummis Oratoribus Demoſtheni & Ciceroni accidiſſe legimus: de quibus Iuuē. Sat. 10.

Scientia infuſa præſtat acquiſitæ.

Gen. 41.

Proximè à Deo emanātia quantū præſtent cæteris.

Eloquio ſed vterque perit orator, vtrumque
Largus & exundās letho dedit ingenij fons.

Quæ tamē nō idcircò vel dānāda eſt, vel abolēda, niſi etiā auerſari velimus Dei bonitatē ac patiētiā, de qua Iob. 24. *Dedit Deus homini locū pœnitētiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbiā.* Et Eccl. 8. *Quia non profertur citò cōtra malos ſententia; filij hominū abſque timore vllo perpetrāt mala;* Et ſimiliter vinum deteſtari, quo abutuntur hodiè plurimi, & abuſi fortè ſunt primi quidam orbis incolæ. Neque enim probabilitate vacat,

ctum eius præscribat vsum, omnéque depellat detrimenti inde capiendi periculum, vel etiam inferendi.

§.3. Cùm ab obiecto petat scientia dignitatem suam, Deo autem nihil sit augustius, imò nihil æquè nobile, dubium esse non potest, quin eius cognitio teneat inter omnes principatum, idque non obscurè significat ipse, dicens: *In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Minimam eius notitiam longè præfert Aristoteles, l. 1. Metaph. reliquis omnibus. Huic proximè succedit propria sui ipsius cognitio, de qua dixi cap. præced. & alibi quæ videntur sufficere. Tanti autem fecit Iuuenalis Sat. 11. vt scribat:

Dei cognitio quãta virtus.

Hierem. 9.

Sui cognitio.

E cælo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Tertia est notitia rerum ad salutem pertinentium, quas scilicet vt salui simus, credere nos oportet, facere, aut fugere. Hanc vide compares tibi diligenter; & erubesce, si cùm pleráque alia noris, ea te fugiat: si omnia naturæ arcana teneas cum eodem Aristotele; cœlorum motus ac Planetarum periodos cum Hypparcho & Ptolomæo; omnem curandi rationem cum Hypocrate; partes omnes facundiæ cum Cicerone & Quintiliano; omnes iuris apices cum Bartholo. Si cum Salomone disputes super lignis, à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseras de iumentis & volucribus, & reptilibus & piscibus; ignores tamen quæ saluti tuæ deseruiunt, non noris proferre præcipuos,

In qualibet scietia præclari.

3. Reg. 4.

&

& capitales fidei Catholicæ articulos, non numerare Sacramenta Ecclesiæ, non eiusdem præcepta aut Decalogi, non recitare precem Dominicam,&c. Quid enim tibi profutura est farrago illa tota peregrinarum scientiarum, quando huius defectu summè vtilis, ac necessariæ excludi te senties à regno cælorum,& in

Psal. 35. te impleri quod ait Scriptura, *noluit intelligere vt bene ageret*.& 1. Cor.14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* & Isa.5. *Propterea populus meus ductus est in captiuitatem, quia non habuit scientiam.* Quàm præstat pauca scire, sed vtilissima quàm multa inania? Vulpeculæ iactanti se de arte multiplici Echinum & felem præposuit antiquitas, dicens. *Multa nouit vulpes, sed Echinus & felis vnum.* Cùm suis astutiis capitur sæpè vulpes à canibus: Echinus autem spinis suis inuoluit se in pilæ speciem; felis verò subsilit in arbores altissimas. Quocirca quæramus in posterum auidè intelligere, quę faciunt ad vitam illam beatam, & tunc non parum doctos nos

Laertius in Aristippo. esse in Domino gloriemur. *Vti non ij qui plurimum comedunt & exercentur, melius valent iis qui modicè; ita non qui plurima, sed qui vtilissima legerint, docti censendi sunt & studiosi.* Et Cicero l.1. offic. *Quidam nimis magnum studium atque opera in res obscuras ac difficiles conferunt, easque non necessarias.* Quarta est solida quatuor nouissi-

Nouissimorum cõsideratio. morum consideratio, de quibus Eccl. 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum nõ peccabis.* Et Deut. 32. *Gens absque prudentia est, atque consilia;*

consilio; vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ante oculos ponenda mors est, tum vt cogitatione eius assidua, & expectatione non perturbemur cum aduenerit; tum vt ex ea maturè intelligamus sublunarium rerum vanitatem, quæ nos adueniente illa deserent, si nondum deseruerunt; & cùm infidas atque instabiles esse intellexerimus, meliores seu cœlestes conquiramus, atque iis amorem studiumque nostrum alligemus. Quæ cura cùm omnibus cordi debet esse, tum præcipuè senibus non valentibus diu viuere. Quare postremas benè agendi occasiones auidè arripiant, & bonorum operum sarcinas, quibus iuuari in alia vita cupiunt, conuasare festinent. In hac ipsa mortis cogitatione tantum Plato aliàs Ethnicus situm censuit, vt Philosophiam non aliud quàm mortis meditationem esse scripserit, & prope Athenas Philosophaturus Academiam elegerit, locum vrbi vicinum, & terræmotibus aliisque mortis periculis obnoxium, vt eius iugiter ad memoriam reducendæ præsentior esset occasio. Faciet bene præmeditatus diuini rigor iudicij, vt in quibusque dictis factisque tuis sis cautissimus, in quo ad amussim exiget Deus, à quocumque omnia abdita quæque scrutabitur, & reddet vnicuique secundùm opera sua. *Iudex iste cùm sedebit, quicquid latet, apparebit, nil inultum remanebit.* Vnde Iob. cap. 9. *Verebatur omnia opera sua*

Mors ante oculos ponenda, & cur.

Academia vbi & qualis locus.

omnem quo ad illa peruenitur, præque illis alia quæcumque despicias. Quæ cùm ita sint, in horum omnium meditatione exerce te diligenter, ne dicas: sanus sum, nihil adhuc mihi necesse est de morte cogitare, faciam id cõflictari morbo incipiens. Multos fallunt præsentia, & quia nondũ ægrotare se sentiunt, ab omni periculo se tutos arbitrãtur, longos sibi promittunt dies, & eminus derident mortem. Quasi verò præcordia ingressi sint sua, & quid ibi sit, quid agatur certò intelligant, & sexcenti casus repentini de medio plerósque ex improuiso non auferant? Imprudentissimus nauta est, qui de freti angustiis non priùs cogitat, quàm in illas inciderit. Si te oporteret successiuè septem panes comedere, in quorum vno venenum latere certò tibi constaret, trepidares indubiè ad singulos. Metueres similiter iturus ordine ad amicos totidem, de quibus dixisset tibi ad aurẽ Propheta quispiam; horum vnus exitialem occultat sicam ad te conficiendum, reipsaque conficiet. Dispon eres vtique domui tuæ quouis tempore, vt non nisi paratum incerta mors deprehenderet. Quid autem aliud sunt hebdomadæ cuiusque dies, quàm amici quidam & vitæ panes ordine recurrentes, quorum vnus indubiè tibi postremus erit, & mortis spiculum in te vibrabit prius occultum? Quinta est scientia rerum ad Ecclesiæ vel temporalis Reipublicæ bonum conducentium; ad quod quicumque doctrinam suam directè vel in-

directè non dirigunt, indigni profectò sunt, qui filiis eius ac membris aggregentur. Demaratus Laco aures semel præbens cantori de arte sua mirificè glorianti, citò contempsit hominem inanibus rebus deditum, & ait: *Hic mihi videtur peritè nugari*, tantus erat apud illum & Lacedæmonios cæteros contemptus artium, quæ vtilitatem nullam publicam afferebant. Sexta est scientia proprij priuatíque muneris, vt si sis Sacerdos, peritia reddendi rationem sacrorum rituum (ob id namque apud Ethnicos ἱεροφάντης dicebatur, quòd sacrarum cæremoniarum rationem redderet) si causarum Patronus forensium, peritia Iuris, &c. Si Notarius, veram rationem & formam exactè instrumenta conficiendi, in quibus cùm peccatur, & aliquid perperam additur, omittitur, aut aliter quàm deberet, exprimitur, nunquam deest aduersario facultas & occasio contestandi litem, & perturbandi ius alienum; quod quàm sit luctuosum, vident omnes, nisi qui nolunt. Hanc scientam quia perfectè callere non potest, qui peregrina multa vel nouit, vel cupit, tentátque discere; laude potiùs quàm vituperio digna est eorum ignorantia; vt si clericus mores nesciat Palatinos, non equos scitè agitare, escas diuidere, feris insidiari, nec verba gratiosa teneat, quæ delectent otiantes. Item si nesciat vir nobilis inflare tubam, aut tibicinem agere, si nō scribat eleganter, nec Orthographiam vbique

Demarati dictum.

Sacerdos quis.

Ignorantia laudabilis quæ.

que ob... ruet, quia indicio id est occupatum fuisse melioribus. *Vile exercitium putandum, & ars, & disciplina*, inquit Aristoteles, *quæcumque corpus, aut animum, aut mentẽ liberi hominis ad vsum, & opera virtutis inutilem reddunt. Itaque & artes illa, quæ deteriùs disponunt corpus, & cuncta mercenaria exercitia sordida nuncupamus; mẽtem enim occupatam & vilem reddunt. Sunt etiam quadam ex liberalibus scientiis, quas vsque ad aliquid discere honestum sit, penitus verò sese illis tradere, ac ad extremum vsque prosequi velle, nocumentis illis quæ diximus, obnoxios facit.* Capite autem sequenti nec laudat, nec probat viros in magnis occupatos cantare discere, ne cantare semper velint, quod cantorum est proprium; sed eos potius dare vult aures cantantibus, vndè ex Homero citat: *Et accersunt cytharædum, qui omnes demulceat.* Philippus I. Rex Macedonum aliquando cùm peritissimo Musico collocutus prolixa disputatione habita de arte Musicæ vrgebat, vt se victum ille fateretur. At Musicus: *Dij*, inquit, *ô Rex, auertant hoc, vt tam peritè de arte, atque ego, disseras*; satis indicans, Principes qui eiusmodi studiis se implicant, perfectos esse nõ posse in grauioribus sibi propriis. Nec tamen idcircò excusationem meretur crassissima nobilium quorũdam inscitia nihil literarum callentium; sed se peritos satis iudicantium, si equestrem teneant artẽ, vel gladiatoriam, vel venandi peritiam, vel vtcumque disponendi aciem.

Arist. l. 8. Pol. c. 2.

Pallas armata cur.
Lib. 1. Inst. principio.

Quasi verò iudicio veterum armata non ince-
dat Pallas, scientiarum Dea, vt copulandam
armis scientiam nemo non intelligeret. De-
clarat hoc ipsum Iustinianus Imperator. *Impe-*
ratoriam maiestatem non armis solùm decoratam;
sed etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrum-
que tempus & bellorum & pacis rectè possit guber-
nari. Initio verò Codicis de iisdem armis &
legibus ita scribit: *Istorum enim alterum alte-*
rius auxilio semper eguit, & tam militaris res
legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ leges armo-
rum præsidio seruatæ sunt. Et Rex Mydas pro sto-
lido ponitur, quod scientiæ omnis expers fue-
rit, sic appellatus quasi *μηδὲν εἰδῶν*, id est, *ni-*
hil sciens. Honorificum nobili est, Latinā sal-

Lingua latina callenda nobilibus.

tem tenere linguam præter vernaculam, per-
currere sæpè auream illam epistolam tum S.
Augustini ad Bonifacium Comitem, tum Pau-
li Manutij ad Fabium Stellam, scire ratioci-
nari seu construere syllogismos, neque mora-
les & naturales quæstiones penitùs ignorare,

Geometria, Arithmetica, &c.

neque Geometriam & Arithemeticam, sine
qua quomodò cuneos, v. g. quos quadratos
vocant, formare statim poterit? peritus autem
Arithmeticæ ex proposito ingenti numero
militum, mox eliciet radicem quadratam, se-
cundùm quā si disponantur, actutū resultabit
forma quæ quæritur. Ne in historiis quidem

Historia.

prorsus erit peregrinus, sed eoúsque instru-
ctus, vt in diuersos incidens loquentes de se-
riis vel aliis, in conuiuio vel extra conui-
uium, non cogatur piscis instar obmutesce-
re.

te: Laus hæc fuit Mithridatis Regis nullo egentis interprete ad responsa danda legatis peregrinis; & idiomata callentis duo supra viginti. Viciſſim non desunt authores, qui existimant nō expedire, vt valdè multis literis imbuantur viri principes, quia tunc facilè præsumunt se scire omnia; necessarios sibi nō esse Consiliarios, plus se omnibus sapere, & quod intolerabilius est, quandōque in sacra irrepere, de fidei rebus Iudicium sibi arrogare, sensu suo metiri omnia, neminem pati sibi nō consentientem, quo quid perniciosius?

§. 4. Ad verum discendi modum multa pertinent. Memineris primum omnium doctrinam à Deo postulare. Fecit hoc Salomon, cōsuluit Iacobus Apostolus dicens: *Indiget quis sapientia? postulet à Deo.* Ex hoc fonte tantam hausit S. Thomas Aquinas. Nunquam lectioni se dabat aut scriptioni, non præmissa oratione. In difficultatibus locorum sacræ Scripturæ addebat orationi ieiunium. Legerat vtique apud Psalmographum: *Beatus homo, quē tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eū.* Et quia prætermitti non vult Deus humana media, optimum tibi quære secundo loco præceptorem, & in arte ad quam aspiras valdè exercitatum. Nam cum talibus breui tempore itur longiſſimè, & in animum penitùs descendunt, quæ dantur præscriptiones, sine quibus nec solida potest esse scientia, nec diuturna. Prouerbium est: *Disce, sed à doctis.* Et de Poëtis præcipuis vnus scriptū reliquit.

[Margin: 1. — Iac. 1. — Psal. 93. — 2.]

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos.

Tertiò copulanda doctrinæ virtus est, ac pie-
3. tas velut puellæ garrulæ, & insolenti matrona sapientissima, tantus orator habitus est Pericles Anaxagoræ discipulus, vt fulminare diceretur, & in auditorum animis aculeos relinquere. Verum quia vir bonus non fuit, sed πολυπραγμῶν, id est, inquietus, bellum accendit Peloponnesiacum Atheniensi patriæ suæ exitiale. Alcibiades similiter, & Critias acuti duo Socratis discipuli; sed improbi inuexerunt in suam mala plurima, miráque tyrannide conciues oppresserunt. Quæ causa est, cur non planè improbem parentum consilium, filios suos corruptissimæ indolis à studiis auocantium, cùm ex iis vix aliud sint reportaturi, quàm ampliorem solertiam in excogitandis perficiendísque nequitiis. Omnis scientia est contrariorum, non manifestat solùm rectam operandi rationem; sed ex consequenti fraudes & modos, quibus vel erratur, vel nequiter agitur. Accedat proindè virtus necesse est, quæ non sinat rectis operandi modis fraudulentos substitui. Eleganter Theodosius magnus apud Sozom. l. 7. c. 12. dicere solebat, *tunc pralem suam verè fore dignam imperio, si cum scientia æquè imbuta esset pietate.*

Sciẽtia omnis contrariorum.

Quartò, Orthodoxus es, caue præceptore vti hæretico, vel alterius generis infideli, namque indubiè cũ præceptis artis instillabit occultè suæ venena perfidiæ, nec ita multò post de te dicetur

dicetur. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.* Multò præstat ignorare, quàm adeò perniciosè discere, cùm sit humana discere, diuina autẽ dediscere. Vera aliqua dici ab hæreticis non abnuo; sed quia veris admiscent falsa, ex aliorum quàm ipsorum ore discenda est veritas, & imitandi Lacædæmonij, qui consilium bonum ab improbo suggestum viro, ex ore eius audire noluerunt; sed ex ore probi, cui illud prodiderat: & sic eo vsi sunt, vt scribit Aul. Gell. l. 18. c. 3. si tibi præstò non esse dicas Orthodoxos, respondebitur: Quære & inuenies, *omnis enim qui quærit, inuenit.* Inueniam quidem, sed non æquè peritos. Contendo contrà euenire posse, vt quærenti occurrant periciores. Verùm sint imperitiores? meliùs tibi est multa ignorando saluari, quàm perire sciendo plurima. *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quintò, Theologiæ studiosus es, rerúmque sacrarũ? sit tibi curæ præ cæteris pietatem doctrinæ adiicere, tum quia abusus sacræ perniciosissimus est omnium; tum vt pleniùs puriúsque illam haurias: quod nulla certè magis, quàm ista via consequere. Ioan. 7. *Si quis fecerit voluntatem patris mei, cognoscet de doctrina mea.* & Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Hinc tanta Sanctorum Patrum sapientia, in oratione assiduè sese exercentium & præceptis Dei; tanta ex aduersó cæcitas hæreticorũ,

Hosee.6.

Lacædæmonij nolunt audire bonum consilium ab improbo.

Matth.7.

Marc.9.

5.

ex quibus quilibet (vt luxuriam & vitia alia prætercam) indeuotissimus iuxta, ac superbissimus est, multóque plus suo, quàm Ecclesiæ totius iudicio tribuit. Talibus autem resistit Deus, negat gratiam; & prouidet, vt discentes semper, nunquam ad scientiã perueniant;

6. sed impiorũ more in circuitu ambulent. Sextò, si quod doceri cupis, verbum sit Dei, non pauca sunt quæ à te conuenit obseruari. Accede non desiderio incensus virum audiendi gratiosum, eloquentem, aut curiosa proferre solitum; sed docentem iniquos vias Domini, vt ad ipsum conuertantur. Accede non vt Iudex, & Censor; sed humilis Christi discipulus locuturi tibi per os præconis sui: non vt irrideas, sed vt proficias, qua mente quicũque accedunt; &, vt verbis vtar Aristotelis: *Qui cum ratione appetunt, aguntque, ÿ magnum fructum ex horum cognitione consequentur.* Selige ex tota concione, ac memoriæ committe, quæ te magis permouebunt, & te tui admonebunt muneris. Si quid perpetraueris, quod fieri nõ debuisse audias, mox apud te dicito: *Ignoscat mihi Deus, impegi aliquoties ad hunc lapidem, dabo operam, adiuuante ipso, ne recidam.* Geme similiter, sentiens à te neglectum, quod audis fuisse faciendum, & statue non vltra prætermittere. Sic nunquam à concione recedes fructu vacuus. Fieri potest, vt multa iã noris, sed non omnia. Non desunt quæ adhuc à Christo docendus sis etiam per indoctiores, sicut edoctus est Paulus per Ananiam discipulum,

Arist. lib. 1. Eth. c. 1.

S. Paulus

pulum, in multis; quamuis quoad cætera, imperitiorem. Dici non potest, quantum displiceat Deo, & profectui obstet spirituali fastus sat multa se scire præsumentium. Tales vt plurimum insulsi sunt & ignorantes, vt Palæmon ille; qui apud Sueton. l. de claris Gram. idoneum se Iudicem iactabat esse ad ferendam de poëmatibus omnibus sententiā: & apud Martialem l. 2. Epig. 6. Attalus, qui se omnibus credebat ingenio doctrinaque antecellere, ad quem Poëta: *edoctus per Ananiam.* *Palæmon.* *Attalus.*

Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Melius illis esset, parum, aut nihil scire, quàm in scientia sua sic euanescere. *Qui plura sciunt, non sustinuerint, vt facilè discant: qui autem nihil sciunt, quæ dicuntur, facilè admiserint. Indocti & imperiti magis persuadentur; quia non habent arrogantiam, vt se putent esse sapientes.* Laborabant hoc vitio, quibus dicebat idem Apostolus, 1. Corint. 4. *Iam saturati estis, iam diuites facti estis.* Adde, quòd non sola cognitione indiges, sed affectu etiam, motúque pio voluntatis, quem experiri nescio qua melius arte queas, quàm illum audiendo, per quem DEVS loquitur, & cui dat vocem virtutis, de qua SPONSA. *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est.* In partem veniunt fastus huius, qui cum inscitiæ suæ satis sibi sint conscij, præ superbia tamen videri nolunt quicquam à concionatore didicisse, extenuant potius, quæ rectè dixit, & interpretantur in partem deteriorem, ingrati nimis non tam in ipsum, S. Chrysost. Hom. 5. in epist. 1. ad Cor. Cant. 4.

quàm in Deum, pro quo legatione fungitur. Si quid ab eo dictum audis, quod omninò falsum tibi videtur aut ineptum, nec posse piam vllam interpretationem admittere, ne continuò illum traduxeris; sed de hoc modestè interroga, aut præpositis eius occultè aperi, quid illi exciderit; ita quippè fraternam non lædes charitatem, non omittes correptionem, nec obseruandum in ea ordinem. Quod dixi de intentione syncera audiendi verbum Dei in bonis quibúsque authoribus euoluendis, obseruare stude; mentem, inquam, tecum affer sciendi cupidam & synceram. *Optimus lector ille est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm importet, & retulerit magis quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* In Concionatore rursus, ne multùm requiras elocutionem, quæ sæcularis quædam hedera est virens quidem, & ingeniis blandiens curiosis; qua tamen non indiget diuini verbi vinum satis per se vendibile. Quàm doctus, acutus, eloquens S. Augustinus, adeò tamen illam in eiusmodi sacris interpretibus non requirebat, vt etiam fastidiret, déque Fausto Manichæo diceret. *Iam venerat Carthaginem quidam Manichæus Faustus nomine magnus laqueus Diaboli, & multi implicabãtur in eo per illecebras suauiloquentiæ.* Et infrà. *Vbi veni expertus sum hominem gratum, & iocundum verbis, & illa ipsa quæ dicere solent,* multo

S. Hilar. l. 1. de Trin.

S. Aug. l. 5. Conf. c. 6.

multo sua. ius garrientem. Sed quid ad sitim meam preciosorum poculorum decentissimus ministrator? Iam rebus talibus satiata erant aures mea, nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur, nec ideo vera, quia diserta. Si negligit Deus tersam illam politamque dictionē, quo iure multum requisieris? Morosus esse voles & fastidiosus, vbi se præbet facilem? Præbet se sanè in diuinis literis, quas elucubrare profitetur Ecclesiastes, & quibus non abs te se conformauerit; quibus item cum nihil sit absolutius, sanctius, vtilius, nihil est simplicius minúsque violandum iuxta dictum Cassiodori: *Maneat incorrupta lectio, qua Deo placuisse cognoscitur, ita vt fulgore suo niteat, nec humano iudicio carpenda subiaceat.* Ingens adit periculum qui diserti Sermonis tenetur ingenti desiderio. Citò appetet Hæresiarcharum legere opuscula, vbique ad irretiendum respersa flosculis Rhetoricis, sicut ait Apostolus: *Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Melius est nescire, quàm à talibus discere praua docentibus, & præceptore vti pessimo. Ne in aureo quidem poculo expedit venenum bibere. Cùm placere locutio incipit, placet simul qui loquitur, imò cum gaudio etiam & quasi verum, facilè admittitur, quidquid enuntiat tandémque propugnatur. Septimò ardor discendi tuus modum habeat, ne lædas valetudinem, aut

Cassiod. de diu. lect. c. 15.

Rom. 6.

caput

caput contentione nimia postea curſ sus helleboro. Memento veteris Prouerbij: *Festina lentè*; &, *Canis festinans cæcos parit catulos. Non potest in eo succus esse dictionis, quod nimis celeriter est maturitatem consecutum.* Euades sat citò doctus, si bene ac solidè. Quocirca ne anxiè nimis & continuo in studia incubueris. *Volo tibi parcas*, inquit S. August. *& apertum per aëra ire animum permittas. Decet enim sapientem interdum remittere mentis aciem rebus agendis intentum.* Iustum est, vt concedat animus quietem aliquam corpori; aliàs cogetur tandem ex toto studia abrumpere. Recusanti Camelo iuuare bouem conseruum suum parte oneris, dixit bos: paulò pòst & meipsum & hæc omnia portabis. Id quod euenit boue mortuo: impositus enim Camelo est cum tota sarcina. Plut. lib. de tuend. Val. His accedit incômodũ aliud in primis euitandum. Extinguit ardor ille nimius deuotionis spiritum omni doctrina potiorem. *Omnia tempus habent.* Literarum studium infœliciter colit, qui dum euadit doctus, fit impius, & religionis partes negligit, vt abundet otio in legendis libris, vel componendis. *Vnum est necessarium.* In cœlum admitti sine doctrina pores, sine pietate nô pores. Exigua illius à te exigetur ratio, istius maxima. Habent sanè vnde erubescant, & inferiores se agnoscant idiotis, qui non vt illi colunt pietatem, sed consectantur in literis vanitatem. *Surgunt indocti, & rapiunt cœlum*: sic loquebatur idem Aug. *nos autem cum doctrinis nostris voluta*

Cicero. l. 1. de orat.

S. Aug l. 2. de Musica c. 4.

Eccles. 3.

Luc. 10.

Li. 8. Conf. cap. 8.

voluamus, in carne & sanguine. Alio autem loco scribit: *Sunt qui desertis virtutibus magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime, intentissiméque perquirant. Vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in cœlo ipso, de quo sæpissime disputant, sibi habitare videantur.* Innumeros capit infernus, capiétque in æternum, ad quorum doctrinam minus accedit tua, quàm ad solis splendorem stella sextæ magnitudinis. Non ergo totum in doctrina positum. Aurea planè sententia, & albo notanda lapillo. *Quantò plus & meliùs scis, tanto grauiùs inde iudicaberis, nisi sanctiùs vixeris.* Octauò delectū habeto studiorum, atque in iis prosequendis ne vertumnus, sed constans esto. Quidam discere & scire volunt omnia, & ambiunt ac profitentur cum Gorgia Leontino extemplo de re quacumque posse sermocinari. Sed inani spe flagrant, in cursu cadunt, & experiuntur verum, quod dici solet, *Non omnia eueniunt quæ in animo statueris.* Tales magnificè nimis de seipsis sentiunt, & dum scire student omnia, nihil perfectè assequuntur, eo quod species vna extrudit alteram, & sensus intentus pluribus minus est ad singula, & qui duos sectatur lepores neutrum capit: mihi sanè videntur hi similes stomacho deuoranti plurima, nihil autem benè digerenti: Toti sunt in consuendis Miscellaneis, farciendis centonibus, implendis chartis, donec in immensum excreuerint, ad hoc solùm

Lib. de morib. Eccles. cap. 21.

Thom. de Kempis

lùm futuræ vtiles vt Vulcanum ... cendant, aut inuolucra fiant mercium minutiorum. Tales fuerunt nugæ multæ Ouidij, de quibus scribit l.5.Trist. Eleg.13.

Scribimus & scriptos absumimus igne libellos.

Exitus est studij parua fauilla mei.

Alij studiorum quidem suorum solida iaciunt fundamenta & attollunt parietes, sed moræ impatientes non attingunt fastigium, censura illa dignissimi. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. 14. Interim tamen promoueri ante tempus volunt, iidem ferè quidquid aggrediuntur, mox fastidiunt; atque ab eo nondum perfecto ad aliud studij genus se transferunt, in quo non ita multò pòst pari laborant inconstantia; vel ad prius illud redire coguntur, experti se absque maioribus in eo progressibus, impares ineptósque esse ad alia. Nam & iuniores Lusciniæ imperfectè semper canunt, quousque diu versatæ fuerint cum seniculis, à quibus instituantur.

9. Nono, adolescens vitia Laconicum seu contractum loquendi stylum & scribendi. In sene est quàm in te tolerabilior. Nam, vt scribit Quintil.l.11.cap.1. *In senibus non tam conuenit plenum, erectum, audax, præcultum dicendi genus; quàm pressum, mite, & limatum, quale intelligi vult Cicero in Bruto, cùm dicit orationem suam cœpisse canescere; sicut nec decent ætatem illam vestes purpura coccóque fulgentes. In* iuueni

iuuenibus contra, siccum, & sollicitum, & contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa seueritatis inuisum est. Stylum itaque sibi proponant Tullianum, de quo idem Quintil. l.10.cap.1: *Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* Et paulò antè: *Mihi videtur M. Tullius cùm se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis.* Denique legendo 10.
etiam priuatim forma vocem; quia licet formatio videatur impedire aliquantulum mentis attentionem; corpori tamen multum prodest. Qua de re Plutarchus: *Cùm vox sit agitatio Spiritus non leuiter & in superficie, sed velut in ipso fonte, calorem auget, subtilem reddit sanguinem, omnes purgat venas, & omnes aperit arterias. Humorem verò superfluum non sinit crassescere, qui fæcis in morem subsidit in his conceptaculis, quibus accipitur, & conficitur cibus. Itaque danda est opera, vt sese huic exercitationi familiares & assuetos reddant.*

Plut. lib. de tuend. val.

Hactenus de Prudentiæ regulis circa doctrinæ acquisitionem. De eiusdem adeptæ vsu aliquid etiam admoneamus. Caue primum otiosa in te sit eius adeptio, ne perfidos illos & inertes imitere, qui post magnos progressus in literis, & adeptum fortè Doctoris titulum, id solùm spectant, officio vt nobili vel beneficio præficiantur; vel deriuent ad se præbendam pinguissimam, qua impetrata expectationem fallunt omnium, tradunt sese inertiæ, clausos & in angulũ reiectos Libros blattis

blattis relinquunt ac tineis, breuíq'.e obliuiscuntur & dediscunt totum, quod multo tempore ac labore didicerunt. Merentur hi sanè censuram grauissimam, vt nihil dicam asperius, & conuincuntur esse mercenarij, & quærere quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.

2. Adhæc acquisita eruditione vtere non ad gloriam & ostentationem, non ad turpem quæstum, sed ad honestum finem, ad Dei gloriam, ad vtilitatem publicam, ad salutem tuam & proximorum. *Non possum te dicere industrium,* ait Epictetus, *si audiero istud solum, te legere aut scribere. Tametsi aliquis adiecerit totas noctes, nondum hoc dico, nisi cognouero quò ista referantur. Neque enim industrium eum dicis qui propter puellum vigilat. Nec ego eum qui multa legit, sed si gloriæ causa id fecerit ambitiosum, si pecuniæ gratia auarum. Si verò ad rationem suam laborem istum retulerit, tum demum industrium dico.* (Arria. l. 4. cap. 4.)

3. Præterea quæ ad alios in spiritu iuuandos, & in via Domini erudiendos meditatus fueris, applica primum tibi ipsi, ne aliàs tua te scientia confundat, & iudiceris ex ore tuo, aut frustrà coneris malus bonos facere: simile generat sibi simile, éstque perdifficile, vt improbus vocem virtutis à Deo accipiat; vndè populum suum Israel saluum non fecit Deus per sceleratos illos & audaculos, de quibus ait scriptor Canonicus. *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* (1. Mach. 5.) Imitandus Stomachus, qui ex Cibo concoquendo mem

membris reliquis, capit & fugit primum omnium, quod sibi est necessarium. Insuper si post egregiè nauatam studiis operam, aliquid docere paras, dicere aut scribere, ne Iudex eius fueris seuerus nimis, aut blandus. Quibusdam placent sua omnia, aliis suum nihil; extremum vtrumque; sed illud magis. Vituperat hoc in Oratore Quintilianus, quantò magis in Christiano mores consectanti bonos reprehensionem habet? *Sunt autem*, inquit ille, *quibus nihil satis sit, omnia mutare, omnia aliter dicere, quàm occurrit velint: nec promptum est dicere, vtros peccare validiùs putem, quibus omnia sua placent, aut quibus nihil. Accidit enim ingeniosis adolescentibus frequenter, vt labore consumantur, & in silentium vsque descendant nimia benè dicendi cupiditate.* In ancipiti hoc casu nihil securius, ac consultius, quàm virorum bonorum simulque in eo genere eruditorum stare iudicio, siue amici tantùm sint, siue tibi præpositi. Experimentum tui capiant, docentem te audiant vel perorantem, & quod bona fides suggesserit, de te pronuntient, tu verò sequere. Si quid edere in lucem cogitas; lima, perlima; non dico priusquam in vulgus prodeat, & in seuerissimorum quorumcumque Censorum manus veniat; sed etiam priusquam amicis iustisque Iudicibus exhibeatur.

Quint. lib. 10. cap. 3.

——*Si quid tamen olim*
Scripseris, in Metij descendat Iudicis aures,

Horat. in Arte.

Et patris, & nostras, nonumque prematur in annum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reuerti.

Iisdem Iudicibus ne indignere, si non approbent, quod discutiendum exhibueris, vbi probabiles reprobationis causas protulerint. Illorum est seruare constantiam, philautiæ non indulgere scriptitantium, vtiles bonosque libros nec configere nec supprimere; vicissim autem non corroborare suffragio inanes, aut parum vtiles, quorum lectione auocantur Lectores à seriis, & tempus terunt.

§. 5. De reliquo, cùm libris Hæreticorum nullum tibi sit commercium. *Carnem quæ à bestiis fuerit prægustata, non comedetis.* Exitialis est doctrina eorum, blandiuntur specie veritatis, sed lethaliter sauciant occulto aculeo falsitatis. Quantumcúmque elegantia niteant & eloquentia; pestilentissimi sunt; non secus ac simia, quamuis aurea gestet insignia, semper est simia. Anno salutis M. D. LXXII. combustus est Lutetiæ Atheus quidam, qui à Iudice interrogatus, vndè tantam hausisset impietatem? E Caluini libris, inquit; apud quem, cùm Deum legerem causam esse flagitiorum omnium, atque ad ea perpetranda impellere homines, satius esse duxi nullum omninò ponere, quàm talem agnoscere. *Qui eiusmodi libros habere & legere sustinuerint*, ait lex Codicis, *vltimum supplicium subibunt:* in

Exod. 22.

C. de summa Trin. l. 3.

in Bulla verò Cœnæ Domini anathemate feriuntur. Grauis quondam sceleris reus habitus est Theophilus magnus, quod deprehensus fuerit legens damnatos quosdam Tractatus Origenis, frustráque conatus est excipere bona tantum legi à se & retineri; noxia autem, vt in prato ab apibus fieri solet, prætermitti. His succedunt amatorij, qui licet minùs officiant, suo tamen dicendi lepore, mirè ad omnem lasciuiam lectores illiciunt. Quemadmodum armorum nomen quia odiosum est, non ad gladios tantùm & machinas extenditur; sed ad fustes & lapides; ita librorum interdictorum appellatione continentur, tam qui fidei repugnant orthodoxæ, quàm qui bonis moribus; quandoquidem ad salutem probi mores necessarij sunt. Stylo scribantur quantumuis elaborato, non idcircò desinunt esse mortiferi; sicut nec funes serici, enses aurei, pocula preciosa, quæ parauerat Heliogabalus veneni hauriendi gratia, quando in se videret hostes insurgere. De arte amandi scripsisse libros eousque tandem puduit Ouidium, vt eorum lectionem planè dissuaserit:

Cassiod. in vita Theophili.

ff. de verb. signif.

Librorum interdictorũ appellatione quinam veniant.

Eloquar inuitus, teneros ne tange Poëtas:
Submoueo dotes impius ipse meas.

Lib. 2. de Remed.

Silenda minimè sunt vana illa Astrologorum ἀποτελέσματα, seu effectus, & coniecturæ à dispositione cœli deriuatæ, quarum scientiam qui sectantur, similes mihi videntur procis Penelopes, qui cùm eius congres-

sum impetrare nequiren, tancillis sese immis-cebant; ita hi cùm ad præclaras sint artes idonei, nullius valoris sectantur disciplinas.

Astronomia, quæ non prohibita. Astronomia quidem respuenda non est, quæ tantùm tradit naturales cœlorum astrorumque motus, ac periodos, naturales item effectus inde promanantes. Ea enim magno suo lucro vsus est Thales Milesius, vir valdè serius, diuinando futuram oliuarum vbertatem, vt scribit Arist. l. 7. Polit. cap. 1.

Iudiciaria. Quæ autem iudiciaria dicitur, & ad ferendum iudicium certum de rebus futuris contingentibus, atque ab hominis arbitrio pendentibus, ac si eum necessario vrgerent astra suis influxibus, planè est interdicta, refertaque fallaciis: futura siquidem contingentia non habent causas necessarias, saltem omnes, vtporè pendentia non à cœlis tantùm, sed à lumine, à primis qualitatibus, à ventis, ab elementis & causis aliis temerè concurrentibus. Exemplum, oppressit cadens lapis Titium iter facientem, causa fuit cur iter faceret; causa item cur lapis caderet, sed quod cadendo in eum prætereuntem irruerit, mero casu factum est, ob idque illum sic interiturum nullo modo valuit Iudiciarius certò asserere. Coniuncta est anima corpori, sed non alligata; sic vt sui Iuris non sit, ideóque cœlorum vis in corpus nihil præiudicat, vel detrahit eius libertati. Adde quòd extrinseca multa cœlestis influxus effectum sæpè remorentur, vel omninò impediant, vt consuetudo, parentum complexio, aër, educatio,

tatio, &c. faciléque animum ab inclinatione naturali absterreant dissuasio, metus infamiæ, præmij magni propositio vel supplicij; maximè verò omnium, gratia Dei, mutans quemlibet, cùm vult, in virum alterũ, & singulariter intenta omnibus ad virum iustum pertinentibus (quicquid sit de rebus aliis naturalibus, quas faciliùs tenere finit cursum suum) sicut dicit Salomon: *Videbunt finem sapientis; & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus.* Cuius etiam hominis causa nonnunquam immutat eiusmodi cursum, vt quando ad preces Samuelis sereno cœlo, sicut esse solet in messe tritici, extemplo fecit pluuiam descendere. Præterea, quàm fuisset indecens à cœlis & astris necessariò regi hominem, propter quem sunt condita? Docent hi Apotelesmatici, eos, qui sub vna, eademque stella, vel signo nascuntur, iisdem fore moribus, & habituros communes in vita casus. Nulli magis videri possunt sub eodem nasci, quàm Gemini; quorum interim euentus & mores sæpè dissimillimi sunt. Quoties, verbi gratia, ambulante, venante, clamante, dormiente, comedente Esau, domi quiescebat Iacob, tacebat, vigilabat, abstinebat? Ille nulli socero suo seruiuit, molestus matri fuit, ius amisit primogeniti, vndique hirsutus erat: Ille contra pro mercede seruiuit Laban socero suo, viginti annis, impensè à matre diligebatur, iure potitus est primogeniti, toto corpore lenis fuit; de vxoribus quid dicam? quid de filiis? quid de rebus? quid de morte?

Sap. 4.

3. Reg. 12.

Iacob & Esau quàm dispar fuit.

quanta vbique diuersitas? Plerique ex aduerso diuersis temporibus, & sub disiunctissima constitutione syderum in lucem editi eandem vixerunt vitam; idem vitæ genus sunt amplexati, eodem mortis genere de medio sublati. Quis enim credat, omnes qui naufragio pereunt, aut in piscandi arte sese exercent, sub stella natos Aquarij, quæ causa mortis huius & professionis à nugatoribus illis esse dicitur? Omnes item quos bellum absumit, aut arma tractare cernimus, sub stella Martis? Omnes qui libidini seruiunt, sub stella Veneris? Omnes qui fraudibus delectantur, vel eloquentia, sub stella Mercurij? Vnde nam exploratus illis esse potuit præcisus situs syderum, qui fuit eo tempore, quo quis nascebatur? Neque enim præsentes fuere nascentibus, sed temporis huius notitiam ab aliis accepere, quos mentitos fuisse ac deceptos, quid vetat, fidentes horologiis materialibus, quorum vix vnum omni errore vacat, aut præcisè & constanter cum motu Solis congruit? Præterquàm quòd egressus infantilis corporis ex vtero magna sæpè mora constat, egrediente sensim parte post partem. Admodum proinde varius est situs ille rapidissimorum syderum, qualis ad prædictiones certas nequaquàm esse deberet. Ipsa conceptio fœtus & animatio natiuitate potior est, quò fit vt futura prolis conditio magis prodeat à situ & mutuo aspectu syderum, dum concipitur, quàm dum oritur. Nemo autem scire

potest

poteſt quiſnam præciſè ſit conceptionis tempore, ne ipſa quidem mater illud habet exploratum. Eſt denique eiuſmodi futurorum certa prædictio Dei propria, iuxta illud: *Annunciate nobis quæ ventura ſunt, & dicemus quia dij eſtis vos.* Iſa. 41.

Huic nefariæ ſcientiæ cognata eſt Necromanticorum, Chiromanticorum, & aliorum vanitas Dæmonem interrogantium, arcana vel futura ſciendi gratia. Ecquam habent connexionem partes cadaueris, aut lineamenta manus cum futuris, quæ inde prædicuntur, euentibus? Cur non æquè pedum lineæ obſeruantur? Quanti ſtuporis eſt, non agnoſcere, earum in variis diuerſitatem per accidens reſultare? Eſt quippe naturale, vt ſi conſtringas manum, reſultent rugæ ac lineæ in manibus (ſicut etiam in Chirothecis) quod cùm faciant omnes circa natiuitatis exordium, quando molliſſima eſt caro, faciliùs tunc generari poteſt, & lapſu temporis confirmari. Quia tamen non eodem modo ſinguli inflectunt manus, vel pedes, enata eſt in multorum lineamentis diſparitas. Quod ad Dæmonem, ſtultiſſimum eſt aliquid ab eo percontari; ab hoſte, inquam, calidiſſimo, neſciente ſæpè quod ſe ſcire profitetur, ſemper incumbente vt incautos circumueniat, ſicut olim primos parentes; quibus dixit: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum,* vtque multorum exitium operetur. Quæris exemplum? Valente Imperatore ſucceſſoris ſui necandi

De Chiromanti., & Necromantia quid.

Dæmoni non fidendum.

Gen. 3.

Soz. lib. 6. cap. 35.

Valens delusus. percupido, vulgauit Dæmon successoris nomen ab his quatuor literis incipere Θ. ε. ο. δ. quo audito occidit Valens quotquot potuit Theophilos, Theotimos, Theophylactos, Theodoros, Theophanes, Theomenes; successorem autem post se reliquit Gratianum. Cur non potiùs ab Angelis bonis arcanorum scientia, si quærenda est, quæritur? Hi siquidem amore in genus humanum prohibentur velle decipere, & cognitionis profunditate cuncta, quæ conuenit sciri, possunt indicare. Quippè causas principales in Dei Verbó conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quædam probantur, quædam reprobátur, cuncta ordinantur. Odio contrà & liuore in hominem inflammati Dæmones toti sunt in concinnandis dolis, quantumuis beneuolentiam mentiantur: & æternas illas temporum causas in Dei Sapientia non contemplantur; sed quorundam duntaxat signorum homini occultorum maiore experientia plura, quàm homo prænuntiant, interdum verè, sæpè falsò: quia in coniecturis suis hallucinantur, illi verò nunquam. Nempè aliud est in temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia diuinare, eisque temporalem & mutabilem modum suæ voluntatis & facultatis inserere, quod Dæmonibus certa ratione permissum est; aliud in æternis & incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius Sapientia viuunt, mutationes temporum præuidere, Deique voluntatem, quæ tum certissima

Angeli boni prohibentur velle decipere.

tissima,tū potétissima est omniū,spiritus participatione cognoscere, quod sanctis Angelis recti discretione donatum est. Sed neque vanitate caret scientia Chymica: nam, vt non inficier per Alchymiam fieri aurum posse; rarissimus tamen est, qui norit facere: deglubitur res domestica; seria negliguntur; sique fortè resultet aurū ex labore illo Chymico, in vsum, commerciumque adducitur, ac si aurum esset verum & naturale; cùm tamen multum valore ab eo, virtuteque differat; atque ita magnum innocentibus creatur detrimentum; & ægris aliquando vita eripitur, quando in medicamenta vsurpatur, eò quòd non habet naturalis auri vim salutarem, nec caret malignis qualitatibus ab igne carbonario, & venenoso hydrargirio contractis. *De Chymia iudicium.*

§. 6. Restant cognitiones aliæ studioso viro interdictæ, & curiositatis prauæ nomine comprehensæ. Prauæ dico, quia non omnis curiositas est huiusmodi; vt cùm peregrinus interrogat, quos potest, de rebus, quæ domi geruntur. *Omnibus peregrinantibus proprium est, minimarum rerum, quæ domi geruntur, velle fieri certiores.* Curiositas prima vitiosa est eorum, qui diuinæ ordinationis rimantur secreta, nec prius volunt acquiescere, quàm eius rationes audiant. Horum temeritaté condemnat Scriptura, cùm ait: *Deus maior est corde nostro.* Et, *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Et, *In pluribus operibus eius ne fueris curiosus, non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, vi-*

Cœlius Ciceroni.

Curiositas vitiosa.

Ecclef. 3.

Ibid.

dere oculis tuis. Ac rursus: *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi, multos quoque supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.* Voluerunt Bethsamitæ propius intueri arcam fœderis, sed quo exitu? Nonne percussit ex iis Dominus quinquaginta millia? Et quia per prælatos Ecclesiæ Deus ritus instituit, quibus illa vtitur, fit vt nimium quoque sint curiosi, qui importunè de illis sciscitantur, quare sint introducti, nec probare eos volunt, quousque perspicuè causas didicerint. Perstringit tales Apostolus, quasi à veris Ec-
1.Cor.11. clesiæ membris alienos. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Quibus verbis appositissimè vsus in Anglia Treshamus Theologus Oxonij sub Eduardo puero interrogatus à Coxo commissario Regio porrigente sibi Caponis alam in mensa die quadragesimali. *Quam scripturam habes, Domine Doctor, contra hunc cibum hodie comedendum?* Habeo, inquam, sententiam Apostoli: *Nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Non quòd non spectet ad Pastores & Concionatores eorum rationem reddere, præcipuorum saltem & communium, quò magis commendentur, & mysteria declarentur, ad quæ insinuanda sunt instituti; & nullam in iis superstitionem latere constet: Sed vicissim populi est, non ita illorum vrgere causas & percontari, vt si non proferantur, contemptui sint: nec rursus illas per se rimari, sed à Pastoribus discere. Deuteronom.

nomi. 32. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit, maiores tuos, & dicent tibi.* Iisdem Ecclesiæ Pastoribus & Doctoribus faciliùs conceditur in penetralia Scripturæ sacræ, & diuinorum mysteriorum introire; proptereà quod incumbit illis, ea tueri aduersùm hæreticos, & exponere posse, cùm necesse fuerit; secus autem populo. Montes quippe altissimi sunt, ad quorum radicem vult Deus ipsum consistere. Exod. 19. *Contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Altera praua curiositas est appetentium videre miracula. Quo vitio laborabat Herodes lætus de transmisso ad se Christo, eò quòd sperabat aliquod ab eo editum iri. Ij similiter, ad quos idem Christus: *Generatio praua & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic,* &c. Nempe, quæ hucusque patrata sunt in veræ fidei religionisque confirmationem, abundè sufficiunt; ideóque non est cur noua postulemus. Quod si, vt sæpè contingit, eduntur noua, diuinæ id ascribendum munificentiæ, non contentæ necessariis; sed aliis quoque illustrare volenti Ecclesiam suam; at non idcircò sunt requirenda. Nec tamen inficior, licere ægris, vbi medica nequeunt arte sanari, salutem à Deo per Sancti alicuius merita postulare, esto sic impetrari absque miraculo non possit; quia non postulatur à Deo

Miracula in quantum appetenda.

Matth. 12.

Sanitas quãdo miraculo petenda.

à Deo vt miraculoſa, ſed vt ſalus ſimpliciter; ſubeſt præterea poſtulandi neceſſitas; nam nec Chirurgus malè agit crucians ægrum, dum luxata eius componit membra, vt qui directè ſolam intendit compoſitionem; non autem dolorem annexum aut conſequentem. Sed & iure noſtro vrgere hæreticos poſſumus, vt edant aliqua ſi credi ſibi volunt; quandoquidem conſtabilienda per ea eſt velut per diuinum ſigillum veræ doctrina fidei; nullis autem hactenus conſtabilita eſt, quam infœlici huic ſæculo obtrudunt vt veram: non iis quæ facta ſunt ab Apoſtolis; quia hæc non ſunt edita niſi in confirmationem doctrinę Apoſtolicæ, quæ videlicet integra & ſine vlla interruptione duratura erat vnà cũ Eccleſia à temporę ipſorum vſque ad mundi finem. Nullo autem modo oſtendere poſſunt hodierni Sectarij ſuam duraſſe, & in mundo fuiſſe totis mille & centum annis; hoc eſt, ab ætate Gregorij Magni vſque ad Lutherum vel Caluinũ ſuum, quidquid ſit de ſæculis controuerſis, quæ ſcilicet S. Gregorium præceſſerunt. Neque iis quæ patrata ſunt poſteriùs, tum quia non à ſe, ſed à Catholicis ſunt edita; tum quia falſa contendunt eſſe & præſtigioſa. Similiter ſi contingeret aliquo Dæmonis aſtu authoritatem ſic conciliari hæreticis in præiudicium veritatis Catholicæ; vt ad illum eneruandum neceſſaria videretur miraculi alicuius effectio, poſſet à Deo poſtulari. Exemplum affert Bernatdus Luxemburgicus in Catalogo hęreticorum;

Poſſunt hæretici vrgeri vt miracula edant.

rum, litera G. mentionem faciens Guidonis de Lacha. Hic in Episcopatu Brixiensi tam peritè simulauit pietatem, vt pro altero Ioan. Baptista à populo coleretur, sepultusque fuerit perhonorificè. Post mortem verò certis indiciis deprehenderunt Inquisitores fidei fuisse hæreticum. Quare de consilio Episcopi, & Assessorum eius tulerunt sententiam, exhumandum cadauer & comburendum. Exhumatur astante populo, & in rogum ossa proiiciũtur. Sed ecce tibi statim Dæmones, qui tamen à nullis cernebantur, illa sursum attollunt & in aere suspensa tenent. Indè nata populi indignatio exclamantis; occidatur cum Monachis Episcopus, qui viri sancti liuore stimulati ossa eius tentarunt comburere, sed frustrà: ecce Deus id sibi non placuisse demõstrat. Perculsum metu Episcopum adhortati sunt Inquisitores, vt accingeret sese ad Missam faciendam, per quam potiùs miraculũ faceret Deus quàm fidei causam sineret in periculo versari. Missa fuit de B. Virgine: vbi autem ventum est ad eleuationem corporis Christi, Dæmones ex aere clamare cœperunt: *O Guido de Lacha hucusque defendimus te quantum potuimus; sed modò non possumus, quia maior nobis adest.* Reciderunt confestim in rogum ossa, & incendio in cineres redacta sunt. Interim quamuis iure nostro postulemus ab hæreticis miracula vera, si credi sibi volunt, adhuc tamen stat nobis ratum, non credere; quantumuis multa ederent: quia rectè adhuc præsumeremus non ea fieri

Guidonis de Lacha impostura, & punitio in cadauere.

fieri in confirmationem doctrinæ quam prædicant, aliàs pugnaret secum Deus, qui contrariam seu Catholicam per complura vetera confirmauit. Vel si fierent in eius confirmationem, falsa essent. Sicut falsus fuit Propheta; qui 3. Reg. 23. decepit priorem verum, dicens se ei similem, sibique Angelum Domini æquè fuisse loquutum. Tertia species illicitæ curiositatis indagatio est alienorum defectuum, errorúmque ab alio facta quàm à Iudice & inquisitore legitimo; arcanorum itẽ & negotiorum, idque non vt corrigatur proximus secundùm charitatis regulam, de qua Hebr. 10. *Considerate vos inuicem in prouocationẽ charitatis*; sed cum intentione despiciendi, detrahendi vel inde se oblectandi. Prou. 24. *Ne insidieris, & quæras impietatẽ in domo iusti.* Odiosissima sanè est hæc curiositas, qua ingerit se curiosus in res non suas cõtra proximorum volũtatem, & quod sibi nollet fieri, facit illis. Habet quilibet sat multa domi, in quibus occupetur: præposterus proindè est, quoties iis spretis conuertit sese ad extranea, vt Olus, de quo Martialis:

Indagatio alienorum defectuum.

Lib. 7. Epig. 10.

Illud dissimulas ad te quod pertinet, Ole:
Quodque magis cura conuenit esse tua.

Meritò quoque fit, vt in illum vicissim inquirant vniuersi, & sibi dici audiat:

Hor. l. 1. Sat. 3.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis;
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,

Quàm

Quàm aut Aquila, aut Serpens Epidaurius: at tibi
contra.
Euenit, inquirant vitia vt tua rursus &
illi.

Scelus est arrogare sibi ius officiumque Magistratus; hoc autem facit genus istud curiosorum hominum, imò plus audet quam Magistratui liceat. Si quidem non est huius; quomodocúnque scrutari & inuestigare delicta reorum, sed præsupposita infamia, vel denuntiatione facta à viris fide dignis. Quæ causa est, cur non debeat, nec iure possit reos, de occultis criminibus suis, aut de complicibus interrogare; nisi eiusmodi sint crimina, quæ nequiuerint sine sociis perpetrari. Curiosi autem dispositiones nullas tales expectant aut prærequirunt. Quid pœnitenti suo dixerit Confessarius, non verentur quandoque percontari, & exomologesim ipsam vel scriptã repertamq; legere, vel vocis factã auscultare. Magnum sacrilegium, magna temeritas, id scire velle quod nesciri Deus voluit. Ne pœnitenti quidem prodere licet quę à sacerdote cui confitetur, audiuit, vtilia quidem & iusta, sed tamen odiosa, v.g. quam pœnitentiam imposuerit, quid circą peccata vel circumstantias interrogauerit, quod consilium dederit, iustum & pœnitenti vtile; sed tertio non placiturum; quibus item defectibus deprehensus sit laborare, vt fit cùm austerus esse dicitur, scrupulosus, &c. Hæc namque & similia prodita odiosum ipsum & Confessionem reddunt. *Confessionis sigillũ quàm arcanum.*

Secus

Secus esset, si pia doctrina, efficax remedium, piumue consilium cuiuis vtile ab eo auditum, & id genus alia nescientibus dicerentur. Adhæc, quid domi vicinus agat, quidue dicat, expiscantur ab offensis seruis & ancillis, ab irata vxore & filiis. Eiusdem ingressi domum oculis lustrant omnia, ne membranis quidem parcunt, & epistolis. Quid si etiam sigillatas reserant? Hoc certè interdum facere non erubescunt, atque ita grauiter peccant contra iustitiam, vt docet S. Thóm. 2. 2. q. 59. a. 4. & violant ius gentium, cùm sit violare legatos. Epistolæ siquidem muti quidam legati sunt, & nuntii, interpretantes nobis sensa absentium. Sermocinantur de rebus eius atque consiliis, eáque pro affectu suo probant, vel reprobant, cúmque causas non intelligant, illius velut imprudentis hominis existimationem inter se lacerant. Quantò meliùs facerent, si imitandi studio ad virtutes eius respicerent exemplo Cæsaris, qui apud Gades visa Alexandri imagine; prætermissa ebrietate, iracundia, & vitiis aliis quibus fuerat deditus, ad heroica eius facta cogitationem direxit, & indignatus sibi est, quod qua ætate ille orbem domuisset, nihil adhuc ipse egregium gessisset, continuóque missionem ad captandas magnarum rerum occasiones efflagitauit, vt scribit Suet. l. 1. Certè colligere alienæ lapsus vitæ posthabitis virtutibus, nihil est aliud quàm spreto auro & gemmis pretiosis, odorari & colligere festucas ac stercora, & quidem in domo aliena; vel ex scriptis

Epistolæ muti sunt nuncij.

Plut. in Cæsare.

Cæsar visa Alexandri statua accenditur ad egregia facinora.

scriptis alienis solœcismos ac barbarismos sententiis elegantibus prætermissis. Infamis est canis quilibet atque impudens, quia olfacit alterius nates; nihil minus faciunt hi curiosi errata scire volentes aliorum, indéque plaudentes. Odiosi Telonarij sunt, quia explorant alienas merces seu sarcinas; & tamen licitè hoc faciunt, damnóque afficiuntur ni fecerint; quantò odiosiores hi percontatores alienorum criminum vel negotiorum? Arguerentur Medici quasi ridiculi, nimisque curiosi, qui sciscitarentur, num quis vlcus haberet in pudendis partibus; & tamen bono fine id facerent, vt mederentur. Curiosus autem nullo bono fine de sordibus & rebus non suis interrogat. Quarta est eorum, qui in rebus Philosophicis nouas excogitant & inducunt sententias; quod licet non sit valdè perniciosum, cùm materia non sit de fide, & mundum tradiderit Deus disputationi hominum, Eccles. 3. & humana ratio perplexa sit ac multiplex: non caret tamen omni periculo, quia qui valdè exotica introducunt, suspicionem ingenerant, quod sapere velint præ antiquis omnibus, abrogant sibi authoritatem in grauioribus, & iusto Dei iudicio confingentur à recentioribus aliis, sicut confixerunt ipsi præcedentes.

Telonarij odiosi, & cur.

Sententiæ noua in Philosophicis.

Vltima restat species vitiosæ curiositatis, cùm interrogantur bona, sed fine pessimo, non vt imitentur, & indè proficiant qui quærunt, sed ansam arripiant nocendi ei qui quod

Interrogatio captiosa.

vtile est, verum, sanctumque respondet. In hac serie fuit Caiphas, qui cùm eiusmodi quæstionem Christo proposuisset, Matth. 26. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*, & respondentem audiuisset: *Tu dixisti*, id est, *ego sum*, vt disertè habet Marc. c. 14. confestim intulit: *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? audistis blasphemiam, quid vobis videtur?* Fuerunt & illi, de quibus S. Basil. l. de Spiritu sancto c. 1. *Explorantium & percontantium nos nunc magna copia est; ad animam discendi cupidam, & ad ignorantiæ medelam veritatem inquirentem difficillimum est nancisci.* Et infrà: *Complurium interrogationes occultam & arte compositam orationem habent, qui proponunt quæstiones, non vt aliquid vtilitatis ex ipsis capiant; sed vt si non conuenientes suæ cupiditati responsiones inueniant, hanc iustam belli causam habere videantur.* Sic interrogatus fuit idem Christus, Matth. 22. *Licet censum dare Cæsari, an non?* Huc pertinent, qui sacros Codices & Sanctorum scripta Patrum curiosissimè rimantur & euoluunt, vt aliquid inueniant, vndè quos præsumpserunt errores, constabiliant, vel pios illos Patres de Ecclesia vniuersa optimè meritos errasse, superstitionem coluisse, fide indignos esse demonstrent. Tolerari vtcúmque maligna hæc censura posset circa profanos authores, alioqui claros; de quibus Quintil. *Neque id legenti statim persuasum sit, omnia quæ magni authores dixerunt, vbique esse perfecta: nam & labuntur aliquando & oneri cedunt & indulgent ingeniorum suo*

Curiosa S. Scripturæ & patrum lectio.

Quint. l. 10 cap. 1.

suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Cùm Cicerone dormitare interdum Demosthenes, Horatio verò etiam Homerus ipse videtur. Summi enim sunt, homines tamen. Quanquàm prohibeat, ne facilè damnentur quæ dicunt, sed in dubio potius probentur. Vndè addit: *Modestè tamen & circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne quod plerisque accidit, damnent quæ non intelligunt: Ac si necesse est in alterutram errare partem, omnia eorum legentibus, placere, quàm multa displicere maluerim.* In Sanctis autem perstringẽdis non datur venia, maximè si omnes, vel quamplurimi in eandem conspirent sententiam, quia nec Quintilianus illum excusasset qui reprobasset aliquid dictum scriptumue ab omnibus vel pluribus classicis authoribus.

Sancti auctores non perstringẽdi.

De directione Modestiæ.

CAPVT XI.

§. 1. *Modestia quid hoc loco significet.*
2. *Quid obseruari Prudentia velit, circa exteriores motus corporis.*
3. *Quid circa eiusdem ornatum, ne in vitium degeneret.*

§. 1. MOdestiæ vox æquiuoca est, patetque latissimè. Nunc humilitatem significat reprimẽtẽ hominẽ, ne plus æquo in

Modestia multa acceptiones.

magna tendat, vt post Aristot. 4. Eth. 3. trad. S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 4. nunc veritatem, qua se talem quis exhibet in verbis & factis, qualis est interius. Aliquando moderationem in iocis & ludis, & tunc pars quædam est affabilitatis. Aliàs denique moderationem externorum corporis motuum ; & ornatus eiusdem.
Et quia hoc loco.
Quo sensu à nobis hoc loco accipitur ; vt ab eodem D. Th. 2. 2. q. 120. a. 2. Quod autem vtrobique, id est, tam in motibus corporis, quàm in ornatu illo vitium esse possit virtute corrigendum, ex sancto constat Ambrosio, qui de gestibus exterioribus ita loquitur : *Sicut molliculum & fractum aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo ; ita nec agrestem ac rusticum.* De ornatu verò corporis addit : *Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expetitus, non preciosis & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus, vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.* Hanc virtutem quàm serio commendet Apostolus illa eius verba testantur : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.* Simulque ob oculos ponunt artem methodumque præsentissimam eiusdem tibi comparandæ, Dei cogitationem nihil non percipientis. Cui saluberrimæ præscriptioni consentit illa Senecæ l. 1. epist. 10. *Sic viue cum hominibus, tanquàm Deus videat ; sic loquere cum hominibus, tanquàm Deus audiat.*

S. Ambr. l. 1. offic. c. 19

Phil. 4.

§. 2. Exteriores motus seu gestus indicia esse interioris dispositionis, ex eaque velut

ex radice promanare declarat Codex sacer Eccles. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Idem tradit S. Ambros. supra c. 18. *Ex actibus exterioribus, homo cordis nostri absconditus aut leuior, aut iactantior, aut turbidior, aut grauior & purior, & maturior æstimatur.* Et de Poëtis vnus scriptum reliquit:

Claudatibi mens est vt pes, naturaque notas
Exterior certas interioris habet.

Isidorus Hispalensis Episcopus Mahumetum conspicatus in Hispania mox ratiocinatus est ex eius moribus hominem fore pestilentissimum, iussitque vt comprehenderetur; sed ille à Dæmone præmonitus fuga sibi consuluit. Theodosius item Patriarcha Constantinopolitanus videns Andronicum Comnenum Imperatorem, de quo multa mala audiuerat, intellexit ex quibusdam eius moribus vera esse, quæ de illo fama sparserat; vnde ab eo visitatus ænigmaticè protulit illud Psalm. 47. *Sic audiuimus, sic vidimus.* Et tamen tunc Andronicus ad eius pedes sese aduoluerat, & dare magna studebat humilitatis specimina, sed simulatè vt ab eo confirmaretur. Sanctus item Gregorius Nazianz. De Iuliano, inquit; *nihil boni mihi ominari videbantur ceruix non stata, humeri subsultantes & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, pedes instabiles, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula; risus petulantes & effrenati;*

Mahumetus ex moribus dignoscitur. S. Antoni. Tit. 13. c. 2. §. 6.

Andronicus item Comnenus.

S. Gregor. Naz. orat. 1. in Iulia. *Iuliani delineatio.*

nutus & renutus temerarij. Quæ cùm ita ſint, patet ad eiuſmodi exteriores geſtus motúſque corporis componendos ſecundùm rectam rationem referre plurimum, ſi animi affectus, & paſſiones appetitus rectum modum teneant. Non tamen id ſufficit; ſed varia inſuper prudentiæ præſcripta oportet accedere. Quorum primum ac præcipuum appello vt perſonæ, eiuſque conditioni exterior habitudo quadret ac conſentiat. *Hoc eſt, pulchritudinem viuendi tenere*, ait S. Ambroſ. loco citato, *conuenientia cuique ſexui & perſonæ reddere*.

Senes qui geſtus deceant.

Senes & in dignitate conſtitutos decet ſermo geſtuſque grauis, & lentus mágis quàm præceps; qui contrà rideretur in pueris & præcox diceretur. In cauſa tamen interdum eſſe poteſt neceſſitas, cur inuerti res debeat, & in illo vituperetur lentitudo; vt ſi remiſſus eſſet increpando perditiſſimum filium, aut proripiendo ſe ex incendio: in iſto laudetur, vt ſi per locum incedat lubricum, vel blæſus vitare ſtudeat linguæ præcipitium; vel à præceptore interrogatus lentè reſpondeat, vt ea ratione meliùs quid loquatur, conſideret, ſitque in reſponſione ſua cautior.

2. *Mediocritas Concionatores.*

Valde quoque Concionatores & diſputantes decet mediocritas. Induunt quidam dum è ſuperiore loco ad Chriſtianam plebem verba faciunt, ſpeciem nec grauem ſatis, nec argumento locoque conuenientem, ſeu compoſitio ſpectetur corporis, ſeu formatio vocis. Languent plus æquo alij parum habentes viuæ vocis aut vi-

rilis

rilis pectoris vrgentis virtutem, dissuadentis vitia, inculcantis Dei timorem, detestantis mundi vanitatem, repræsentantis horrenda inferorum supplicia; peccatum denique per quod in illa ruitur, acriter insectantis. Perfectus quoad hoc Ecclesiastes eris, si medium tenueris. Disputatoribus idem dictum esto, ex quibus interdum aliqui modestiam non satis colunt, nimis sese exagitant, in clamores erumpunt, iusto maiores. Atque vtinam nunquam in verba incomposita, vt apud Cassianum Collat. 7. cap. 27. Moysi Monacho aliàs viro optimo contigit, paulò acriùs disputanti cum Machario Abbate sanctissimo: mox pœnas luit prolati verbi durioris; corripuit illum malus Spiritus., & stercore infecit os eius; sed Macharij precibus actutum depulsus est. Verum est; friget disputatio si omni feruore careat: sed aliud est feruori, aliud clamori locum dare: aliud magnam decori habere rationem; aliud exiguam aut nullam; aliud vociferando offundere aduersario tenebras; aliud incitatione moderata illius excitare industriam, vt verum videat vel inueniat; hoc est, vt veritati suus sit locus, non vt qui loquitur, vicisse videatur. His accedit pernicies corporis; de qua Plut. *A nimis commotis vociferationibus, & iurgiosis clamoribus est temperandum, siquidem inæquales illæ Spiritus intensiones, & impetus rupturas & spasmos solent inducere.* Quæ etiam causa est; cur expediat infantes fortissimè vagientes

Disputatores.

Plut. de tuend. val.

3. citò placare, ne herniosi fiant. Sedens ne pedes agitaueris, nec histrionis more vel gladiatoris manus. Sunt qui sedendo decussatas habere tibias, vnamque alteri superponere vitio vertunt: Nihil saltem dubium, quin præstet ab eo gestu abstinere. Certior vitiositas est eorum, qui fortiter figunt pedem incedendo, vel tibias ad latus proiiciunt, vel adeò amplos passus instituunt, vt iugerum mensores esse videantur. Olent hæc omnia aliquid molestum aduertentibus, præsertim non assuefactis. Habet & reprehensionem suam inniti in mensa cubitis, digitos lingere, in offam mittere, sorde vel adipe infectos ad vestem repurgare, pectore in mensam nimis incumbere, nimis demittere caput, cultelli cuspide dentes scalpere, cultellum agitare, manica os vel nares tergere, lentè nimis aut festinanter bibere, vtraque bucca cibum mandere, flatu offam frigefacere. Ad immodestiam prætereà inurbanitatemque spectat intecto ore oscitare, ita vt quidam sic os diducens coram Magistratu aditurus pœnam fuerit non vulgarem, inquit Gellius lib. 4. cap. 20. nisi protinus confugisset ad excusationem plausibilem, dicens laborare se defectu isto naturali. Item altissimè sternutare, cachinnari, & risu vti, qui continuò ferè vocalis sit, vt ha ha ha. *Non est ferendum*, inquit Plato lib. 3. de Republica, *vt quis summæ authoritatis viros in risum solutos inducat, & multò minùs Deos.* Item ridere solitariè, vel leuissima de causa. Vicissim

Sedentis gestus.

4. *Ambulātis.*

5. *In mensa.*

6. *Oscitans.*

Risus.

Viciſſim tamen nec ſemper, nec omninò à riſu abſtinendum, more Craſſi illius, qui quòd nunquam ridere viſus ſit, dictus eſt ἀγέλαστος, id eſt, *irriſibilis*. Scio ſcriptum à Quintiliano libr.6. cap.3. *Riſus non procul abeſt a deriſu*; abeſt tamen, & ſæpè laudabilis eſt, vtilis, & neceſſarius. Laudabilis, ſi moderatus & tempori congruens; nam cùm naturale indicium ſit gaudentis animi, de rebus nō ridiculis ſolùm, ſed etiam iucundis; hoc autem gaudium rationi conforme poſſit eſſe, & pertinere ad virtutem, vtique idem de riſu poteſt eſſe iudicium. Nec obſtat, quòd Chriſtus nunquam riſum admiſiſſe legatur in hiſtoria Euangelica, quia non omnia ſcripta ſunt, nec eſt ſtatim conſequens, Chriſtus hoc non fecit: ergo reprobauit. Sancta erat Sara vxor Abrahæ, ait tamen Gen.21. nato Iſaac: *Riſum fecit mihi Dominus; quicumque audierit, corridebit mihi:* quod de vero riſu accipi, quid vetet, non video. Idem riſus moderatus vtilis eſt, quia calorem naturalem ſuauiſſimè excitat, & diffundit per corpus vniuerſum, quod multum profectò conducit ad valetudinem, ſicut contrà immoderatus ſuccutiens corpus; & ob id συγκρέων à Græcis dictus, non parum eidem aduerſatur. Eſt denique neceſſarius ad humanam conuerſationem, quæ nimiam auerſatur tetricitatem. Nec id negat S. Baſilius, proferri in primis ſolitus ad diſſuadendum riſum; tantum enim effuſum reprobat. Verba eius ſunt: *Vſque ad hilarem riſum animæ lætitiam detegere non indeco-*

Laudabilis.

Chriſtus an riſerit.

S. Baſil. in q. diff. expl. q.17.

rum est, vt indicetur solùm id quod scriptum est: Cordis læti facies floret. Verùm cachinnari voce & ebullire corpore, non est eius qui animam sedatam habet, neque eius qui suiipsius potens est. Confirmat hunc sermonem Salomon, dum ait: Stultus in risu exaltat vocem suam; vir autem Sapiens vix quietè ridebit. Sed & necessarius quandoque est ad placandos eos, quos offendimus; quod fit non incommodè, quando coram illis errorem nostrum ridemus, & agnoscimus. Documento sunt Iuuenes illi Tarentini, qui multa de Pyrrho Rege securiùs inter cœnam locuti, cùm rationem facti reposcerentur, & neque negari res, neque defendi posset, risu sunt & opportuno ioco elapsi. Namque ex iis vnus ad Regem dixit: *Imò nisi lagena defecisset occidissemus te*, qua vrbanitate tota est inuida criminis dissoluta.

Plut. in Pyrrho.

His minimè consentaneis gestibus & motibus corporis addo; sub angulo acuto aliquem intueri, oculos & caput leniter circumagere, vnico genu antè Deum procidere, canis portendere linguam, defectus alienos, vt claudicationem per derisum imitari, libidinosos repræsentare motus, incessu denique vti incomposito; quem quantoperè in clericis auersatus sit S. Ambrosius declarat his verbis: *Meministis quendam amicum, cùm sedulis se commendaret officiis; hoc solo à me tamen in Clerum nō receptum, quòd gestus eius plurimum dedeceret: Alterum quoque cùm in Clero reperissem, iussisse me ne vnquam*

Incessus incompositus. S. Ambr. l. 1. offic. c. 18.

quam praeiret mihi; quia quodam velut insolentiæ incessus verbere oculos feriebat meos.

§.3. Videamus tamen, quæ partes sint modestiæ circa ornatum corporis. Ante omnia, vir extra necessitatem non nisi virili veste vtatur; mulier vicissim non alia quàm muliebri; abominabilis siquidem apud Deum est vestium peruersitas, earum scilicet quæ sexus vnius propriæ sunt ad alium translatio, per quam impeditur distinctio sexuum exterior, & fraudibus multis porta aperitur. Dixi extra necessitatem; quia necessitas consulendi vitæ propriæ, vel rei, quæ vitæ comparatur, legem non habet: sed sæpè licitum facit, quod aliàs esset illicitum. Notatu dignum est, ad rem præsentem valdè accommodatum, quod in vita S. Magistriani martyris legimus. Virgo quædam piissima nolens prostituere se ditissimo Iudici ipsam depereunti, exposita est lupanari; quò cum venissent Iuuenes multi libidinosi, rogauit omnes, aliquot vt dies expectarent, quousque à contagioso quodam vlcere sanaretur. Quo toto tépore dedit se precibus, & ecce suscitauit Deus formosissimum, sed simul castissimum adolescentem Magistrianum, qui petiuit à custode lupanaris, sibi vt liceret intrare ad eam. Quo impetrato Virgini dixit: accipe vestes meas, & egredere contecto vultu parte chlamydis. Sic egressa est impolluta. Die verò sequenti, renuntiatum Iudici est quod acciderat, Iussit

Deut. 22.

Vestium peruersitas abominabilis.

Magistrianus obseruatam virginẽ expositus bestiis.

iussitque ille Magistrianum exponi bestiis, ità laurean consecutus martyrij fecit viuendi finem. Succingantur secundò vestes, nec diffluăt

2\. *Vestes decẽter aptandæ & quæ circa eas, seruanda.* vel inordinatè componantur; vitio sanè tribuit Ario hæresiarchæ Eusebius, quòd humerum non vtrumque, sed vnicum pallio tegeret. Attendatur tertiò ad ætatem, & conditionem; quippè vnam certus decet habitus, alius aliam. Simul autem spectandus mos patrius, de cuius diuersitate scribit S. August. *Talares & manicatas tunicas habere apud veteres Romanos flagitium erat. Et apud Virgilium in Troianis hæc & similia Turnus vituperat:*

Lib. 3. de doct. Chr. c. 12.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mithræ.

Lib. 9. Æneid.

Nunc autem honesto loco natis non eas habere flagitium est. Et lib. 3. Conf. c. 8. *Quæ contra mores hominum sunt, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullius ciuis aut peregrini libidine violetur.* Nec mirum sanè, cùm vna ex parte hac vel illa vti veste res sit ex se indifferens: ex altera autem præsumendum sit, non defuisse toti populo & rectoribus eius rationem sufficientem, ob quam præstare censuerint vna potiùs vti, quàm altera. Caueat autem quilibet nouam excogitare vel introducere, vel vsurpatum eousque ornatum amplificare. Nam vt scribit idem sanctus Doctor ibidem: *In vsu rerum abesse oportet libidinem, quæ non solùm*

3\. *Noua non excogitãda.*

solùm ipsa eorum inter quos viuit consuetudine nequiter abutitur; sed etiam sæpe fines eius egressa fœditatem suam, quæ inter claustra morum solennium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat. Nec moror, quod ait CHRISTVS Mat. 23. *Implete mensuram Patrum vestrorum*: quia hæc phrasi verè non imperat augeri nequitiam, sed quod futurum est, prænuntiat, aut permissurum se significat, quo sensu scribit Vig. 4. Æneid.

I, sequere Italiam ventis.

Adeò nihil addebant instituto veteri prisci Gentiles, vt pompam sumptusque magnos in iis etiam reprobarent, velut indecentes, qui præ cæteris digni videbantur; ita vt Quintilianus serica veste indui noluerit Oratorem: *Ne crassa toga sit*, inquit, *non serica*. Et cùm Lysandri filiabus inter Lacedæmonios viri spectatissimi, vestes, muliebremque mundum preciosum misisset tyrannus Siculus, ea Lysander admittere noluit; quia *hoc ornamentum*, inquit, *dehonestabit potiùs filias meas, quàm ornabit*. Cuiusque Reipublicæ lex est probè constitutæ, vt ornatu quisque vtatur magis minusve splendido, pro ratione status, quò etiã extrinsecus discerni possint alij ab aliis, nec desit inter gradum vestisque genus proportio. Peccat proinde cõtra modestiæ regulas qua de agimus, qui ornatum æmulatur, & sibi quærit statu suo superiorem; vt rusticus, qui vestitu incedit ritu mercatorum; mercator, qui nobilium; nobilis simplex, qui Baronum vel Comitum. *Profectò si indebito*

Quint. l. 12. c. 10.

Plut. in Apoph.

Statui suo conueniens debet esse ornatus vestium.

indebito vti non esset peccatum, verba reddo S. Gregorij Homil. 40. in Euang. *Nequaquam verbum Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues qui torquebatur apud inferos, induebatur bysso, & purpura.* Dictat quoque ratio, nihil opus esse corpus, id est, saccum plenum sordibus, valdè elaboratè vestire, ac colere; quin etiam erubescendum sub externo cultu celare vnà cum turpi carne mentem adhuc fœdiorem, qualem suam credet esse, quisquis vera fuerit humilitate prædirus. *Ego fœdus & inhonestus*, de se nondum ad fidem conuerso ita loquebatur S. Augustinus, *gestiebam esse Vrbanus & elegans.* Deindè ad quid aliud collimant, qui ita se adornant, nisi vel ad vanam gloriam, vel ad molliciem aspera quæque refugientem, quam in se deflebat S. Paula cùm diceret: *Turpanda facies, quam sæpè stibio, cerussa, & purpurisso depinxi, mollia linteamina cum cilicio commutanda, affligendum corpus quod sæpè vacauit deliciis?* Aggrauatur vtraque vanitas magnitudine sumptuum, & iactura temporis. Quid non expendunt tam viri quàm fœminæ cultui deditæ, fœminæ præsertim, & propter illas viri nimis faciles? Quot debitores defraudant debita pecunia, quibus satisfacere mox possent colentes parsimoniam? quanta item summa pecuniæ Rempublicam suam exinaniunt? Gemmæ enim, vniones, suffitus, & alia cùm apud exteros tantùm nascantur, magno pretio redimenda sunt: quo fit vt illis mulierum deliciis ditiones principũ nummis aliorsum asporratis, exhauriantur.

Li.3. Conf. cap.1.

S.Hier.in Epitaph.

Damna ob luxum vestium.

tiantur. Quoties diuinis officiis ideò non intersunt, quòd sibi non videantur satis elegantes? Quot terunt hóras preciosas, vt seipsas comant, & ad speculum næuos omnes examinent? Quàm multas se meliores partim confundunt cultu illo nouo aut nimio, & aspernari discunt, partim ad iustam indignationem prouocant? Quot personas illiciunt ad sui cōcupiscentiam? Quomodo non verentur, ne vel meretrices, vel affines meretricibus iudicentur, quarum ornamenta & habitus tanto studio consectantur? (*Neque enim vllarum ferè preciosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.*) S.Cypr. lib. 1. de Virg. Vndè, Prouerb. 7. legimus: *Ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.* Vel ab omnibus qui vident, rideantur tāquam superfluæ, & ingratæ, si non eis sufficiat venustas formaque naturalis, aut quasi frustrà nitentes, si pulchræ non sint, defectu debitæ proportionis membrorum, colorisue vegeti? Nihil dubium, quin deformes ornando se, hoc ipso magis ostentent deformitatem suam, collocantes iuxtà se contraria, & indicantes deesse sibi formam, quam supplere ornatu student. Sic Apelles non sine risu cuidam dixit: *Cum non posses pingere pulchram Venerem, pinxisti diuitem.* Sed & profanæ tandem habentur, irreligiosæ, impiæ, reipsaque euadunt, cùm nemo possit ornatui simul mentis & corporis satis intendere, & vnius studium alterius sit fastidium, sic

nause

nauseam super manna cibum suauissimum passi sunt filij Israel appetentes olera, Exod.16. Cauendum vicissim ab extremo altero. Quosdam videas in feruore peregrinantes, vt loquitur B. Petrus, interdictum velle cultum omnem fœminis, & in eum quamuis vulgarem velut in peccatum mortale debacchari. Summum ius summa est iniuria, vt iam semel admonui; nec deest periculum, ne in rebus fidei & grauioribus aliis fidem sibi abrogent, qui in minutioribus ita errant; vt contra tot aliorum iudicia omninò illicita credant esse, quæ non sunt. Ne rursus ansam præbeant fœminis non curandi grauiora. Hoc enim sexus ille habet, cùm iusta sibi negari videt, insanit, & velut iniuriam vindicans pertinaciter renuit iustis verisque aliis, si postea proponantur, acquiescere. Omnem earum ornatum illicitum dicere; apertè est tam Scripturæ, quàm etiam naturæ repugnare. Illi quidem, quia principes duo Apostolorum commendant, conceduntque aliquem. Reddam vtriusque verba: *Sic aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subiectæ viris suis.* *Et similiter, mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se.* Huic verò, quia natura fœminam condens imbecillam, & viro longè inferiorem, pronam simul fecit ad ornatum conquirendum, quo ei placeret, placendóque haberet in necessitatibus suis adiutorem, nec despiceretur. Est prætereà damnare Iuditham fœminam sanctissimam, quæ bono fine ad ornatum confugit planè magnificum. *Lauit*

corpus

1.Pet.4.

Non omnis illicitus ornatus.

1.Pet.3.
1.Tim 2.

corpus suum, vnxit se myro optimo, discriminauit crinem capitis sui, mithram super illud imposuit, induit se vestimentis iucunditatis suæ, pedibus dedit sandalia: assumpsit dextrariola, lilia, inaures, annulos, & omnibus ornamẽtis ornauit se, vt incomparabili decore omnium oculis appareret; & cum illa vxores & filias omnes Regum ac Principum, quibus nihil comptius, & sponsas omnes ad templum nubendi causa procedentes. Est damnare atque arguere vniuersam Rempub. non abolentem nec interdicentem cultum omnem muliebrem. Est inscitiæ accusare, quotquot sunt, Confessarios, qui in Pœnitentibus suis honestum tolerant ac laudant. Temperetur itaque zelus istiusmodi, nec prætextus expungendi vanitatem, dicamus falsitatem. Inuehamur, & grauiter quidem in ornatus nouos, meretricios, conditione personæ notabiliter superiores, vbi nulla subest necessitas assumendi eos. Reprobetur intentio ornandi se ad vanam gloriam aucupandam, vel ad pelliciendos intuentes in libidinem. Neutro fine vel tantillum ornare se licet, peccátque mortaliter quisquis id facit causa luxuriæ. Extra hos casus meminerimus verborum S. Augustini (quæ iam supra adduximus cap. 1. §. 6. de hoc argumento obiter differentes) *Nolo vt de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque coniugati sunt, neque coniugari cupientes cogitare debent quomodò placeant Deo.* Ornatum vestitúmque hone- S. August. epist. 73. *Ornatus, ac*

vestitus honestus quis. honestum interpretemur, quo illius loci honesti viri, & fœminæ vti consueuerunt. In leui excessu ne sitam dicamus culpam lethalem; nam, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 169. a. 1. & 2. in eiusmodi materiis paruitas ab eiusmodi culpa semper excusat. Imò non omnem excessum pronuntiemus semper esse peccatũ. *In iuuencula & muliere quando excusetur excessus.* Nam in Iuuencula ægrè virum sortitura, nisi aliquantulum supra conditionem suam sese adornet, culpabilis non est excessus moderatus; vtpotè illi quidem negatus à conditione, sed à necessitate concessus, vt tradit idem ibid. Sed neque mulier, quæ à viro cogitur sub graui pœna in cultu excedere sit rea, cùm iugre suo ad talem pœnam à se auertendam vtatur ex se indifferente. Mariti culpa est quæcumque est. Sed neque peccat in ornatu excedens, quando id facit, vt viro suo ad adulteria prono perplaceat, totúmque possideat. Ne denique subscribamus ita ratiocinantibus: Quò meliùs expungamus vanitatem omnem muliebrem, non dicamus quidem excessum leuem in ornatu cum mortali culpa coniunctum; sed vicissim non dicamus cum veniali, quia cùm venialem tantum fœminæ audiunt, parum curant, abstinebimus ergo ab hac distinctione, & excessum etiam modicum delictum ingens vocabimus, vt sic terreantur conscientiæ. Quid enim aliud est ingens delictum dicere, quàm mortale appellare? Si vtendum non est distinctionibus

In

in materia peccatorum, incautus ergo fuit Christus iis vtens, & dicens: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehenna ignis.* Neque enim alius delinquit lethaliter, nisi qui gehennæ huic obnoxium se facit. Incautus Iacobus Apostolus, sic quoque distinguens cap. 1. *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum; peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Incautus S. Thomas,& omnes tam Scholastici,quàm morales Theologi, qui distinctiones eiusmodi sexcentas ex instituto tradunt. Qui de prolata eàrum aliqua blandiri sibi volent,& abuti, peccabunt ad summum venialiter; si non proferatur,peccabunt sæpissimè mortaliter ex conscientia erronea credentes mortale esse, cùm non sit, illudque perpetrantes. Cùm ergo tolerabiliora sine dubio sint mille peccata venialia, quàm vnum mortale; sequitur absolutè loquendo præstare distinctiones eiusmodi suo tempore, & loco afferre, quàm non afferre.

Matth 5. *Distinctio recipienda in peccatis.*

Per defectum quoque ornatus peccari posse contra modestiam, notat S. Thomas supra, v. g. si non studeat homo vti ornatu exteriori, quando & quantum præscribit recta ratio, vt si ad sacram Synaxim, ad virum Principem, ad nuptiale conuiuium pannosus accedat aut sordidus, valens nitidas & elegantiores vestes induere.

Per defectū quando peccetur in ornatu.

Si clericus non vtatur vestitu decenti; vt iura præscribunt, si vocatus ad magistratum togatus non incedat vel palliatus, idque magis vel minus magnificè pro ratione gradus. Si operando sacris non honestè induatur; imò si potest preciosè in festis augustioribus, cùm id conducat ad Dei cultum, & mysterij quod celebratur, maiestatem. Si præ negligentia vestem non attollat, sed per terram trahat, vt obseruat Aristoteles l.7.Eth.c.7. Si authore eadem vana gloria cultum omnem abiiciat, vt à superbia procul esse videatur.

DE VERA

PERFECTAQVE PRVDENTIA;

LIBER QVARTVS.

Circa commutatiuam Iustitiam quid attendi velit Prudentia.

CAPVT I.

§. 1. *Commutatiuæ iustitiæ natura declaratur.*
2. *Regulæ quædam generales circa contractus.*
3. *Circa promissionem.*
4. *Circa emptionem & venditionem.*
5. *Circa opera locationem & conductionem.*
6. *Circa mutuum.*
7. *Circa cambium.*
8. *Circa restitutionem.*

(3–8: *Regulæ speciales.*)

§. 1. DIXIMVS lib. 1. de Prudentia Virtutes dirigente, quæ pro obiecto Deum habent & respiciunt; hoc est,

fidem, spem, charitatem, & his affines, Religionem, pietatem, obseruantiam. Libro secundo de eadem vt illas dirigit, quæ necessariæ sunt partim Superioribus in ordine ad Subditos; partim Subditis in ordine ad suos præpositos. In tertio eam considerauimus, vt illarum directricem; quæ spectant ad propriá vniuscuiusque perfectionem. Restat itaque, vt de ea iam disseramus, quatenus præscripta dat in virtutum materia rectè nos afficientiũ erga proximos & æquales, ac primum in materia commutatiuæ Iustitiæ, cuius vt vox ipsa indicat, munus est inclinare voluntatem ad retribuendum æquiualens ei quod acceperis, vel quod tui gratia factum est ab eo, cui te obligasti; quod addo, quia si te non obligaueris, nihil ei debetur ex iustitia, sed honestate & gratitudine.

§. 2. Cùm audis, per easdem causas dissolui rem omnem per quas ligatur, vt ait regula iuris. ff. ideóque contractus iam celebratos dirimi posse consensu mutuo cõtrahentium, si quo prius coaluerunt & firmati sunt. Et similiter posse vnum à contractu recedere, si præstare nolit alter, quod suarum est partium, semper excipe contractum matrimonij legitimè initi per verba de præsenti, quia talem dissolui cauet Christus, seuerè pronuntians: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, maximè si præter eiusmodi verba & consensum reciprocum per se significatũ, copula carnalis interuenerit. Haud dubiè de hac minimũ coniunctione

Matrimonij contractus non potest dissolui.

Matth. 19.

ctione verba iſta debent intelligi. Caue inquã propter graue damnum, quod in cõmunem prolẽ redundaret, ſi nõ eſſet matrimoniũ indiſſolubile. Nec refert quod quibuſdam coniugibus nulla ſit proles, ſufficit ad illam ſuſcipiendã inſtitutum ordinatúmque eſſe matrimonium. Nam ſimiliter cuſtodes vrbium agere tenentur excubias, circumſpicere, à ſpeculis ſuis non recedere, quamuis à multo tempore hoſtis nullus acceſſerit, aut fortè nunquam, nec acceſſurus videatur. Sed neque obſtat quod ſcriptum eſt ibidẽ. *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem*, &c. quibus verbis indicare videtur Chriſtus licere matrimoniũ abrumpere cũ vxore contractum quæ deprehenſa eſt adulteraſſe: de dimiſſione loquitur quoad thorum tantum, quia iuſtum eſt, vt quæ adiuit alienum, maritali nõ gaudeat, & per quæ peccauit, puniatur; non autẽ de dimiſſione quoad vinculũ, ita vt non amplius ſit illi obſtrictus & alligatus, nec illa viciſſim, ſed poſſit vterque velut ſolutus nouũ ſibi coniugẽ quærere. Nã ſi ita eſſet, quomodo ſtatim adieciſſet Dominus, *& aliã duxerit mœchatur, & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Neque enim mœchus ſiue adulter dicendus eſt, qui ſolutus ſolutã ducit. Quomodo item ſcriberet Apoſt. 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt legi, quanto tẽpore vir eius viuit; quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege, cui vult nubat*, & Rom. 7. *Igitur viuente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro.* Vocari certè non deberet,

in casu,quo ob fornicationem à viro derelicta, habitaret, essetque cum alio, si fornicatio vim haberet dissoluendi matrimonium prius quoad vinculum. Sponsaliorum de futuro alia est ratio : dissolui possunt consensu mutuo, c. prætereà. 1. de Sponsal. ratio est: quia coniunctio quam inducunt, imperfectissima est; nō continet actualē, mutuámque traditionem corporum,virum & vxorem non denominat; sed Sponsum & Sponsam; Christus autem in cap. illo 19. Matth. de separatione sola viri & vxoris loquitur: fieri tamen potest, vt in quibusdam diœcesibus nō finantur dissolui sine authoritate Ecclesiastici Iudicis; non quod ea requiratur ex natura rei; sed vt certò cōstet de consensu mutuo in dissolutionem. Secundò, obligatio contractus intelligenda est iuxta morem patrium, cui conformare se solet intentio contrahentium. Exemplum, variis in locis lex, vel mos obtinuit, vt contrahentes contractum scribi velint, ac iubeant, nec is obliget ante scriptionem; haud dubiè non tibi licebit ibi versanti contrahentique proximum tuum obligare ad standum ei, quandiu scriptus non erit, vt docet Barth. l. nemo est. ff. de duobus reis. Tertiò, si vim cupis inesse contractui, nunquam eum decipias circa rei substantiam,quocum negotiaris; id si feceris, irritus contractus erit, nec obligabit. v. g. Rusticus gemmam quam habet, vitrum putat esse coloratum, vendítque illam tibi pro vitro vilissimo

Sponsalia cur dissolui possint.

mo precio. Si ſcias verè eſſe gemmam, circumuenis illum circa rei ſubſtantiam, & teneris ipſam ei reddere, aut de iuſto pretio cũ eo conuenire. Sicut viciſſim ſi ſciens vitrum eſſe, illud tibi pro gemma venderet arbitranti bona fide eſſe gemmam, non teneret venditio, ſed indicare tibi deberet ipſe vitrum, non gemmam eſſe, & vel precium totum refundere; vel id ſaltem, in quo te læſiſſet; vt docet S. Th. 2.2.q.77.a. 2. & ratio eſt, quia ſtare nequit obligatio ſine conſenſu; hic autem conſenſus ſiue intentio non interuenit; quia in primo caſu non intendit venditor vẽdere gemmam; ſed vitrum, in ſecundo contrà, non intendit emptor emere vitrum; ſed gemmam. Alia eſſet ratio, ſi fraus circa accidentia ſola contingeret, vt ſi aliquid pretio tibi comparares minus bonum, quàm iactauit venditor; tunc, inquam, fraus peccatum induceret, vnà cum obligatione damnum reparandi, ſed contractum nõ eneruares; quandoquidem ipſum etiam matrimonium; hoc eſt, ſpecies contractus omnium nobiliſſimá retinet in hoc caſu vim ſuam, vt ſi proba, pulchra, diues non ſit vxor tua, quæ talis eſſe iactabatur, vt habetur 29.q.1.c.1. *Matrimoniũ nobiliſſimus contractus.*

Quartò ſi te contingat contractum iurare ex ſe inualidum & illicitum; non eſt, quòd ei te credas obſtrictum, vel addidiſſe iuramento tuo confirmationem; quia videri non poteſt confirmari, niſi quod iam antè aliquid firmitudinis habuit, aut habere potuit. Quare ſi

contractus nullũ robur habuit, nec habere potuit; nõ validatur per iuramentũ. Secus si potuit; vt quando est de re ex se nõ mala. Vndè si latronibus te intercipientibus iureiurando promittis centũ aureos ne te occidant, teneris sub mortali dare, vt post Sot. l. 8. de Iust. q. 2. a. 3. docet Toletus l. 4. summæ c. 22. Si verè ac simpliciter intẽdisti dare ac promittere, & nõ æquiuocè, quæ æquiuocatio tunc esse dicitur: quando, v.g. post hæc verba clara, *iuro me daturum*, dicis intra te, *si mihi libuerit*.

Promissio facta latroni an obliget sub peccato.

Quintò si te contra iuramentũ legitimũ iã emissum cõtrahere cõtingat cõtractu ex se licito obligatorio, peccabis quidẽ ob periuriũ; sed vim suã cõtractus retinebit: vt si iureiurãdo interposito promiseris te ducturũ Catharinã; postea autẽ reipsa ducis Apolloniã; c. sicut ex literis, de sponf. Ratio est, quia vi iuramenti illius præcedentis, nullum adhuc in te ius acquisiuit Catharina: per contractum verò sequentẽ acquisiuit perfectum Apollonia, cuius proindè iuri non debet iusiurandum illud tuum officere.

§. 3 Esto, promissio cõtractus sit non adeò proprius & perfectus; quia in eo nihil cõmutatur, perfectorũ naturã participat, quatenus in illa ex mutuo cõsensu inchoatur vnius rei trãslatio à proprio domino in aliũ; & quatenus in ea peccari potest, sicut in perfectis. Quẽadmodũ enim hoc ipso, quo in perfectis violatur fides, peccatur; quia oppugnatur ius aliẽnũ, & pax societásque humana multùm læditur. Ita qui nõ stat promissis etiã simplicibus,

cũ poteſt ſine graui ſuo incommodo, charitatẽ violat illudendo cõtriſtandóque promiſſariũ:& præterea in eandem fidem peccat, quæ omniũ commerciorum eſt fundamentum. Sed hoc de licita, ſeriáque eſt promiſſione intelligendum. Illicita námque reuocanda eſt velut indigna cui ſeruetur fides: Si iocoſa ſit, nõ ſeria, non eſt vera promiſſio, ideóque nec obligat. Quid ſi reipſa ficta ſit, verùm meritò viſa ſeria promiſſario? Tunc ſanè culpã aliquam contrahit promiſſor propter illuſionẽ, niſi in caſu quo iuſtam habet causã fictè promittẽdi; puta quia iniquè cogitur promittere; vt iã dixi de latronibus. Verè tamẽ nõ obligatur propter hypotheticũ defectũ intẽtionis ſeſe obligãdi; quamuis promittendo iurauerit; per accidens tamẽ ſæpè tenebitur facere quod promiſit; nẽpè ad vitandũ ſcandalũ, & ne periurus habeatur. Ad minùs autẽ tenebitur de dãno, quod illuſio attulleiit promiſſario. Dupliciter autem illicita promiſſio dicitur; primò ſi ſit de re ex ſe mala, aut prohibita, vt ſi quis dicat; occidam talem, vel faciam tibi corporis mei copiã, ſi aureos mihi decẽ largitus fueris. Secũdò, ſi de bona quidẽ, ſed in malæ cõpenſationẽ; vt aureos decẽ promitto tibi, ſi talẽ de medio ſuſtuleris, aut te mihi proſtitueris. Prima nunquã implenda eſt, cùm abſque culpa non poſſit. Secundam oportet antè perpetratum opus ſceleratũ reuocare, cuius gratia facta eſt, vt ex Iſidoro refertur, 2.2.q.4.c. in malis. Poſtquam autem eſt perpetratum, naſcitur

Fides fundamentum omniũ commerciorum.

Promiſſio illicita dupliciter.

nascitur eius implendæ obligatio cõtraria de causa; hoc est, quia vna ex parte impleri sine pec... ...potest; ex altera consensit vltrò promissor in obligationem dandi promissario post perfectum opus summam pollicitam. Notandum insuper promissionis etiam iuratæ obligationem cessare, quando ei superuenit res grauis, & onerosa, quam si præuidisset, nec intendisset promittere, nec prudenter debuisset. Tunc, inquam, obligari nō videtur, eò quòd tacitè noluit in eo casu se obligare. Lessius l.2.c.18. dub.10.

Si quis tibi aliquid promiserit, posteáque animum sibi fuisse abnuat id pollicendi, & verba eius manifestè non portendant contrarium, interpretationi eius aquiesce; quia reuerà non obligatur promissor, nisi in quantū voluit, & ipse præ omnibus interpres verus est suæ mentis. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* (1. Cor. 2.) Præstat insuper, vt non habeas, quod debet; quàm vt habeas, possideas, retineas, quod non debet, nec tuum esse voluit.

Sot. l.4. de Iust. q. 7. a. 1. & 2.

Si quis ad prodigam, nimiámque summam pecuniæ tibi dandam iuratò, aut non iuratò obligauerit; ne instes vt satisfaciat, quia de iure nec potest, nec debet ob peccatum, quod in tali profusione interuenit; præsertim si sit in damnum tertij, & in te redundabit si vrseris.

Filia familias promittens nuptias.

Non est par ratio filiæ familiàs, quæ promittendo iurauit nuptiàs impari cum magna indignatione familiæ; quia promissionis huius

executio

executio, seu nuptiarum cum tali celebratio ex se mala non est, repugnantia parentū ipsi est extrinseca, hanc præuidit puella & præuidere satis potuit, eadem non obstante sese obligauit, potuítque obligare, cùm simpliciter esset quoad hoc sui iuris post annos pubertatis.

Tenetur itaque talē ducere acquisito iuri suo nō renuntiantē, nec eiusmodi obligatione præsupposita: possunt id meritò parentes ferre grauiter, esto fortè illa promittendo peccauerit, non percontans in re tam seria parentum arbitrium, eóque nomine illos mœrore affecerit.

Adhæc quamuis promissio ex suo genere obliget sub mortali, ob causam allatam initio huius §. & appelletur debitum, in l. vlt. C. ad l. falcid. maiorem nihilominus summam postulat, vt circa illam peccetur mortaliter quàm furtum. Quare si solidi decem sufficiunt ad cōstituendum furem huius culpæ reum: non sequitur totidē satis esse ad subiiciendum simili culpæ promissorem promissos non exhibentem; sed maior requiritur (nisi fortè infida pollicitatione sua damnū par maiori huic summæ creet promissario, vt docet Lessius l. 2. de Iust. c. 18. dub. 8. n. 56.) & ratio est, quia res promissa, & nondum exhibita multò minus est promissarij, quàm res furtiua sit eius, cui aufertur. Minor proindè iniuria fit illi cùm nō datur, quàm huic cùm ea spoliatur.

Solidi decē sufficiunt ad constituendā peccatū lethale.

Si interius tantum promiseris aliquid homini

mini, vel donaueris nō interpoſito iuramento, liberū tibi ſcias eſſe promiſſiones eiuſmodi & donationes reuocare: quia vt diſſolui nō poſſint, vtque obligent, acceptatione indigent facta à promiſſario, vel alio quē ſibi ſubſtituerit, vel qui iure ſuperioritatis poſſit pro eo acceptare. Quandiu autē interius latent ab horū nemine percipi poſſunt, quanto minus acceptari? Secus dicēdū, ſi iuramentū acceſſerit: obligat, inquā, promiſſio etiā antè acceptationē, implendáque eſt, quoties ſine peccato poteſt, in reuerentiā iuramenti, ſeu ne Deus teſtis falſus introductus videatur. Alia quoque promiſſionis ratio eſt factæ Deo; votū enim eſt, & vouentem aſtringit, eſto iuratum non ſit.

Promiſſa res non vſurpanda.

Promiſſam tibi rem conſtituto tempore nō traditam, ne vi aut dolo vſurpaueris cùm tua non ſit, nec eius Dominus vi promiſſionis reipſa in te tranſtulerit dominium: ſed transferat illud tantummodò per realem traditionem, ante quam ſi rem illam tibi vindices, aliena propriis iniuſtè aggregabis.

Promiſſione exiſtente reciproca, ita ſcilicet vt vna ſit cauſa alterius, ſcito te nō teneri ſeruare tuā, niſi alter impleat viciſſim, ſeruétque ſuā (præterquàm in promiſſione fidei cōiugalis ob rationē expoſitā ſuprà initio §. 2.)

Senec. l. 4. de Benef. c. 34. & 35.

Nā, vt ſcribit Seneca: *Ad hoc vt homo facere teneatur quod promiſit, requiritur, vt omnia immutata permaneant; quia promiſit quod habebat in mente ſubintellectis debitis conditionibus.* Sin autem vna cauſa non ſit alterius, vt quando vnus promiſit nō expectans, nec exigens promiſſio-

né alterius reciprocam; sed iste posterius aliquid ei vicissim, vltróque spondet, non tolitur adimplenda promissionis obligatio, si Nauarro credimus, c.18.n.7.eo nomine, quòd hic alter executioni non mandat, nec mandare vult quod est pollicitus. Nō tamen damnare auderem, qui cum Molina in 1. 2.disp.272. teneret oppositū. Princeps si quid promisit in verbo, seu fide Principis, vinculo iuramenti hoc ipso ligatur, si Menochio credimus Cōsil.201.vbi ad hoc cōfirmandū citat caput antepenultimū tituli de Iureiurando. Sed non videtur hoc verum, cùm testimonium nullum humanum sit diuinum, sed ad summum aliud alio augustius ob personæ dignitatem; nec in capite illo dicitur Rex Hungariæ sic promisisse, sed verè iurasse.

In fide Principis, *promissio an liget Principem.*

§.4. Nunquā tibi cōtingat emere, nisi quod bona fide venale, & in potestate venditoris esse cognoueris. Venales nō sūt res merè sacrę & spirituales, vt virtus absoluēdi à peccatis, cōferendi beneficia. Nec ita mixtæ, vt quod in iis spirituale est, potius sit temporali. Denominatio certè fit à nobiliori parte. Quare cùm in Sacramentis, sacramentalibus, & beneficiis manifestè potiora sint quæ spiritualia, vt in baptismo remissio peccatorum, quàm ablutio aquæ. In signo crucis significatio processionis diuinarum personarum & protestatio, quàm signum externum. In beneficiis ius percipiendi præbendam Eccles. quàm præbenda ipsa, absolutè in album reponendæ sunt

Res nō Venales quæ.

rerum

rerum ſacrarum, ideóque vendi non poſſunt, nec emi, quia res ſacræ non ſunt vendentium, vult Chriſtus eas dari gratis, pecuniam omnem pretiúmque ſuperant, nec cum eo niſi impiè in comparationem adducuntur. *Pecunia tua*, ait Simoni Mago S. Petrus, *tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Ad ſummum itaque adminiſtrantibus nobis ſpiritualia dari pecunia poteſt, & quæ pecunia æſtimantur, non vt pretium, & æquipollens, ſed vt ſtipendium quo indigent ad ſuſtentationem, ſine qua obire non poſſent hæc munia, vel vt merum donum; eſto non daretur, niſi ſub illa conditione. Nam ſimiliter inducere licet infideles donis, ac promiſſionibus ad baptiſmum ſuſcipiendum, vt rectè notat Molina tom.1. de Iuſt. diſp.94. Quod ad mixta quæ contrà plus habent de temporali, vt vaſa ſacra, ſepulturæ in templis, cantorum officia, vendi poſſunt ex cauſa rationabili, ſed nõ intuitu rei ſpiritualis, nec cariùs propter illã. Vt ſi venditur calix, ſpectandũ ĩn eo tantùm eſt quod temporale eſt.

Actor.8.

Sed neque venales ſunt artes & ſcientiæ, vt tradit S. Th.2.2.q.71.a.4.& Caiet. in ſumma V. Simonia. Nã ſcientia quæ eſt in docente vendi non poteſt, ſicut nec tranſire ad aliũ. Quam verò acquirit diſcipulus, proprio labore acquiritur, & cũ ipſius ſit, vendi à Doctore nequit. Reſtat ergo, vt vendatur ſolùm docentis labor (qui meritò æſtimatur eò precioſior, quò eſt ſcientia præſtantior) atque hoc ſenſu interpre

interpretor à Salomone ſcriptum Prou. 17. *veritatem eme*; id eſt, laborem docentis veritatem. Quanquam, vt dicam quod eſt, non tam ematur hic labor, quàm conducitur. Sed neque venales ſunt homines liberi; libertas ſiquidem inæſtimabilis eſt, l. libertas ff. de regul. iuris. Et apud Lucianum Dial. de vita Philoſ. Mercurio vendere volenti Diogenem ait emptor: *Præco, quid ais? Vendis hominem liberum? non times ne plagij reum in Areopagitarum iudicium quis te vocet?* Nefariè proindè venduntur, & inualidè, qui à pyratis, vel ab iniuſtis capti bellatoribus vel furto ſublati, vel iniquè damnati, vel dolo ad naues illecti, & derepente abſtracti à natali ſolo traduntur mercatoribus. Peccat emptor valdè, qui tales ſibi merces comparat, & vbi huius generis nouit eſſe, tenetur reſtituere veris dominis, aut ſuæ libertati relinquere, quin etiam ſatisfacere pro iniuria illata ob ſeruitutem, qua preſſi ſunt, & miſerias alias conſequentes.

Libertas quāta exiſtimationis.

Si res emas magni precij, cuiuſmodi immobiles ſolent eſſe, da operam, vt ſuper eo contractu ſcriptura fiat, non quod ſimpliciter, & ex natura rei neceſſaria ſit ad eius conſtitutionem; ſed quia firmat illum, quoad forum externum.

Circà pretium attende primò, vt ſit determinatum, aliàs vi carebit emptio, vt ſi dicas; *quanti voles, quanti æquum putaueris, vel de precio benè poſteà conueniemus.* Valere quippè, veráque emptio dici non poteſt, niſi ſubſtante

vero consensu:talis autem attenditur circa solum precium determinatũ;quia qui esse videbatur circa indeterminatũ,sæpè ostenditur nõ fuisse, quãdo posteà determinatur, aitq; emptor:*Putabã te non exacturũ tantũ*, vel venditor: *Putabã te plus aliquid mihi oblaturũ & repensurũ.* Materia similiter definita sit oportet eandẽ ob causam. Vndè nihil propriè venditur, si dicat venditor: De his decem ouibus meis vendo tibi tres, quando non designantur. Molina disput.366. Lessius dub. 12.de Contractu emptionis. In duplici differẽtia sunt res venales. Quædã certò solent precio æstimari, vt pannus, lignum, triticũ,vinum, caro & similia ad vitæ vsum necessaria vel opportuna; quædam non solent,quia vel rarissimæ sunt,vt antiquæ statuæ: vel ad solã pompã recreationemue faciũt, vel ignoratur quantũ & ad quid prosint. Quæ sunt posterioris generis, negotiantiũ relinquuntur arbitrio, licetq; venditori vendere eas carissimè(sic tamen vt precium enorme nõ sit)vi & fraude sepositis; vicissim emptori licet ad preciũ descẽdere quàm potest minimũ. Quæ verò prioris, vendi & emi debent iuxta precium vel à lege taxatũ,vel defectu legis à cõmuni æstimatione sapientum circumstãtias considerantiũ,ob quas vna eadẽque res modo plus,modo minus valet. In his notabiliter excedere vel deficere peccatũ est mortale,obligationẽ inducens restitutionis. Plus valebit res venalis cæteris paribus,quò erit rarior,quò in se melior, ac diuturnior, quò plures emptores

D. Th. 2.2. q. 77. a. 1.

ade

adẽrũt, quò pecunia abundãtior; cõtrariis autẽ de causis minus. Vndè quæ sub hasta veneunt, vel à proxenetis ad vendendum exponuntur, multo minoris emi possunt quàm aliàs valent. Caue fraudulenter aliquid in magna emas copia, v. g. triticum, vt caritatem inducas, atque ita possis ditescere, perniciosissimi sunt qui hoc faciunt. Seuerè hoc prohibetur Constantinopoli, imò nemini licet triticum & similia coaceruare; quo fit vt ibi affluant omnia, & coemãtur vilissimo pretio. Non est tamẽ cõtra iustitiã abunde emere & seruare, quæ profusè suppetũt, & emptores vix habẽt prę copia.

Si in emptione arrhã dederis tanquã initiũ partẽq; precij, esto simul in signũ detur, cẽsenda vẽditio est ita perfecta, vt dissolui non possit, ne quidem per iacturã partis illius; secus si duntaxat in signum, eò quòd tunc non præsumitur interuenisse sese obligandi animus, & neutra ex parte fit realis vlla translatio.

Dilata solutione quando carius vendendũ.

Si dilata solutione aliquid vendideris, ne idcircò cariùs vendas, quàm ferat iustũ summũ preciũ currens venditionis tẽpore, nisi dãnosa sit tibi hæc dilatio; nam si sit, tibi vtiq; licebit in partem precij cõputare damni huius æquiualens. Vt si iustũ rei precium sit sex aureorũ, & dilatio damnũ tibi allatura probabiliter sit vnius aurei, vendere tibi licebit septẽ aureis, vt cũ Caiet. docet Tolet. l. de 7. peccat. in c. 51. aliàs non propterea, quòd iustitia non est, vbi deest æqualitas: Deest autẽ, quando res quã pretij dilatio preciosiorẽ nõ reddit, carius

Vsura palliata.

propter eam venditur. Interuenit insuper vsura palliata; nam si valet tantùm sex,& propter dilatam solutionem vsque ad semestre, verbi gratia, venditur septem. Perindè est ac si ad mutuum dares sex, pro septem. Dixi, *iustum summum pretium*; nam solent tria distingui iusta eiusdem rei pretia, infimum, supremum, medium: & vulgò exprimuntur, cùm dicitur, *hæc res minimùm valet tantum*, *hæc res ad summum valet tantum*, *hæc res valet tantum*. Bene autem potest summum pretium iustum exigere, qui vendit expectata solutione.

Caue rursus aliquid vendas eo pretio, quo æstimabitur futuro certo tempore, in quo plus solet æstimari, nisi id eousque sis alioquin seruaturus; quia si non sis, interueniet iniquitas manifesta, dum exigetur pro re amplius quàm valet, quando actu venditur. Si autem sis seruaturus, meritò poteris, ne damnum sustineas iusti lucri cessantis, quod damnum gratis pati, vt alteri vendat, nemo sanè astringitur. Colligitur hæc doctrina ex c. nauiganti, de vsuris.

Si quod vendis, futurum est emptori vtilissimum, magnique lucri occasio; ne hoc titulo præsumas eius augere pretium, quia eiusmodi lucrum resultat per accidens, nec ad rei quam vendis, valorem pertinet spectandum, metiendúmque iuxta communem vtilitatem, quam vulgò afferre solet mortalibus. Hoc prætereà lucrum emptoribus est; quo autem iure id ei vendideris,quod illius est,nō

tuum?

tuum? Si Clericus es, vel nobilis, caue emas vt reuendas, non est talium negotiari; Licebit nihilominus quod aliàs tuum est, vendere.

Si res quam vendis, occulto vitio laborat contrario fini, in quem emptor illam sibi quærit, peccas si illud scienter taces, & venditio nulla est defectu intentionis in emptore: sin tes sit quidem ad finem illum vtilis, sed non multùm propter vitium, valida venditio erit, & non peccabis, dummodò pretium imminuas per proportionem vitij. D. Th. 2. 2. q. 77. a. 3.

Falsis nummis, quos fortè ab emptoribus aut nummulariis circumuentus accepisti, horrebis quicquam emere; quia cum venditor à quo emere cogitas, innocens sit & bonæ fidei, nec causam vllam prębuerit detrimento, quod tu prius vendendo passus es, nulla ratione debet eius inuidiæ, pœnæque subiiacere; sed fidelem mercium suarum reportare mercedem. *Nemo*, inquit regula iuris, *debet alterius odio prægrauari*. At fortè sciscitaris, quid si paratus sit venditor nummos meos admittere, etiam sciens esse adulterinos? Respondeo; peccabis nihilominus tradendo eos, contra iustitiam; non quod ipsi fiat iniuria; sed quod satis præuideas fore, vt aliis tradat eos, & sic decipiat; te vtique cooperante, sicut cooperatur, qui ensem dat furioso. Accingens te ad vendendum, cauebis falsos habere licitatores, qui mercium tuarum pretium augeant. Iniquum hoc esse & fidei bonæ repugnare, agnouit ipse M. Tullius lib. 3. offic. his verbis: *Tollendum est igitur in*

Falsis nummis nihil omnino emendum.

rebus contrahẽdis omne mendacium. Non licitatorẽ venditor,nec qui contra se licitetur,emptor apponet.

Si te iuraueris non venditurũ aliquid infra certum precium, seu viliori precio, quàm sit illud quod apud te habes definitum:posteà autem expedire iudicaueris, vt secus facias, vel quia pauper est emptor & re tua valdè indiget, vel quia nimium tibi precium proposuisti, vel nemo vult illud dare; atque ita vetustate tandem res corrumperetur, nec tibi, nec aliis futura vtilis, detrahere de precio poteris, ne iusiurandum vinculum sit iniquitatis, & menti repugnes tuæ, quæ fuisse videtur non venditurum te minoris,nisi adactus causa graui & necessitate. Vitanda porrò sunt eiusmodi iuramenta, quia in periurium sæpè desinunt.

Emens non præsenti pecunia, vide vt suo tempore soluas si potes, teque debito liberes, nisi & peccati velis esse reus, & malè audire, & teneri ad damnum resarciendum,quod iniquà procrastinatio tua venditori attulerit. Facilè autem poteris, si superfluos sumptus amputaueris, si vestibus, ac cibis, & eiusmodi aliis nimis pretiosis tibi interdixeris, vt verbo dicam,si parcimoniam colueris, *magnum enim vectigal est parcimonia.*Lacedæmonij cũ Smyrnæis egentibus cõmeatum misissent,atque illi beneficium cœpissẽt extollere:*Nihil magni est,* dixerunt Lacedæmonij, *hac enim collegimus vnius diei prandio nobis & iumentis nostris detracto.*

Cicero.

Plut.lib. de discrim.adul. & amic.

De locatione quid.

§. 5 Ad locationem veniamus & conductionem. Vel rem tuam locas, vt domum, equum

quam, prædium; vel operam. Si rem, non eam locatario, seu conductori auferes ante clapsū tempus locationis, nisi illa ipse cōtra pactum abutatur, aut illam necesse sit reparari; aut tibi locatori superueniat valdè grauis & inexpectata necessitas vtendi ea; vt si è duabus quæ tibi erant domibus, conflagrauit illa, in qua habitabas, repetere tibi licebit alteram, quam locaueras. Idem iudicium, si tu quidem non locaueris, successor tamen legitimus sis locatoris. Quis enim vellet contrahere, si ad successores non trāsirent tum antecessorum iura, tum onera? Habet quod dico locum etiam in successoribus Prælatorum, qui tanquam Ecclesiarum administratores quas regunt, earum locauerunt bona. Si tamen Ecclesiæ damnosa esset locatio, poterit successor, non minus quā minor restitutionem in integrum petere, vt docet Couarruuias lib. 2. var. c. 15. n. 6.

Si rem locatam contingat casu aliquo insolito afferre locatario locationis tempore magnam quandam vtilitatem, nihil idcircò exigendum erit ab eo supra iustam & consuetam pensionem, quam tibi ex pacto debet, quandiu in pacto nihil super hoc cautum est, eò quòd accidentalis sit hæc vtilitas.

De vsu rei conducta. Re aliena conducta non vteris, nisi ad finem, in quem consentit locator; nec propria authoritate locabis alteri, ne quidem intrà tempus quo in tua est potestate; nec omittes pro illius conseruatione sumptus facere, qui vel solent fieri, v. g. conductum equum alere, vel de

quibus cum locatore conueneris. Quod ad sumptus alios, ad quos non te obligauit; qui tamen videntur necessarij, vt res illa aliàs peritura instauretur, vel vt occasione data fiat longè melior, ad eos non teneris ex iustitia, sed ex charitate, iubente aliis vt faciamus, quod fieri nobis cupimus: Illos autem tibi refundere ex iustitia locator, seu rei dominus astringetur; vtpotè cuius res fideliter, vtiliterque gesta est secundùm tacitam, debitamque eius voluntatem. Item si vel nulla culpa tua vel leuissima tantùm conducta res pereat, non peribit tibi, sed locatori; nisi expressè in te receperis pro ea satisfacere etiã pereũte ex eiusmodi culpa, vt docet Menoch. Consi.390.n.11.

Si culpa tua fiat, vt re vel opera locata vti conductor non possit, precium locationis pro tempore quo vsus non est, ab eo non exiges; quin potiùs si in damnum aliquod indè incurrerit, illud ei reparabis. Vicissim si culpa tua non vtaris conducta re, appendes precium integrum, si alter erat pari conducturus; satisfacies insuper pro detrimento eiusdem, si quod ex non vsu profectum sit.

Si ad determinatum quid agendum; verbi gratia, ad colendum intra diem agri iugerum, de pretio conueneris: Scito illud totum, vel partem duntaxat deberi tibi, prout opus totum, vel partem duntaxat absolueris: Sin non sit determinatum, intelligitur laborandum tibi esse communi modo, seu mediocriter, sicut commune est pretium. Quod de pretio, idem

idem de ſtipendiis Eccleſiaſticis iudicium conſtitutis ad peragenda diuina officia. Vndè qui ſimplex tantùm nactus eſt beneficium, ideóque tenetur ſolùm recitare horas canonicas, quot anni diebus illas culpa ſua nō recitat, tot amittit partes præbendæ ſuæ annuæ ex 365. in quas diuiditur reſpondentes totidem anni diebus. Et ſimiliter quantum de officio diei vnius negligit, tantum de reſpondente ei parte præbendæ, ſibi non deberi nouerit; ſed in eleemoſynas vel opera alia pia eſſe impendendum. Alia eorum eſt ratio, quibus obtigit curatum beneficium; quia munus illorum ſpirituale tam multa alia præter horas illas complectitur, v. g. prædicationem verbi Dei, adminiſtrationem Sacramentorum, viſitationem ægrotorum, celebrationes Miſſarum, ſepulturas, &c. vt meritò credatur recitatio illa ad ſummum pars eius eſſe tertia, cuius proindè culpabilis omiſſio ius tantùm tollit ad tertiam partem redituum, vt rectè notat & docet Toletus l. 2. ſummæ c. 12.

Beneficiarius ſimplex ad quid teneatur.

Qui curatū habet beneficium.

Si nulla interueniente culpa tua, ſed morbo, caſu fortuito, vel extrinſeco impedimento cogaris operationem ſuſpendere, ſicut non teneris ad intereſſe locatàrij, ſi quod patiatur, ita conſtitutum pretium tuum non facies.

Si operam locando tuam doceearis artem licitam, quam priùs non tenebas, eiuſque diſcēdæ gratia inſeruis conductori, nihil ab eo exiges præter alimenta, imò ad aliquid ei repen-

 dendum

dedum tenebere ex iustitia, si iure tecum agat, eò quòd artem illam docendo multum reuerà tibi præstat: Sin autem non seruis discendi gratia; sed in bonum conducentis, ne minùs seruias quàm debes; vicissim non te premat imperiis iusto grauioribus & insolitis. Ab eo ne discesseris absque causa rationabili (cuiusmodi posset esse tua vel parentis infirmitas) ante præscriptum spatium, nisi carere velis parte promissi tibi stipendij. Ille vicissim non te excludat immerentem, nisi teneri velit ad soluendum salarium, tempori respondens, quo exclusus alteri seruire non poteris. Operam tuam pretio ne locaueris, si vi stipendij aliundè accepti tenearis impendere, v. g. docere. Rursus si ab experientia & speculatione pendet ars seu opera tua, vt medicina, experientiam magis sequere, nec vnquam da medicinam, de qua dubitas, sitne profutura; probabilius saltem tibi sit vtilem potius futurã quàm noxiam; & vbi non occurret melior, hãc porrigere ne dubita. Vasq. in 1. 2. disp. 64. n. 21.

Si quis tibi famuletur non designato precio, nec declaratione præmissa, quòd obsequi tibi gratis velit, ne liberum te crede ab obligatione dandi ei stipendium; quandoquidem tũc præsumitur sub eadẽ mercede cõuenisse, quã seruat loci cõsuetudo & cõmunis æstimatio.

Si iuramento te obstrinxeris ad non excedendum certum salarium tibi pro industria & labore quodam tuo debitum, caue ne plus accipias. Si acceperis, incides hoc ipso in periurium

riū.Hic aures arrigant Notarij, & alij quidam Iustitiæ publicæ officiales, iurare soliti se non amplius vel exacturos, vel admissuros pro hoc, vel illo instrumento aut labore: multò tamen plus extorquentes. Nescio sanè quomodo excusari à periurio possint, vel absolui non constituentes apud se firmiter corrigere sceleratam suam habendi cupiditatem, cui vt satisfaciant, non exhorrent labefacere se culpa lethali, Tolet. lib. 5. summæ cap. 61. Nisi fortè laborem reuerà suscipiant insolitum & consueto longè grauiorem, vt si scriptura sit longissima, si diu vigilandum, si longum iter suscipiendum, si occupationes aliȩ ex se vtiliores negligendæ, &c. Tunc ampliùs quiddam exigi poterit per proportionem extraordinariæ difficultatis. Prȩtendere autem iusto minus esse salarium sibi à Republica taxatum; vel non ignorare Rempublicam; quin plus accipiant; tacere tamen & tacendo cōsentire & probare, vt id faciant, non iustificat eorum conscientiam. Nam quid iustum sit, melius nouit ipsa quàm tu, in causa propria valdè suspectus, & solitus supra omnem veritatem labores tuos exaggerare; & cum pergat proponere omnibus, quos ad tuam admittit professionem, & determinare consuetū stipendium, satis ostendit non debere silentium suum trahi in consequentiam, vel iustam dare causam excedendi.

De notariis ac Iustitiæ officialibus.

§. 6. Circa mutuum pecuniarium, quod totius est Vsuræ fundamentum, proindeque admodum periculosum, obserua quæ sequuntur

Pecunia Vsura fundamentum.

tur diligenter. Caue vnus esse de Vsurariis. Vsuram districtè prohibet Deus Deut. 23. & Christus Luc. 6. *dicens, mutuum date nihil indè sperantes.* Et inter cætera, quæ requirit psalmus 14. vt quis saluus fiat, vnum est; *ne pecuniam suam dederit ad vsuram.* Nempè iustitia consistit in æqualitate: ergo iniustus est vsurarius plus exigēs à mutuatariovi mutui, quā ei dederit: & quia iniustus non intrabit in regnum cœlorum, ad quod iusti soli admittūtur, nisi prius egerit pœnitentiam, & restituerit si possit. Quando vi mutui, quod das, nullum tibi perit iustum lucrum, siue quia non profiteris ex pecunia lucrum facere; siue quia non occurrente mutui occasione ociosam in arca reliquisses, nec damnum vllum fecisses, pecunia æstimabile: scito & tibi persuade, nihil petendum à mutuatario supra summam capitalē (cùm ei sufficiat reddendo æquiualens iustitiam colere) etsi Princeps vel Respublica permittat, vt exigas quotannis tria, vel etiam plura pro cētum. Ideò namque id tolerat, quia præsumit mutuatores occasione mutui adire damnum æquiualens, vel paris lucri iacturam facere. Nec obstat, quòd mutuatarius tua egens pecunia non peccet promittendo vsuram, vel soluendo; quia id facere cogitur ad redimendam vexationem, quam à te pateretur; aliàs ei non daturo mutuum. Et cùm dominus sit rerum suarum, potest ad malum maius auertendum, ex iis partem tibi destinare, si mutuum non negaueris. Quis viatorem neget à la-

trónibus

stronibus interceptum, licitè eis postulatam promittere, posteáque dare pecuniam ne occidatur? Et tamen constat eiusmodi sicarios iniquè postulare, & accipere. Sin contrà ex mutuo fiat, vt cesset tibi iustum lucrum, vel damnum creetur; non teneberis quidem, poteris tamen tuta, saluaque conscientia cum mutuatario pacisci de interesse, seu auctario æquipollente tibi refundendo supra capitale. Sed caue, ne id resciat Magistratus, & te puniat excedentem taxam publicam. Caue prætereà, ne tibi blandiaris falsò interpretans cessare tibi lucrum iustum, quod non cessat, aut maius quàm cessat. Interim licet tibi nec cesset lucrum, nec emergat dãnum; ideóque in hoc euentu nõ liceat exigere aliquid supra capitale vel etiam expectare quasi debitum sibi ex iustitia (quo sensu ait Dominus Luc. 6. *mutuum date nihil indè sperantes*) non prohiberis tamen sperare aliquid & expectare ex gratitudine, cùm hoc sit de mutuatario benè sentire; népè prosequuturum ipsum officio vel munere aliquo acceptum beneficium. An nefas videri potest id ab eo expectare, ad quod tenetur? Si administrans spiritualia, v. g. conferens beneficium potest hoc modo aliquid sperare, quãtò magis mutuator?

Ne similiter tibi imposueris eo nomine, quòd suprà summam capitalem nihil pecuniarum exigas, sed obsequium, equum, vestimẽtum, &c. quia hæc & alia cùm sint pecunia æstimabilia, pecuniæ nomine continentur.

tur. *Nihilautē refert, quid ex æquipollentibus detur, aut fiat.* Omnis item obligatio libertatem tollens pecunia est æstimabilis. l. ficut. c. Action. Idem habetur Instit. Tit. de obligat. Hinc fit, vt Vsurarius inter alios sit, & scelerosus quidem, qui mutuat fœminæ cum pacto, vt vsum concedat sui corporis; quia ad hoc nullo iure tenetur ipsa, sed libertate gaudet mēbrorū suorum, imò prohibetur extra coniugium ea prostituere; Secus qui Iudici mutuat, vt sententiam iustam pronuntiet, quam pronunciare tenetur, & probabiliter videtur aliàs non pronuntiaturus.

C. de Cond. inst. l. si mater.

Ne rursus te credas ideò excusatum, quòd pecunia, pro qua Vsuram exigis Ecclesiæ sit, vel pauperū, vel destinetur à te vsura ipsa ad opus piū; quia nō sunt faciēda mala, vt Ecclesiæ & pauperibus subueniatur, vel bona alia sequātur. Quā laudabilia sūt religionis opera, vt offerre aliquid Deo? & tamen non vult Deus quicquam sibi offerri de turpiter acquisitis. *Nō offeres mercedem prostibuli, nec preciū canis in domo Domini Dei tui*; quantò minùs de rebus vsurariis, & aliis iniustè partis? Sed neque recipienda est istiusmodi excusatio, *mutuatarius percepturus est ex mutuo meo emolumentum maximum.* Nihil hoc refert, vt suprà dicebamus in contractu venditionis, quandoquidem lucri huius non es causa; quamuis ei pecuniam dederis, nempe ea est ex se sterilis. Ipse potiùs per industriam propriam, qua pecuniam prudenter applicat, sibi lucrum peperit.

Ad vsum Ecclesiæ, & pauperum vsura non accipienda.

Deut. 23.

Si

.Si propter iustum lucrũ cessans, vel damnũ emergẽs vi mutui ad vsurã das pecuniã; vide, ne vsurę vsurã petas, quia vsura quę debetur, nõ est principalis pecunia, cui fructus aliquis respõdere possit aut debeat, sed est fructus illius.

Sub damno emergente, ratione cuius interesse peti posse dicimus, cõtineri scias iniustum quodcumque detrimentũ, quod à mutuatario passurus præuidetur mutuator: quale est, exẽpli causa, valdè sollicitari & laborare pro solutione mutui; aut aliquid mutuatoris ab eodem mutuatario retineri, quod recuperari non posse videtur, nisi exigendo eius pretium supra capitale mutui. *Sub damno emergente quæ continentur.*

Mutuatarium nunquam obligabis, eandẽ vt numero pecuniã mutuò datam tibi refundat; cùm hoc sit contra rationem cóntractus huius, in hoc discrepantis à commodato; & per accidens fiat, vt reddatur omninò eadem; nempè quia fortè non licuit, vel opus non fuit iam consumere. Itaq; omninò satis erit, si reddatur æquiualens quoad valorem, esto non sit pecunia ex eadem materia, nisi fortè deductum sit in pactum expresse vel tacitè, vt in eadem materia secundùm speciem restitutio fiat.

Nunquã mutuum acceperis ab vsurario, si potes ab alio, vt sic occurras peccato illius; siq; fortè acceperis ad cõdictũ, solue diem; ne aliàs tenearis de omni dãno cõsequente, & succrescens in dies vsura excedat te, atq; opprimat.

Si profiteatur mutuatarius se vltrò ac liberè velle dare tibi auctuarium, mutuare ei poteris *Auctuariũ vltrò datũ.*

sub

ſub hoc ſpontaneo onere, nullo etiam ceſſante tibi iuſto lucro, nec damno emergente, vt notat Tolet. l. 5. c. 8. Sed vt conſtet ſatis de hac ſpontanea eius liberalitate, non erit hoc in pactum deducendum, obligando ſcilicet ipsũ ad donatiuum illud perſoluendum; ſed relinques libero eius arbitrio, vt ſoluat, vel nõ ſoluat, & te relinquere declarabis; tametſi nõ ſoluendo perfidiam commiſſurus ſit, nec cariturus quadam infamia. Ab obligatione reſtituendi vſuras iniuſtas ex mutuo perceptas, ne te putes liberum, quod mutuatarius in contractu obligauerit ſe vltrò ad eas ſoluendas; volenti autem non fiat iniuria. Ita namque voluit, poſito quod aliter mutuare nolueris, vt tamen alio quo modo noluerit, vt volitio illa cum concepta non ſit liberaliter ſeu extra contractum, donatio non eſt. Alia ex parte deeſt ex hypotheſi iuſtus titulus vſuras illas exigendi. Neque enim vſus pecuniæ mutuæ datæ ab ipſa pecunia eſt ſeparandus.

Cenſus & mutuum quid differant. Scito denique à mutuo diſtingui cenſum, ſeu conſtitutionem cenſus. Nam in mutuo datur pecunia ad certum tempus, poſt quod ius habet mutuator æqualem repetendi, & nihil amplius niſi per accidens, vt iam aliquoties dixi, propter iuſtum lucrum indè ceſſans, vel damnum emergens (eò quòd hoc ampliùs naturæ repugnat commutatiuæ iuſtitiæ in æqualitate verſantis;) In Cenſu verò datur pecunia in æternum, quantum eſt ex parte Cenſualiſtę; hoc eſt, eius qui dat illam, priuantis ſe iure repetendi

petendi eam: quamuis consentiat, vt censuarius refundat illam pro sua commoditate & arbitrio. Et quia quantum ex se est, priuat se in æternum iure isto, & nummis suis censetur illis emere annuam pensionem; vndè quam iustus est ex se contractus emptionis, tam iste est licitus, Sot. l. 6. de Iust. q. 1. a. 1. Tolet. sup. c. 44. quandiu debita seruatur proportio inter eiusmodi nummos seu summam capitalem, & inter censum seu pensionem; seruatur autem, quando taxa non exceditur à viris probis & sapientibus in loco recepta, vbi quis degit. Vulgaris est quinque pro centum.

§. 7. Ad sequentia similiter respiciendum, quoad cambium seu contractum, quo pecunia pro pecunia cómutatur, siue magna pro parua, vt nummus aureus pro solidis, siue contrà.

Si publicè, & authoritate Reipublicæ munus hoc profiteare, noueris licere tibi postulare aliquid pro labore, & cura quam sustines numerandi pecunias, & in promptu habendi; est quippè vt campsoribus onerosa, ita campsuariis percómoda, & pretio æstimabilis: Sin secus, rectè facies, si nihil pro cambio accipias, tum quia vulgò id prohibet Magistratus priuatis campsoribus; tum quia labor qui in numerando ab illis ponitur, solet esse perexiguus. Si tamé esset notabilis, vt quãdo de permutéda ingéti summa agitur, tibi etiá priuato cápsori aliquid laboris illius titulo deberetur. 1. *Pro cambio an possit pecunia exigi.*

Quamuis non desint Authores, qui Campsoribus licere docent, recipere aliquid intui- 2.

LII tu

tu præſtantioris metalli, quod dant pro ignobiliori; longè tamen eſt veriſimilius, lucrum nullum hoc nomine quærendum: quia, vt docet Io. Medina q. 3. de Cambiis, legiſlator taxans valorem aurei numiſmatis, attendit tam ad materiæ dignitatem, quàm ad commoditates, quas afferre ſolet ac poteſt: Cúmque eius iudicio ſtandum ſit, videri non debet hoc numiſma plus valere, quàm ipſe definierit. Fauet ſanè plurimùm improbitati Campſorum contraria ſentẽtia, qui ea freti cauſari poſſunt habere ſe plures titulos petendi lucrum pro cãbio, hunc nempe & illum, de quo proximè dictum eſt; atque ita multum extorquebunt. Præterea cùm nihil dẽt pro numiſmate aureo, quando illud pro exhibito à ſe argento accipiunt, quorſum exigent pro eo aliquid, quando vice verſa non accipiunt, ſed dant?

3. Si pecuniam, verbi gratia, centum aureos Lugduni à Campſuario accipias, poſtulante vt totidem Romæ ope tua accipiat; ius habes petendi ab eo iuſtum lucrum pro eiuſmodi cambio tibi oneroſo, quo videlicet in te recipis hanc ſummam Romæ illi aſſignare, vel illam verè illuc transferendo, vel æquiualenter, nẽpè famulos illic vel amicos tibi comparando, qui eã certò ipſi numerent. Quid ſi tantò plus valeret Lugduni, quàm Romæ, quantũ eſt lucrum tibi debitũ, an poſſes nihilominus ſeparatũ poſtulare? Videtur, quòd non; quia quod tibi debetur, in ſumma continetur tibi numerata. Sed præſtat ſentire contrariũ; quia quod minus

minus vel plus valeat pecunia in loco vno, quàm alio, contingens eſt, contrahẽdum proindè non ſecus ac ſi vtrobiq; paris eſſet pretij.

Sin contrà, pecuniam petenti das Lugduni, vt eam reddere poſſit in loco ſibi commodo, quoddam etiam lucrum indè licebit facere; quia ſimiliter officium hoc magnum eſt, pecunia æſtimabile, oneroſum campſori, percõmodum campſuario, dum ab obligatione liberatur ſoluendi, vbi pecuniam accepit, poteſtate ſibi facta ſoluendi vbi vult. Nec refert, quòd tibi campſori hoc interdum ſit opportunum; quia per accidens & rarò eſt.

Quò ſumma eſt maior, vel pecunia rarior, vel via longior, vel tranſportatio difficilior, eò maius lucrum arte ſua quærere campſori licet.

In Cambio cuinã pereat pecunia.

In cambio per traditionem pecuniæ transfertur eius dominium. Ita fit, vt etiam ſi caſu pereat, ei pereat qui accipit tanquam domino ſuo, & debeat æquiualens ei qui dedit reſtitui.

De reſtitutione quid.

§. 8. Circa reſtitutionẽ deniq;, ad præſcripta, quæ ſequuntur, aduerte. Si quid alienum iniquo titulo ad te perueniſſe didiceris, idque adhuc penes te ſit, reſtitue. A peccato liberari non valebis, niſi reſtitueris. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Rectè ſanè, cùm poſtulet recta ratio, vt non remittatur niſi diſpoſito; diſpoſitus autẽ non eſt, qui victus auaricia, non reddit vero domino, quod ipſius eſt, ſed ſibi retinet. Hac de cauſa peccat, ſique rem illam apud ſe videat petiiſſe, tenebitur æquiualentem refundere, & pro damno ſatisfacere,

S. Aug. in epiſt. ad Macedonianum.

quod eidē vero Domino pepererit iniqua retentione. Quod si priusquàm alienam rem scires esse, periit vel à te data consumpta, aut vēdita est, in tantum incumbet tibi restituendi necessitas in quantum ditior indè enaseris, siue parcendo rebus propriis, siue pretium venditæ accipiendo. Ægrè, fateor, dimittuntur, quæ iam possidentur; dimittenda sunt tamen iniustè possessa, nisi de numero velis esse diuitum, quos difficiliùs est intrare in cœlū, quàm camelum per foramen acūs: Vulpes quæ gracilis angustum intrat cellæ foramen; posteà autem furtiuo inflatur cibo, necesse habet exinaniri, si inuenire vult exitum, & liberari.

Si res tibi commodata, locata, oppignorata, vel apud te deposita pereat malitia tua, aut negligentia lata; fortè quia vteris ea in rebus inconcessis, aut in mora es restituendi, aliàs non peritura; indemnem Dominum reddes velut causa iacturæ quam sustinet.

Rei repertæ restitutio quæ facienda.

Si rei à te repertæ non comparet, nec deprehendi dominus potest post inquisitionem mediocrem, vel da eam pauperibus, vel si ipse pauper sis, tibi, tuisque retine, nec vbi consumpseris, obnoxium te crede restitutioni, tametsi posteà ille compareat. Quod si nondum consumpseris, & ille tibi innotescit, remque illam suam repetit; ne cuncteris reddere: declarat quippè repetendo, animum sibi nunquam fuisse eam abiiciendi, nec amissæ dominium in quenquam transferendi.

Si mala fide, & sine iusto titulo vero, vel appa

apparente cœperis aliquid possidere, nullam præscriptionem seu lapsum temporis possessioni huius fauere puta. Possessioni soli bonæ fidei hoc conceditur.

Esto peccati sis reus; si eleemosynam negaueris grauiter indigenti, cùm possis dare; sordidus autem si lucrum reportes etiam iustum ex re turpi, vt meretricio; viuis tamen liber à lege restitutionis. Secus si actione iniusta alicui nocueris; vt si obstiteris, ne beneficium assequeretur; cuius erat dignus, aliàs assequuturus. Tunc totum ei debebis aut partem; prout certò vel probabiliter illud obtinuisset.

Ne te credas tunc solùm astringi lege illa restitutionis; quando ipsemet iniusta actione moliris proximo perniciem; sed etiam quando eiusmodi actioni cooperaris iubendo, consulendo, ratum habendo, receptando nocentem hominem, exstimulando eum, minis, vel laudibus ad facinus, non vociferando cùm nocet, nec manifestando quando ex officio vociferari te oportet, vel manifestare. Idem sentiendum, si hæres sis eius, qui iniusta actione damnum fecit, quia licet non fueris delicti particeps, bona possides delinquentis reparationi faciendæ obnoxia. Quod si hæredes plures estis, ad vos pertinebit restituere, seu damnum reparare pro rata parte, quã acceperitis.

Si moriatur ille, cuius rem habes commodatam, locatam, aut depositam, hæredibus eam restitue, vel si non comparent, pauperibus. Si non obierit, sed procul absit, mitte illam

eius ſumptibus, niſi adeò diſtet, vt ſumptus pares precio futuri ſint, aut ſuperiores. Tuis contra impendiis mitti deberet, ſi iniuſtè poſſideretur.

Si commodatum, pignus, aut depoſitum bona fide remittis ad dominum, per nuntium prudenter fidelem creditum, ne ſis anxius, ſi fortè fallit nuntius; Non tibi res illa peribit, ſed domino, ſecus ſi tuum ſit quod mittis.

Si deſtruxiſti alienam ſegetem nondum maturam, tantum redde, quantum valitura videbatur meſſis tempore, deductis tamen expenſis, & periculis computatis.

Aes alienum contractum, & alia iuſto titulo debita condicto tempore reſtitue & ſolue; prima verò occaſione quæ debentur iniuſto, aliàs toties peccaturus mortaliter in materia graui, quot ſoluendi occaſiones ſcienter neglexeris.

Si te contingat non poſſe debitis omnibus ſimul ſatisfacere, cæteris paribus diſſolue priùs quæ priùs contraxiſti, & certa quàm incerta, & ea pro quibus hypothecantur bona, & quæ debentur priuilegiatis, ſeu habentibus priuilegium, vt priùs ſoluatur eis quàm cæteris. *Ad quid teneatur vſurarius circa reſtitutionẽ.* Vſurarius ſi fueris, non incumbit tibi ſolùm reſtituere intereſſe yſurarium; ſed etiam totum lucrum iuſtum, quod mutuatarius ob tuam exactionem facere non potuit, & aliàs feciſſet, & ſimiliter totum damnum, quod incurrit vi eiuſdem exactionis. D. Th. 2. 2. q. 68. a. 4. Sot. l. 6. q. 1, a. 4. quin etiam fructus rei ex ſe fructiferæ ſi talem tibi dedit pro intereſſe. Ne

Ne fingas tibi in restitutione pecuniæ, & rerum similium, inanes, & pueriles excusatiões, quarum vna eaque perfrequens est, quæ petitur à periculo infamiæ, si restituatur verò domino, quod scitur furto sublatum, aut quod creditur iustè acquisitum. Vix vnquam veniâ digni sunt, qui sic tergiuersantur; quia in prõptu expeditus est modus arcendæ huius, quæ timetur, ignominiæ. Adito, & obsecra prudentem tuum, fidumque Confessarium; vt pecuniam velit vero domino nomine tertij innominati reddere, dicendo: *Charissime, hoc tibi debetur creditum mihi ab aliquo, vt tibi restituerem, accipe quod tuum est & vade; nec inquire quis mihi commiserit; non enim dicam, nec tibi est audire necesse.* At fortè aget Sacerdos perfidè, pecuniam sibi retinebit, aut nomen tuum prodet. Panicus est timor iste, & improbabilis; quia pium, fidelémque suppono Sacerdotem, cui longè grauiora committuntur; hoc est, peccata propria, & potes duos tresue testes traditæ ei pecuniæ, si vis adhibere, & syngrapham postulare, qua se testetur accepisse; sicut & ille potest correspondentem petere ab eo cui summam dabit.

Restitutio per Confessarium.

Si alicuius famam bonam per calumniam abstuleris, restitutio fiat ingenuè fatendo iniuriam ei à te illatam, deq; eo dictum, quod non est. Sin autẽ simplex sit detractio, dic te male locutum, nec tibi fuisse credendum, nisi fortè pecunia aut precib. impetraueris obligationis huius remissionẽ ab eo, de cuius fama agitur.

Si Monasterio damnum attuleris; indè abstrahendo religiosum, intrare quidem non teneris eius loco; sed intendere neruos omnes vt redeat.

Circa homicidium, mutilationem restitutio.

Si quempiam occideris, mutilaueris, fortunis suis psoliaueris; damna omnia reparabis indè in vxorē deriuata, in filios, in dominum ipsum, soluesque expensas in Medicos præter iustam pœnam, cui obnoxius es apud Magistratus. Sed hoc limitandum, si sciens volensque, nec sine culpa occidisti. Nam si mero casu, vel dormiens, vel in ebrietate constitutus, ex qua coniici non potuit sequuturū homicidium, id feceris, ad nihil teneberis. Sicut nec pecus, aut amens, vt ex communi sent. tradit Tolet. l. 5. c. 19. Relinquitur porrò æstimatio damnorum illorum iudicio viri boni, cuius erit certam summā præsentem æqualē reputare longæ maiori, sed futuræ, nec omninò certæ.

Si aues, vel feras alienas in loco capias vbi aluntur à propriis dominis, vel recluduntur; ne captas retinueris, sed redde; quia tuæ non sunt: Quod si vagari sinuntur, & aliena sata diripere, vel occidi possunt, vel capi, & detineri quousque pro damno satisfiat, quod intulerunt, vel mulcta pendatur à Repub. constituta, Tolet. l. 5. c. 20. Sed neq; tuæ sunt aues in alienis deprehensę laqueis extra tuū fundū; sed magis illius, qui laqueos posuit, esto nondum perfectè illas apprehenderit, cui proindè relinquendæ sunt. Negari saltem non potest, quin ei pretiū debeatur industriæ & laboris, in

in laqueis illis aptandis & proponendis.

His præmissis subiiciendæ sunt causæ quædam excusantes non restituentem. Prima est spontanea obligationis remissio à creditore facta. Altera recompensatio æquiualens in re alia. Tertia, cessio bonorum omnium; quæ tamen si non sufficiat, posteáque debitor ad fortunam redeat pinguiorem, quod superest, restituet. Quarta, legitima præscriptio rei alienæ; hoc est, possessio continua bona fide per totum tempus à lege statutum (hoc est, vt plurimùm per decennium inter commorantes in eodem loco, per viginti autem annos, vel triginta inter alios) & dicitur bona fides, quando possidetur res vt propria, vi iusti tituli, qui subesse creditur, quandiu nō probatur contrarium. Sciendum tamen præter res furto, aut vi captas, quasdam esse; quæ præscribi nunquam possunt, hominem liberum, seruū fugitiuum, res religiosas, & fortè quibusdā in locis res Principis. Quinta, ignorantia inuincibilis, facti, vel iuris. Sexta, impotentia, quæ tunc esse dicitur, quando debitor restituere non potest simpliciter, aut sine grauiore detrimento, quā est illud, quod patitur creditor, si non ei fiat restitutio. Si tamen de morte, vel mutilatione agitur, tenetur debitor cū periculo, vel etiā iactura vitæ propriæ, vel membri, liberare innocentem, quem falsò delicti insimulauit, propter quod ad necem vocatur, vel membri amputationem. Rursus, si detrimentum sit æquale, restituenda res erit, modò non sit vterq; in

Quæ excusent non restituentem.

Quænam præscribi nō possint.

in extrema necessitate: quo certè casu cessat restituendi obligatio, quia tunc res fit communis, vt rectè obseruauit Greg. à Val. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 7. Quod ad ablatam famam bonam, cessat peculiariter eius reparandæ lex, si iam recuperauerit illam, benéque audiat, quem nequiter infamaueras; vel si non sit verbis tuis fides habita, vel si è vita discesserint ij, apud quos illum traduxisti, vel viuunt quidem, sed non sunt amplius dictorum tuorum memores.

Bona fama in quibus casibus non restituenda.

De præscriptis Prudentiæ circa Misericordiam.

CAPVT II.

§. 1. *Misericordiæ definitio, & partes.*
2. *Circa opera misericordiæ corporalia quid.*
3. *Quid circa spiritualia; ac primò circa correptionem errantium.*
4. *Quid circa institutionem piam ignorantium.*
5. *Quid circa boni consilij administrationem.*
6. *Quid circa preces pro indigentibus offerendas.*
7. *Quid circa mœstorum consolationem.*
8. *Quid denique circa tolerantiam, condonationemque acceptæ iniuriæ.*

} *obseruandum.*

§. 1.

§1. Sanctus Augustinus lib. 9. de Ciuit. cap. 5. & post illum S. Th. 2.2.q.30.a.1. misericordiam definit, *aliena miseria in corde nostro passionem ac tristitiam, inducẽtem nos ad mitigandam eam pro viribus.* Indicat hoc idem satis etymologia nominis, sufficitque ad accipiendam de virtutis huius dignitate coniecturam. Alienas certè miserias defectusque subleuare viri maximè potentis est,& super alios eminentis; vndè misereri ponitur velut Dei Omnipotentis proprium, indicans valdè sublimitatem eius, atque potentiam, sicut orat Ecclesia: *Deus qui potentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*; ad quem proindè peculiariter accedunt, & viros magnos se probant esse, qui hanc eius virtutem egregiè imitantur. Nec abs re M. Tullius in oratione pro Q. Ligario, ex ea deprompsit laudes præcipuas primi illius & potentissimi Imperatoris Iulij Cæsaris, dicens: *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Causam cur alieno malo per misericordiam compatiamur, deque eo tristemur, duplicem affert Aristoteles l. 2. Rhet. c. 8. alteram, quòd alienam miseriam pro nostra ducamus propter vnionem amoris mutui; alteram, quòd metuamus, ne similia nos mala apprehendant. Atque hæc est causa, inquit l. 2. Rhet. cap. 3. cur homines præcipuè misereantur eorum, qui sunt eis coniuncti & similes; quia per hoc fit eis æstimatio, quòd ipsi etiam possint eadem pati; eodémque modo, qui formidolosi sũt, ac debiles; quia imbecillitatis suę cõscij

Misericordia quid.

Misereri proprium Dei omnipotẽtis, & ratio.

Per misericordiam cur compatiamur.

ab eiuſmodi infortuniis in aliis deprehenſis ſibi valdè metuendum intelligunt. Ad miſericordiam contrà parum facti ſint fœlices & potentes; quia tales vix cuiquam malo ſe credũt obnoxios; ſed in opibus ſuis paratum habere antidotum aduerſum mala omnia, quibus alij conflictantur.

Sed fortè aberramus à natura & ratione vera Miſericordiæ; quia ſi talis ſit, qualem deſcripſimus, non erit Deus eius capax, ſicut nec eſt metus & triſtitiæ; cùm tamen appelletur à Propheta, *longanimis, & multùm miſericors.* Sed neque magnam laudem miſericordia merebitur, cùm per eam non contriſtetur homo de alieno malo, vt alienum eſt, ſed vt aliquo modo proprium. Ægrè item ferre videbitur Dei voluntatem; quæ eſt, vt miſeriam ſuſtineant qui miſeri ſunt. Non etiam videri poterit, quòd debita dimittere debitoribus, ſeu veniam dare iis, qui læſerunt nos; actus ſit miſericordiæ; parcendo ſiquidem non contriſtamur, nec eos à miſeria aliqua liberamus. Facilis eſt ad ſingula reſponſio. Deo ineſt, & attribuenda eſt miſericordia, non ſecundùm paſſionis affectum, ſed ſecundum effectum, vt docet S. Th. 1. p. q. 21. a. 3. Non triſtatur Deus, nec triſtari reipſa poteſt, idem tamen circa miſerabiles perſonas facit, quod faceret ſi conſpectis eorum malis maximè triſtaretur. Medicatur, & ſubleuat eorum calamitates, offerendo opportuniſſima remedia ad ſalutem tam mentis quàm corporis, v. g. egenis per opulentos proſpicit,

[Margin notes: Pſal. 102. — *Deo tribuẽda miſericordia quomodò.*]

spicit, iubendo, vt illis hi subueniant; quod si facere negligant, horum duntaxat accusanda est crudelitas & inobedientia. Deus quod ex se est, prouidus satis fuit, non secus ac paterfamilias, qui diceret filio suo maiori: ad amplũ hunc lectum tuum tibi à me attributum, admitte hunc fraterculum tuum, facias straguli tui participem, ne totum ad te trahas. Etsi autem, quando imperfecta adhuc est humana misericordia, homo seipsum potiùs quàm Deũ proximúmque respiciat, nec de malo tristetur alieno, nisi vt aliquo modo suum est, vel illud sibi timet; vbi tamen perfecta euaserit, ad cõpatiendum & suppetias ferendas alienæ miseriæ, mouetur à vera charitate in Deum & proximum; vt scribit idem S. Doctor 2.2.q.32.a.1. & q.36.a.3. Etsi rursus nulla Dei dispositio volentis nos affligi, vel proximos, mali sit consulenda; de ipsa tamen afflictione & miseria quacunque non prohibemur sensum habere naturalem. Tandem qui postulanti inimico suo dat veniam, compatitur humiliationi eius & confusioni; ac prætereà benefacit remittendo pœnam, ad quam iure vocari poterat. Quòd si non postulanti dat illam, adhuc in eum exercet misericordiam, quatenus ob induratam eius mentem grauiter afficitur, atque illum abire sinit immunem à pœna, quam merebatur.

Misericordia exercitia quo respectu facienda.

§.2. In exercendis misericordiæ corporalis exercitiis, ne tã moueare pondere illo sensus naturalis horrentis alienam miseriam, aut sibi

metu

metuentis, quàm Dei iussu volentis & præcipientis, vt onera portemus alter alterius, & nobis mutuo subsidio simus. Ne patiare ociosas & superfluas apud te opes residere proximis in magna egestate constitutis; nec sis vt vulpes, quæ nudæ simiæ partẽ negauit superfluæ caudæ suæ, & terram verrentis.

Si re aliqua tua extremè indigeat proximus ad vitæ conseruationem, nec sit præter te alius, qui ministrare ei velit, aut possit; tu ipse ministra etiam non rogatus & gratis, si actu bona non habet æquipollentia rei tuæ vel operę. (nam si habet, mutuare sufficiet) nec diu expecta, vt videas num alij plus minus tibi facultate pares, ei velint ministrare, quid enim si interim moriatur?

Opera misericordiæ, & quibus prius deferenda.

Cæteris paribus priùs ac potiùs ciba, pota, vesti, sub tectum admitte, sepeli, redime, & in carcere visita affines secundùm carnem, quàm non affines; & Reipublicæ vtiliores, quàm minus vtiles, & indigentiores, quàm minus indigentes (nam & sanguis naturaliter ad membrum confluit affectum grauiùs, & belli Duces de imbecilliore muri parte primã curam suscipiunt) & amicos quàm inimicos, & probiores quàm improbiores, quippè illo virtus maior facit auxilio tuo digniores. *Bonum est sustentare iustum*, ait Eccl. & Matth. 10. legimus: *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

Eccles. 7.

Eleemosyna sit de re propria.

Sit eleemosyna, quã erogas, de substãtia tua, nõ de aliena; quia eleemosyna species quędã est sacrifi

sacrificij,de quo Apostolus:*Talibus hostiis promeretur Deus*.Scriptū autē est:*Qui offert sacrificiũ de substantia pauperum, quasi qui victimat filiũ in cōspectu patris*.Et:*Honora Dominum de tua substantia*.Quid ad te de re nō tua etiã in bonũ finem disponere?Tua verò nō est aliena.Hallucinãtur proindè nō parùm,qui quod furati sunt proximo,vel aliter ei debēt,nolũt reddere,cũ possint verecũdia prohibiti;sed largiũtur pauperibus, vel indè augēt supellectilē sacrã, & se hoc nomine credũt tutissimos. Nō est hoc certè iustitiã colere,nec se à restituẽdi obligatione liberare.Reddẽda sũt Cęsari,quę spectãt ad Cęsarem,quando inueniri ipse ,vel eius hæredes possunt.

Hebr.13. Ecclef. 34. Prou.3.

Caue dederis egenis ea tãtùm , quę apud te sũt vilissima,nec tã quibus des, quã cuius gratia cōsidera:Is Deus tuus est , à quo quicquid habes,accepisti.Imò quidquid pauperi dispensas,illi ipsi erogas,dicenti:*Quod vni ex minimis meis fecistis; mihi fecistis*. Cui proindè in mēdicãtis persona nō nisi deterrima ministrare,hominis est ingrati nimis, & acceptorũ innumerabiliũ beneficiorũ immemoris.Nō ad cuiuscũq; & qualiscũq;buccellę partē Iob sãctus vocabat inopes,sed succulētę illius,qua vescebatur. *Si comedi buccellã meam solus*,inquit,*& non comedit pupillus ex ea*, &c. Nec quomodocũque fouebat illos correptos frigore,sed lanis optimis: *Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum,& absque operimento pauperem: Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum*

Matth. 25. *Iob ex optimis eleemosynas elargiebatur.* Iob.31.

mearum calefactus est, &c. Videns Abraham peregrinos, non quodcumque prandium parare festinauit, sed lautum ac nobile. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera tria sata similæ conspersæ, & fac subcinericios panes: Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero, qui festinauit & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis.* Diximus suprà eleemosynam speciem esse sacrificij; abominabilis autem est ante Deum, qui deteriora offert in sacrificium: de quo argumento legendus Malachias c. 1. à numero 6. vsque ad 9. Quidam, vt scribit M. Tullius, cùm indicasset amico suo thesaurum absconditum, in quo intra massam argenteam continebatur aurea, & inuentor non nisi argenti particulam gratitudinis ergo misisset ad proditorem, expostulauit proditor, dicens: *Nihil de vitello?* Id est, de auro parteque præcipua? Quãtò magis queretur de nobis ingratis Deus quibus optima quæque non indicauit solùm, sed dedit? Verecundis pauperibus occultè benefacito Arcesilai exemplo, qui cum Apellem Chium ægrotare audisset & indigere, inuisit hominem, & decem dracmas afferens, eiq; assidens ait; *Non cubas satis commodè*, simulq; mouẽs illius ceruical clanculum pecuniã subiecit; quã posteà deprehensa risit Appelles & ait: *Arcesilai hoc factum est*.

Gen. 18.

Eleemosyna species sacrificij.

Cicero l. 2. Inuent.

Arcesilai liberalitas in Apellem.

Plut. de discri. amici & adul.

In dando ne fueris iusto segnior, vide vbique in Abrahamo, de quo proximè, piam celeri

celeritatem. Festinat in tabernaculum, currit ad armentum, accelerare iubet Saram vxorem suam. *Bis dat, qui citò* dat; qui verò tardè, ne semel quidem. Nam qui tardè, multum antè rogatur, cúmque preces nummum precio superent, quicquid post multas preces erogatur ab homine, non tam gratis datur quàm venditur. Aliam festinandi causam affert Salomon Prou. 3. incertitudinem mortis: *Ne dixeris; reuersus redi, & dabo tibi. Non enim nosti quid superuentura pariat dies.* Aliam item S. Basilius in illud Lucæ, *destruam horrea*, quòd segnities indicium malignitatis sit, & auaritiæ. *Promittis non vt des posteà, sed vt in præsens propulses.* *Bis dat qui citò.*

Ne fueris item dando tristis, ac morosus, sed *In omni dato tuo hilarem fac vultũ tuum.* Nõ est solùm facienda misericordia, sed diligenda. Mich. 5. quò promptiùs erogetur. Occasionem tibi gratulare conferendi beneficij in obuium pauperem recepturum te in æterna tabernacula. Gauderes in sinu haud dubiè, si apprehenderes mercedis magnitudinem, quæ te ob id manet apud Deum: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Ipsiusmet verba sunt Luc. 6. *Date & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Eccles. 35. Prou. 15.

Vxori, filiis, ancillis tuis ne prohibueris moderatas de substantia tua eleemosynas dare, per illos facies quod te approbante facient & consentiente. Expedit prætereà vt largien-

do manu propria, largiendi habitũ sibi comparent, quo promptè posteà de facultatibus propriis beneficentiã exerceant. Ne dicas, *inops sum; ad diuites, non ad me, nec meos eleemosynarũ lex pertinet*; quia licet lege non tenearis aliquid ei dare, quem paupertate æquas aut superas; secùs tamẽ aliis indigẽtibus, quibus cõparatus nõ inopis habes, sed diuitis speciem.

In benefactis sibi non complacendum.

Vbi alicuius miseriam egregiè subleuaueris, caue *Solem videas cùm fulget*, vt loquitur Iob c. 13. *& Lunam incedentẽ clarè & latetur in abscondito cor tuũ, & osculeris manũ tuam ore tuo, qua est iniquitas maxima.* Id est, caue, ne cum nimia complacentia consideres hæc tua bona opera, quasi valdè admiranda, & à te vno profecta. Ea magis præteri velut minimã tui partem muneris, cui longè maior adiicienda superest. Sic B. Paulus, *qua retrò erant obliuiscens, ad anteriora se extendebat.* Et S. Io. Eleemosynarius ab iis laudatus, in quos sua effundebat, erat dicere solitus: *Quod debui facere feci, & nondum pro te, frater, sanguinem fudi iuxta præceptum Domini.*

Phil. 3.

Beneficium non exprobrandum.

Pauperi ne benefactum exprobraueris, quia pro te orando plus tibi prodest, ac retribuit, quàm tu illi (qui tamen nõ ideò liberatur ab obligatione exhibẽdi se aliter gratũ, si potest; non solùm quia gratitudo quæ precibus continetur, dubia est, eò quòd vtrum & quo animo oret, non satis constat, verumetiam quia nõ dat quicquã eorũ, quæ petit, benefactori) sed neque opus vel obsequiũ aliquod valdè onerosum

nerosum

nerosum ab illo exigas, quia iā non esset eleemosyna, sed operæ conductæ iustum stipendiū. Laude quidē dignū est, non erogare gratis eleemosynā pauperibus, quibus industria viresque suppetunt ad cōparanda sibi vitæ necessaria. Quorsum enim viuant otiosi velut ignaui fuci insidiantes apū mellibus; & quasi ignauæ illę asinę, de quibus Iob. 1. *boues arabant, & asinæ pascebantur?* Ad quid aliena liberalitatē abutantur ad inertiam? Vescantur potiùs in sudore vultus sui pane suo, imitentur fortem illā mulierem, quæ *considerauit semitas domus suæ, & panē ociosā non comedit*. Apostolū dicentē audiant: *Qui non vult operari, nec manducet.* Secus autem si expertes sint eiusmodi viriū: Petere autē, vt pro te orent, nō est malū; quia sicut Deus facilè intendit aures ad imprecationes eorū aduersum diuites, à quibus nihil accipiunt, vt te docebunt verba Eccles. 4. *maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius:* ita planè ad benedictiones, quas magni sēper fecit, & sibi gratulatus est Iob, cū diceret: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimoniū reddebat mihi, eò quòd liberassem pauperē vociferantem, & pupillū, cui non erat adiutor. Bendictio perituri super me veniebat.* Eodē spiritu afflatus Gerson Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius paulò antè obitū mille pauperes duxit ad summum templum B. Virgini sacrum, omnésque iussit post acceptam à se munificam eleemosynam in genua procidere, atque hac communi voce aliquoties iterata

Prou. 31.

2. Thess. 3.

Iob 29.

Gerson per pauperes implorat Dei misericordiam.

diuinam interpellare misericordiam: *Miserere Domine Deus Gersonis serui tui.*

Pudeat te ab iis vinci liberalitate in egenos quos vincis facultatibus. Recordare quid dicat æterna veritas: *Cui plus datum est, plus petent ab eo.* Nec mirum sanè, quia nihil æquius, quã vt plus conferant in subsidia pauperum, qui eo fine plus cæteris à Deo acceperunt. Quomodò se probabunt, & securos facient apud eius tribunal, fidelesque dispensatores acceptorum videri poterunt, si non per proportionem facultatum illa distribuant? Magnam hîc laudem habere dicuntur Reges Franciæ; consueuerunt singulis diebus tot nummos aureos propria manu obuiis dare pauperibus, quot denariis venditus est Christus; hoc est, triginta, ex qua summa resultant quotannis coronati 10950. faciunt id iam fortè per Eleemosynarios suos vel alios; sed haud dubiè exẽpli maioris est ac meriti per se dare, sicut Dorcas illa sanctissima propriis manibus pauperes vestiebat: addo etiam securiùs, ob Eleemosynariorum quorundam perfidiam, ac rapacitatem. Noui ego Principem fœminam, quæ cùm ad ædem venisset S. Nicolai in Lotharingia, suo mandauit, viginti vt nummos aureos mitteret in gazophylaciũ. Ac ille quidem videri voluit tot mittere: cæterùm quidam huic præsens fabulæ mox sociis dixit: *Moriar, si iste aliquid vel amplius quàm florenum miserit* & reuerà deprehensus posteà est non plus intulisse, ac piissimæ Dominæ suæ turpiter

Luc. 12.

Regum Franciæ quotidiana Eleemosyna.

Acto. 9.

ter impoſuiſſe. Ex eodem regno Robertus Capeti filius mille pauperes continuò aluit, eiſque iumenta præbuit, vt ipſum quocumque iret, ſequerentur, proque ipſo vota facerent. Vnde contigit, vt nemo diutiùs, fœliciúſque regnauerit. Sanctus quoque Ludouicus centū & viginti ſibi ſemper aſciuit, & iiſdem cibis aluit, quibus ipſe veſcebatur. Quadrageſimæ diebus duplicabat numerum, atque ita per annos quadragintaquatuor cū ſumma nominis ſui gloria imperauit. Hoc nempè erat Regem agere, & regiam exercere magnificentiam.

Robertus quot pauperes aluit.

S. Ludouicus.

Eleemoſynæ vocem ne contrahas ad cibū & potum ſolùm, ſed extende ad quæcumque alia miſericordiæ opera quæ precio poſſunt æſtimari. Eget quis patrocinio ad innocentiā ſuam tuendam, plectendus capite niſi probetur innocens; tu de Aduocatis vnus ei ſubuenies exploratum habens ius eius, idque gratis ſi opus ſit; aut ſi nolis, dabis ipſe vel diues alius pecuniam, qua comparari patronus queat. Ex morbo decumbit aut lethali vulnere; ſuppetias ei feret medicus impendiis propriis, ſi non ſit alius, qui ſumptus facere velit, aut poſſit. Nudus eſt, vel alget; remediū quæret huic eius miſeriæ qui valebit, maiori certè quàm multi æſtimant; moleſtam enim verecundiam gignit nuditas, & multùm immutatur corpus ingenti frigore, vt videre eſt in colore liuido rigentium manuum. Quippè ſanguis, influxu cuius rubeſcebant, coloris eſt inter album & nigrum: & quidem album

Eleemoſyna ad quid ſeſe extendat.

 partici.

participat ratione innati calidi, nigrũ verò ratione frigidi. Abscedit autẽ magna ex parte calidũ aucto valdè frigore, & consequenter albi participatio, ita restat color liuidus, seu vergens ad nigredinẽ. Quocirca S. Augustinus in epist. 138. inculcat valdè speciem hanc misericordiæ. *Nunciatũ est mihi*, inquit, *quod morẽ vestrũ de vestiendis pauperibus fueritis obliti, ad quã misericordiam cùm præsens essem, vos exhortatus sum, & nunc exhortor.* Et infrà: *Non solùm ergo non debetis minus facere opera misericordiæ, sed etiam debetis amplius quàm soletis.* Peregrinatur quis, nec habet quò se recipiat, esto illi refugiũ, sub culminis tui vmbra requiescat, vt in Domino possis cũ Iob gloriari, ac dicere: *Foris non mansit peregrinus, ostiũ meũ viatori patuit.* Caue ne illud ei claudat auaritia futura tibi perniciosissima, sicut Monacho illi, de quo S. Hieronymus in vita S. Hilarionis. Vir iste sanctus visitaturus monasteria, & multis stipatus discipulis susceptus non est à quodam Monacho sumptus reformidante; sed exclusus cũ sociis, & prohibitus de vinea vuas accipere. Quid contigit? Auarum hominẽ hospitalitatis contemptorem proximis in vindemiis prodigiosè puniuit Deus in acetum conuertens vinum eius totũ. Sabas contra Monachus alius post susceptum humaniter eundem sanctum cum comitibus, ex vineto suo plus triplo collegit quàm solebat.

Iob. 31.

Auarus punitur diuinitus.

Liberalis augetur bonis.

Interim si vir fueris & fortè clericus, fœmina autẽ quæ peregrinatur, seu hospitio indiget,

get; nõ admittes indigenté, quandiu poteris precio vel precibus quærere ei locũ,vel inuenire apud probã aliã. De paupere aliquo tibi renuntiatur pro re leui misso in carceré, vide vt te capiat eius miseratio quasi semimortui. Neque enim carcer à morte multùm differt, præsertim perpetuus. In more habebãt Iudæi, vt se gratos probarent,atque in recordationẽ magni beneficij,quo liberati sunt ab Ægyptiaca seruitute,dimittere vel postulare dimitti in paschate quécũque vinctũ petiuissent. Multò magis nos decet à maiori tyrannide in libertaté perChristũ vindicatos celebrioribus in festis eorũ misereri,qui in ęre nostro sũt,autpro leui à nobis,vel ab aliis detinẽtur in ergastulo.

Carcer à morte multùm non differt.

Denique pauperi quãuis improbo, sed grauiter indigenti eleemosynã ne subtrahas, esto scriptum sit : *Da bono, & non receperis peccatorem, benefac humili, & non dederis impio*:quia licet impio, vt impius est, nihil dandum sit, seu quod eodem redit, in fauorem impietatis, est tamen vt proximo, quem titulũ nulla ei adimere potest improbitas. vt docet S. Th.2.2. q. 25. a. 6. Vndè Aristoteles increpanti cuidam, quod homini malo aliquid erogasset. *Nõ mores*,inquit,*sed hominem commiseratus sum.* Debetur nempe officium, si non eius qui iuuatur meritis, naturæ saltem. Fieri prætereà bonus potest,qui malus est. Deus ipse *Solem suum oriri facit super malos, & pluit super iniustos.*

Improbo etiam danda eleemosyna. Ecclef. 11.

Matth. 5.

§.3.Nunc de operibus misericordiæ spiritualis, ac primum de correptione fraterna,

déque ſtudio reuocandi proximos ab errore viæ ſuæ & ſaluandi. Proderit antè omnia expendere diligenter miſericordiæ huius quanta ſit dignitas, quantum precium. Continet ea Chriſti officium proprium & Apoſtolorũ. *Fidelis ſermo*, ait B. Paulus, *& omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere.* Id autem fieri peccatorem abducendo à via ſua mala, dócet verbis iſtis grauiſſimis S. Iacobus: *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via ſua, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Peccatorum ait, non alienorum modò, ſed propriorum propter inſignem quam exercebit charitatem. Nullum certè officium maius, vtilius, auguſtius, quàm quod exercere voluit & venit Chriſtus. An non magnæ mercedis opus à temporali morte carnẽ eripere aliàs morituram, & ferocem Leonem cicurare? At longè maioris eſt animã ab æterna morte vindicare in cœlo ſemper victuram, & peccatorem probè inſtituere tot habentẽ ferina ingenia, quot vitia. Iudicio, ni fallor, tuo nequaquam tempus tereret, qui vno iactu caperet, ac intra ſagenam ſuam mundum totum concluderet, ſuúmque faceret: Hoc autem, imò plus præſtat, qui pia correptione & monitis peccatorẽ ad bonũ traducit ſtatum. Nam cuiuſque animã toti mundo præponderare, manifeſtè docet illa Chriſti ſententia: *Quid prodeſt homini ſi vniuer*

Opera miſericordiæ ſpiritualis.

1. Tim. 1.

Peccatorem abducendo à via ſua mala.

Iac. 5.

Matth. 16.

vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur; aut quam dabit commutationem pro anima sua? Quemadmodum teterrimũ facit opus, qui peruertit alterũ, erítque anima propria pro anima illius, atque ita damnationẽ subibit, vt sic dicam, duplicem; ita si aliquẽ de malo effecerit bonũ, gemina in cœlo corona donabitur. Imò decem, viginti, centum accipiet, prout paucioribus vel pluribus fuerit salutis author, & odor vitæ in vitam. Singularis laus S. Io. Baptistæ ista fuit: *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum illorũ.* Luc. 1.
Et Dauid ad impetrandam veniam voto isto sese obstringit velut efficacissimo: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Psal. 50.
Quæ cũ ita sint, habebunt profectò in die iudicij, vndè toto corpore contremiscant, velut impij nimis & immisericordes, qui nec vires suas exeruerunt, nec authoritate sua vsi sunt, vt facerent quod scriptum est: *Recupera proximum tuum secundùm virtutem tuam*; hoc Eccles. 29.
est, vt ab hæresi & peccatis aliis grauissimis auocarent illos, quorum se amicos, affinésque iactabant esse, & apud quos valebant plurimùm: Passi sunt contrà, vt in sceleribus suis vitam clauderent & tanquam iumenta in stercore suo volutarentur, ac cõputrescerent. Poterant fratres Ioseph ægrè quidem, absolutè tamen ad illum adducere Beniamin fratrẽ suum minimum. Et quia poterant, comminatus est illis Ioseph: *Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem* Gen. 44.

meam. Scripta sunt hæc ad cautelam nostram. Videamus itaque ne simile quid à summo Iudice audiamus, si neglexerimus eorum promouere salutem, quorum possimus. Ex hac vita ne discedamus priusquam auxiliante Deo saluũ aliquem fecerimus, quem eidem Iudici repræsentare possimus, ac dicere singulatim:

Matth., 25. *Domine, talentum vnum tradidisti mihi, ecce aliud superlucratus sum.* Ipse verò respondeat: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cõstituã, intra in gaudiũ Domini tui.*

Cauendum à perditione propria.

Vide nihilominus, ne intẽpestiuo zelo lucrifaciendi parentes, vel alios in errore versantes, teipsum perditum eas; vt fit quando emendare studes te potentiores, doctiores, argutiores, & in nequitia sua pertinaces, qui te verisimiliter retibus potiùs suis intricabũt: hoc quippè nefas est. Iuberis illis bonus esse atque vtilis; sed ita vt minimè tibi sis perniciosus. Iuberis eos diligere, sed sicut teipsum, non supra teipsum. Vndè post citatam paulò antè sententiam: *Recupera proximum tuum secundùm virtutem tuam*, legimus, *& attende tibi ne incidas*. Negat manifestè Christus, non dico proximi vnius, sed totius mundi lucrum prodesse quicquam ei, qui fecerit animæ suæ detrimentum. Res ipsæ inanimatæ, à quibus ad alias quædam transit vtilitas, sibi primùm consulentes satis ostendunt, quàm refugerent eis prodesse cũ proprio dispendio. Ventriculus ex chylo prius accipit alimentũ necessarium, quàm ad iecur transmittat reliquum: & iecur

ex

ex ſanguine, quē elaborat, quā ipſum diffundi ſinat per venas corporis, vt docet Galenus ad Aphor. 18. lib. 2. Et plantarū trunci ſeu caudices ex ſucco, qui aſcendit à radicibus, quàm ramis illum communicet. Alimentum, quo vtitur prægnans mulier, ſi ei ſoli ſufficiat, ſolam nutrit, ac vegetat; fœtus autem in vtero extinguitur. Vide ne idē tibi contingat, quod infirmis natatoribus, qui dum ſociis penè ſubmerſis, & inter aquas cum morte luctantibus, auxilio volunt eſſe, cum illis ſubmerguntur. Huc pertinet, vt ſi te ad libidinē valdè pronū ſenſeris, ne per te ſtudeas mulierem proſtitutæ libidinis, garrulam, formáque præſtantem ab hoc cœno liberare, ne fortè ſcandalizeris in decore eius, & qui prædari volebas, præda fias. Non eſt prudentis perire velle, vel perditionis adire periculū, ne alij pereant. At nōne Moyſis verba ſunt: *Aut dimitte illis hanc noxā, aut dele me de libro vitæ*, & Pauli Apoſtoli; *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*? Ita planè, ſed nequaquā ſic intelligenda, quaſi conſenſerint in damnationē propriā, ſeu perpetuā à Deo ſeparationē pro ſalute proximorum; ſed duntaxat in proprij mortem corporis, cuius mortis qui damnantur, anathemata interdū appellātur, vt tradit S. Hier. in cap. 14. Zach. Habet autē apud Deum hæc etiā vita non minùs quàm ſpiritualis librum ſuum, ex quo ille à Deo eraditur, qui Dei voluntate, aut permiſſu in hoc mundo perimitur. Salutis, ſeu vitæ propriæ corporalis alia eſt ratio.

Exod. 23.

Rom. 9.

Rectè

Vita corporalis rectè expenditur pro proximo. Rectè exponitur pro spirituali salute proximi, puta peste laborantis, non solùm si aliàs omninò videatur periturus spiritualiter; sed etiã vt commodiùs ac certiùs in bono statu ex hac vita discedat.

Si te iis dotibus credas instructum satis, quibus vtiliter erudire, & errantem potes dirigere, nec te facilè hac obligatione solutũ puta: *Vnicuique mandauit Deus de proximo*, & quemuis admonet Spiritus sanctus: *Ne reuerearis proximũ in casu suo, nec retineas verbũ in tempore salutis.* Et, *Argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum.* Obligationis huius causam insinuat, & tangit S. Bernardus, dicens: *Nemo, fratres, vitia palpet; est enim consentire sceleri non arguere; & scimus: quia similis pœna facientes manet, & consentientes.* Potest & ratio peti à lege charitatis, quæ si non est in eo, qui fratri suo indicare contemnit probrosam notam quàm in eius obseruat facie, multò minùs in eo, qui turpissimam peccati maculam non declarat ignoranti, aut vt eluatur, verbis non adlaborat. At inutilis futura est admonitio. Caue id facilè suspiceris, cùm vtilissimè præter omnem ferè expectationem obiurgati, & moniti sint à Nathan & Gad Prophetis Rex Dauid, à Samuele Rex Saul, & Heli summus Sacerdos, ab Helia Achab; à Ionatha idem Saul, ab Innocẽtio Papa Arcadius Imperator, à S. Ambrosio Theodosius Magnus. Si tamen valdè præsentires non correptum, sed exulceratum

Ecclef. 4.
Leuit. 19.
Matth. 18.
S. Bernard. serm. de natiuit. Io. Bapt.

cetatum iri fratrem admonitione & censura tua,rectè illam prætermiseris : quia *acetum in nitro,qui cantat carmina cordi pessimo.* Sicut enim nitrum salis species si perfundatur aceto, crepitat : sic improbus admonitione fit deterior. Vndè etiã legimus Prou. 9. *Noli arguere derisorem , ne oderit te.* Et Eccles. 32. *Vbi non est auditus , ne effundas sermonem.* Et Matth. 7. *Ne mittatis margaritas antè porcos, ne conculcent eas pedibus, & conuersi diripiant vos.* Eodem spectat illud Salustij in procemio belli Iugurth : *Frustra niti , neque aliud se fatigando, quàm odium quærere, extrema dementia est.* Prou. 15.

Emendaturus aliquem culpa laborantem, qua ipse constringeris, pone tibi antè oculos auream Ciceronis sententiam : *Culpa vacare debet, qui in aliũ paratus est dicere.* Excute priùs culpam propriam, quam alteri dissuadeas, ne ridiculè & sine fructu id tentes facere,atq; ab indignante audias: *Medice cura teipsum*:vel *Hypocrita,eiice primùm festucam de oculo tuo.* Nitente oratore Gorgia suadere Græcis concordiam, dissuadere simultates : Exclamauit Melanthus : *Hic nobis author est pacis , qui nundum persuasit vxori, & ancillæ, vt consentiant.* De S. Basilio memoriæ proditum in eius vita apud Greg. Naz. nihil ei fuisse priùs , quàm facere quod præscribebat,procul fugere quod reprobabat: *Quæ scripsit & docuit,exemplo, vita , moribus ostendebat : quandoquidẽ neutrum sine altero prodesse cognoscebat.* Huc referendum nobile illud Senecæ pronunciatũ : *Longum est iter* *Culpa propria eluenda priùs.* Luc. 4. & 5. Sen. epist. 6.

per

per præcepta, breue per exempla. Iniusta, & in speciẽ falsa, ob idque inefficax, & odiosa est illorũ adhortatio, qui dicunt, & nõ faciunt. Iniusta quidẽ, quia imponere tentant in humeros hominũ onera grauia, quæ nolunt, nec dignantur digito suo cõtingere. Falsa verò, quia præsumunt homines quemuis de seipso sollicitũ id amplecti, quod bonũ; fugere autem, quod ex animo, reipsaque iudicat malũ; proindéque mẽtiri ipsum quoties à verbis mores dissentiunt, suadétque ac pro bono ostẽtat, quod nõ facit; dissuadet autẽ tanquã malũ quod facit.

Opportunum tempus obseruare memento ad medicandum, quale non est iracundiæ, vel alterius grauioris perturbationis, seu propriæ seu alienæ:

Ouid. l. de remed. Amoris.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt:
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritésque vetando;
Temporibus si non aggrediare suis.

Vndè in lege veteri differebatur Cirumcisio vsque ad octauũ diem; quia, vt tradit Aristoteles lib. 7. de hist. an. cap. 12. tenerrimus est fœtus toto tempore quod antecedit. Olitoribus lex dicitur, ne sub ardente sole plantas irrigẽt; quia tunc propter caloris copiã radicalis plantarũ humor absumitur, ideoque languent primùm, deindè intereunt. Hypocratis autem Medicorum principis præscriptum his, quæ dicimus, affine est; *cùm morbi vis est maxima, vtendum victu tenuissimo.* Et, *In morbis acutis* raro

Hypocr. l. 1. Aph. 8. & 24.

rarò vtendum medicamento purgante, nec verò id nisi consideratò faciendum.

Tibi proximum corripienti æqualem aut superiorem, sint in ore mellita verba, ne aliàs correptio videatur non à ratione, & beneuolentia; sed ab odio, fastúque proficisci, eámque ob causam fiat intolerabilis. Nam similiter ad sanandum ineptior incisio est, quæ fit ferro, quàm quæ ære, vt scribit Philosophus sect.1. probl.24. quia ferrum citiùs, atque immitiùs dissoluit continuũ, quam æs; atque ita dolorẽ parit grauiorẽ; præterquàm quod magis recedit à complexione carnis, cùm sit ære frigidius, ac siccius. Præscribit humanũ hunc correptionis modum S. August. *Nunquam,* inquit, *alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidè nobis coram Deo responderimus dilectione nos facere.* Vtiliter Naaman Syrię Principem serui eius corripuerunt indignantem, & posthabito Elisæi mandato volentem recedere: sed vndè hoc, nisi quia magna cũ charitate, & reuerentia dixerunt ei: *Pater, etsi rem grauem tibi dixisset Propheta, vtique facere debueras; quantò magis quia dixit tibi, lauare in Iordane septies?* Infestissimũ quoq; Dauidi Saul parẽtẽ suũ placauit Ionatas, sed his verbis modestissimis iuxta, ac mitissimis. *Ne pecces Rex in seruũ tuũ Dauid; quia non peccauit tibi, & opera eius bona sũt tibi valdè, & posuit animã suã in manu sua, & percussit Philistaũ. Vidisti & lætatus es: quare ergo peccas in sanguine innoxio*

Mellita verba adhibenda.

S. August. in cap.4. ad Galat.

4. Reg. 5.

1. Reg. 19.

nomini tuo iussisti, pacem amisisti conscientiæ *factus tibimetipsi grauis, & peccatum tuum contra te semper*, induisti prauos habitus, obnoxium te fecisti pœnis grauissimis in hac vita luendis, vel altera; Diabolum denique lætificasti nunc de te subacto gloriantem, tibique à tergo velut prædæ suæ insistentem. Quantò satiùs erat constanter stare in timore Domini, & non extendere manus ad iniquitatem? Hoc si fecisses, fruereris nunc dulci recordatione seruatæ virtutis, & adeptæ victoriæ. His accedunt iactura rei familiaris, mœror non vulgaris, quo necessarios tuos respersisti, tui detrimentum corporis, ignominia publica. O si scires quàm sis vulgi fabula, quomodò te absentem vituperant, nasóque suspendunt etiam illi, qui coram laudare videntur & colere, stuperes vtique longè alius fieri. Redundat infamia hæc tota in progenitores & auos tuos, qui si præuidissent tam dissimilem ex se prolem nascituram, continuissent se fortè, ne vnquam nasceretur. Cur quos virtute facilè anteire possis, si velles, non saltem æquare studes, sed vitio tuo obscuras atque contaminas? cur tam præclaro ingenio abuteris? Itaque, charissime, vt faciam dicendi finem, *quiesce peruersè agere*, discito benè facere, à cœno resili quod ingressus es, priusquàm in profundum venias, vndè reuocare gradum ingens planè opus & labor sit: Feras, quæ dixi, æquo animo; indè ne me oderis, sed magis ama, & quoties tibi in mentem venero, toties eadem à me suggeri

quousque

quousque ad meliorem te frugem receperis, puta.

Hac modestissima forma si vti vellemus omnes ad inuicem, cessaret quoduis offensionis periculum, & salutares essemus quamplurimis; sed vmbram nostram metuimus, nihil in nobis veræ magnanimitatis, nihil solidæ erga fratres beneuolentiæ. Laborauit aliquando defectu isto Isaias, propter quem ingemuit posteà, dicens cap. 6. *Va mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*, quando videlicet omisit Oziam Regem inconcessa tentantem reprehendere, cùm satis commodè posset, ob prosapiam regiam, quippè Amos pater eius frater fuit Amasiæ Regis Iuda. Se itaque accusat, quòd non reprehenderit, & habere dicit polluta labia, quia sicut polluuntur loquendo quod non decet, ita non efferendo, quod expedit, estque necesse. Denique si subditi nostri sint, qui correptione indigent, iique parum ingenui, aut dociles; accersenda erit seueritas, iure nostro vtendum, nec parcendum minis efficacibus; nam reuera ingenia eiusmodi quo tractantur mitiùs, magis insolescunt, timeri se rata vel magnifieri.

§. 4. Quod ad doctrinam ignorantium. Tu eos semper accuratiùs excolito, quos Ecclesiæ Dei vel Reipublicæ amplius suo tempore profuturos coniicies, vt Clericos, principes, nobiles, diuites, ingenio pollentes, quàm alios, vel qui te sibi ob collata beneficia magis *In docendo quinā præferendi.*

obstri

déque studio reuocandi proximos ab errore viæ suæ & saluandi. Proderit antè omnia expendere diligenter misericordiæ huius quanta sit dignitas, quantum precium. Continet ea Christi officium proprium & Apostolorū. *Fidelis sermo*, ait B. Paulus, *& omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundū peccatores saluos facere.* Id autem fieri peccatorem abducendo à via sua mala, docet verbis istis grauissimis S. Iacobus: *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Peccatorum ait, non alienorum modò, sed propriorum propter insignem quam exercebit charitatem. Nullum certè officium maius, vtilius, augustius, quàm quod exercere voluit & venit Christus. An non magnæ mercedis opus à temporali morte carnē eripere aliàs morituram, & ferocem Leonem cicurare? At longè maioris est animā ab æterna morte vindicare in cœlo semper victuram, & peccatorem probè instituere tot habentē ferina ingenia, quot vitia. Iudicio, ni fallor, tuo nequaquam tempus tereret, qui vno iactu caperet, ac intra sagenam suam mundum totum concluderet, suúmque faceret: Hoc autem, imò plus præstat, qui pia correptione & monitis peccatorē ad bonū traducit statum. Nam cuiusque animā toti mundo præponderare, manifestè docet illa Christi sententia: *Quid prodest homini si vniuer*

Opera misericordiæ spiritualis.
1. Tim. 1.
Peccatorem abducendo à via sua mala.
Iac. 5.
Matth. 16.

vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur ; aut quam dabit commutationem pro anima sua? Quemadmodum teterrimũ facit opus, qui peruertit alterũ, eritque anima propria pro anima illius, atque ita damnationẽ subibit, vt sic dicam, duplicem; ita si aliquẽ de malo effecerit bonũ, gemina in cœlo corona donabitur. Imò decem, viginti, centum accipiet, prout paucioribus vel pluribus fuerit salutis author, & odor vitæ in vitam. Singularis laus S. Io. Baptistæ ista fuit : *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum illorũ.* Luc. 1.
Et Dauid ad impetrandam veniam voto isto sese obstringit velut efficacissimo: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Psal. 50.
Quæ cũ ita sint, habebunt profectò in die iudicij, vndè toto corpore contremiscant, velut impij nimis & immisericordes, qui nec vires suas exeruerunt, nec authoritate sua vsi sunt, vt facerent quod scriptum est : *Recupera proximum tuum secundùm virtutem tuam* ; hoc Eccles. 29.
est, vt ab hæresi & peccatis aliis grauissimis auocarent illos, quorum se amicos, affinésque iactabant esse, & apud quos valebant plurimùm: Passi sunt contrà, vt in sceleribus süis vitam clauderent & tanquam iumenta in stercore suo volutarentur, ac cõputrescerent. Poterant fratres Ioseph ægrè quidem, absolutè tamen ad illum adducere Beniamin fratrẽ suum minimum. Et quia poterant, comminatus est illis Ioseph: *Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem* Gen. 44.
 meam

meam. Scripta sunt hæc ad cautelam nostram. Videamus itaque ne simile quid à summo Iudice audiamus, si neglexerimus eorum promouere salutem, quorum possimus. Ex hac vita ne discedamus priusquam auxiliante Deo saluũ aliquem fecerimus, quem eidem Iudici repræsentare possimus, ac dicere singulatim: *Domine, talentum vnum tradidisti mihi, ecce aliud superlucratus sum.* Ipse verò respondeat: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cõstituã, intra in gaudiũ Domini tui.*

Matth., 25.

Cauendum à perditione propria.

Vide nihilominus, ne intẽpestiuo zelo lucrifaciendi parentes, vel alios in errore versantes, teipsum perditum eas; vt fit quando emendare studes te potentiores, doctiores, argutiores, & in nequitia sua pertinaces, qui te verisimiliter retibus potiùs suis intricabũt: hoc quippè nefas est. Iuberis illis bonus esse atque vtilis; sed ita vt minimè tibi sis perniciosus. Iuberis eos diligere, sed sicut teipsum, non supra teipsum. Vndè post citatam paulò antè sententiam: *Recupera proximum tuum secundùm virtutem tuam,* legimus, *& attende tibi ne incidas.* Negat manifestè Christus, non dico proximi vnius, sed totius mundi lucrum prodesse quicquam ei, qui fecerit animæ suæ detrimentum. Res ipsæ inanimatæ, à quibus ad alias quædam transit vtilitas, sibi primùm consulentes satis ostendunt, quàm refugerent eis prodesse cũ proprio dispendio. Ventriculus ex chylo prius accipit alimentũ necessarium, quàm ad iecur transmittat reliquum: & iecur ex

ex ſanguine, quẽ elaborat, quã ipſum diffundi ſinat per venas corporis, vt docet Galenus ad Aphor.18.lib.2. Et plantarũ trunci ſeu caudices ex ſucco, qui aſcendit à radicibus, quàm ramis illum communicet. Alimentum, quo vtitur prægnans mulier, ſi ei ſoli ſufficiat, ſolam nutrit, ac vegetat; fœtus autem in vtero extinguitur. Vide ne idẽ tibi contingat, quod infirmis natatoribus, qui dum ſociis penè ſubmerſis, & inter aquas cum morte luctantibus, auxilio volunt eſſe, cum illis ſubmerguntur. Huc pertinet, vt ſi te ad libidinẽ valdè pronũ ſenſeris, ne per te ſtudeas mulierem proſtitutæ libidinis, garrulam, formáque præſtantem ab hoc cœno liberare, ne fortè ſcandalizeris in decore eius, & qui prædari volebas, præda fias. Non eſt prudentis perire velle, vel perditionis adire periculũ, ne alij pereant. At nõne Moyſis verba ſunt: *Aut dimitte illis hanc noxã, aut dele me de libro vitæ*, & Pauli Apoſtoli; *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*? Ita planè, ſed nequaquã ſic intelligenda, quaſi conſenſerint in damnationẽ propriã, ſeu perpetuã à Deo ſeparationẽ pro ſalute proximorum; ſed duntaxat in proprij mortem corporis, cuius mortis qui damnantur, anathemata interdũ appellãtur, vt tradit S. Hier. in cap. 14. Zach. Habet autẽ apud Deum hæc etiã vita non minùs quàm ſpiritualis librum ſuum, ex quo ille à Deo eraditur, qui Dei voluntate, aut permiſſu in hoc mundo perimitur. Salutis, ſeu vitæ propriæ corporalis alia eſt ratio.

Exod. 23.

Rom. 9.

Rectè

Vita corporalis rectè expenditur pro proximo. Rectè exponitur pro spirituali salute proximi, puta peste laborantis, non solùm si aliàs omninò videatur periturus spiritualiter; sed etiã vt commodiùs ac certiùs in bono statu ex hac vita discedat.

Si te iis dotibus credas instructum satis, quibus vtiliter erudire, & errantem potes dirigere, nec te facilè hac obligatione solutũ puta: *Vnicuique mandauit Deus de proximo*, & quemuis admonet Spiritus sanctus: *Ne reuerearis proximũ in casu suo, nec retineas verbũ in tempore salutis.* Et, *Argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum.* Obligationis huius causam insinuat, & tangit S. Bernardus, dicens: *Nemo, fratres, vitia palpet; est enim consentire sceleri non arguere; & scimus: quia similis pœna facientes manet, & consentientes.* Potest & ratio peti à lege charitatis, quæ si non est in eo, qui fratri suo indicare contemnit probrosam notam quam in eius obseruat facie, multò minùs in eo, qui turpissimam peccati maculam non declarat ignoranti, aut vt eluatur, verbis non adlaborat. At inutilis futura est admonitio. Caue id facilè suspiceris, cùm vtilissimè præter omnem ferè expectationem obiurgati, & moniti sint à Nathan & Gad Prophetis Rex Dauid, à Samuele Rex Saul, & Heli summus Sacerdos, ab Helia Achab; à Ionatha idem Saul, ab Innocẽtio Papa Arcadius Imperator, à S. Ambrosio Theodosius Magnus. Si tamen valdè præsentires non correptum, sed exulceratum

Eccles 4.
Leuit. 19.
Matth. 18.
S. Bernard. serm. de natiuit. Io. Bapt.

cetatum iri fratrem admonitione & censura tua, rectè illam prætermiseris: quia *acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Sicut enim nitrum salis species si perfundatur aceto, crepitat: sic improbus admonitione fit deterior. Vndè etiã legimus Prou. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Et Eccles. 32. *Vbi non est auditus, ne effundas sermonem.* Et Matth. 7. *Ne mittatis margaritas antè porcos, ne conculcent eas pedibus, & conuersi diripiant vos.* Eodem spectat illud Salustij in procemio belli Iugurth: *Frustra niti, neque aliud se fatigando, quàm odium quærere, extrema dementia est.* Prou. 15.

Culpa propria eluenda priùs.

Emendaturus aliquem culpa laborantem, qua ipse constringeris, pone tibi antè oculos auream Ciceronis sententiam: *Culpa vacare debet, qui in aliũ paratus est dicere.* Excute priùs culpam propriam, quam alteri dissuadeas, ne ridiculè & sine fructu id tentes facere, atq; ab indignante audias: *Medice cura teipsum:* vel *Hypocrita, eiice primùm festucam de oculo tuo.* Nitente oratore Gorgia suadere Græcis concordiam, dissuadere simultates: Exclamauit Melanthus: *Hic nobis author est pacis, qui nundum persuasit vxori, & ancillæ, vt consentiant.* De S. Basilio memoriæ proditum in eius vita apud Greg. Naz. nihil ei fuisse priùs, quàm facere quod præscribebat, procul fugere quod reprobabat: *Quæ scripsit & docuit, exemplo, vita, moribus ostendebat: quandoquidẽ neutrum sine altero prodesse cognoscebat.* Huc referendum nobile illud Senecæ pronunciatũ: *Longum est iter* Luc. 4. & 5. Sen. epist. 6.

per

per præcepta, breue per exempla. Iniusta, & in speciẽ falsa, ob idque inefficax, & odiosa est illorũ adhortatio, qui dicunt, & nõ faciunt. Iniustã quidẽ, quia imponere tentant in humeros hominũ onera grauia, quæ nolunt, nec dignantur digito suo cõtingere. Falsa verò, quia præsumunt homines quemuis de seipso sollicitũ id amplecti, quod bonũ; fugere autem, quod ex animo, reipsaque iudicat malũ; proindéque mẽtiri ipsum quoties à verbis mores dissentiunt, suadétque ac pro bono ostẽtat, quod nõ facit; dissuadet autẽ tanquã malũ quod facit.

Opportunum tempus obseruare memento ad medicandum, quale non est iracundiæ, vel alterius grauioris perturbationis, seu propriæ seu alienæ:

Ouid. l. de remed. Amoris.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt:
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritésque vetando;
Temporibus si non aggrediare suis.

Vndè in lege veteri differebatur Cirumcisio vsque ad octauũ diem; quia, vt tradit Aristoteles lib. 7. de hist. an. cap. 12. tenerrimus est fœtus toto tempore quod antecedit. Olitoribus lex dicitur, ne sub ardente sole plantas irrigẽt; quia tunc propter caloris copiã radicalis plantarũ humor absumitur, ideoque languent primùm, deindè intereunt. Hypocratis autem Medicorum principis præscriptum his, quæ dicimus, affine est; *cùm morbi vis est maxima, vtendum victu tenuissimo.* Et, *In morbis acutis raro*

Hypocr. l. 1. Aph. 8. & 24.

ratò vtendum medicamento purgante, nec verò id nisi consideratò faciendum.

Tibi proximum corripienti æqualem aut superiorem, sint in ore mellita verba, ne aliàs correptio videatur non à ratione, & beneuolentia; sed ab odio, fastúque proficisci, eámque ob causam fiat intolerabilis. Nam similiter ad sanandum ineptior incisio est, quæ fit ferro, quàm quæ ære, vt scribit Philosophus sect.1. probl.24. quia ferrum citiùs, atque immitiùs dissoluit continuũ, quam æs; atque ita dolorẽ parit grauiorẽ; præterquàm quod magis recedit à complexione carnis, cùm sit ære frigidius, ac siccius. Præscribit humanũ hunc correptionis modum S. August. *Nunquam*, inquit, *alieni peccati obiurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidè nobis coram Deo responderimus dilectione nos facere.* Vtiliter Naaman Syriç Principem serui eius corripuerunt indignantem, & posthabito Elisæi mandato volentem recedere: sed vndè hóc, nisi quia magna cũ charitate, & reuerentia dixerunt ei: *Pater, etsi rem grauem tibi dixisset Propheta, vtique facere debueras; quantò magis quia dixit tibi, lauare in Iordane septies?* Infestissimũ quoq; Dauidi Saul parẽtẽ suũ placauit Ionatas, sed his verbis modestissimis iuxta, ac mitissimis. *Ne pecces Rex in seruũ tuũ Dauid; quia non peccauit tibi, & opera eius bona sũt tibi valdè, & posuit animã suã in manu sua, & percussit Philistæũ. Vidisti & lætatus es: quare ergo peccas in sanguine innoxio*

Mellita verba adhibenda.

S. August. in cap.4. ad Galat.

4. Reg.5.

1. Reg. 19.

innoxio interficiens Dauid, qui est absque culpa? Quas ob culpas corripi à te proximum oporteat, nihil necesse est in præsentia laboriosè disquirere, cùm satis constet obligationẽ hanc lethales solùm respicere, aut præcauendas; aut si iam præterierunt, expiandas; eò quòd per veniales propriè non perit proximus. Expedit tamen etiam tales in pueris insectari, tũ quia citissimè illorũ animos disponunt ad grauiores, tum quia sæpè ab illis leues creduntur esse, cùm non sint. Videtur porrò correptionis communis aptissima forma quæ sequitur. Domine mi; vel charissime, aliquid est è re tua, quod insinuarem tibi libenter pro mea in te beneuolentia, & charitatis lege, quæ me obstrictum tenet: sed stat mihi non antè id facere, quàm dederis mihi ex animo aperiendi facultatem, & promiseris boni te consulturum quæ dixero, vt omnino debes; quia iterũ profiteor nulla me alia re moueri, quàm emolumẽti honorísque tui desiderio; & paratum esse vicissim ex te audire, quæ ad vtilitatẽ meam mihi significanda censueris. Accedes demum ad rei caput (quippè tã rusticus nõ erit, inurbanus, intractabilis, vt aures dare abnuat tãta vtẽti modestia: quod si abnueret, dicito exonerasse te conscientiam tuam, functum fuisse amici boni munere; ipsum autem minimè, qui audire contemnat amicum monitorem) & sic alloqueris auscultantem: Certò audio (neque enim alia quàm certa, & grauia debes corrigenda suscipere) te hoc moliri, vel hoc perpetrasse

Correptionis fraternæ formula.

perpetrasse, vel hoc vitio laborare; idque, vt interpretor, ex infirmitate potiùs,& inaduertentia, quàm destinata malicia, quo nomine magnam curationis tuæ spem concipio. Deteriùs interim tecum agitur quàm putas. In hoc statu si te mors deprehenderit, vt potest sanè quacumque hora, quò te rapiet, nisi ad tribunal seuerissimi Iudicis,qui talia sub æternæ pœna mortis fieri prohibuit? Indè verò quò amandaberis, nisi ad locum reproborum: *Vbi vermis eorum non moritur,& ignis non extinguitur?* Somnia non sunt, quæ tibi commemoro, sed irrefutabilem habent veritatem, subnixam diuinis literis: Et cùm sint verissima, quomodò Dei iudicia non perhorrescis, quomodò facti tui non te pudet, vidente illo, quod à me videri vel alio non sustineres? Puniuit hactenus complures similis reos insaniç, nec tamen ad illorum pœnas trepidas? Quasi personarum acceptor esset tibi potiùs quàm illis parciturus. Vndè hæc periculosa præsumptio, nisi ex eo quod impensè nimis tibi blandiris,& plus æquo teipsũ amas,& palpas? Noli,obsecro,vltrà abuti diuina misericordia,quç sola te retinet,ne iã iam ruas in interitũ. Resipisce,aliam mẽtẽ indue, priusquàm fiat plaga insanabilis. Quã vtilitatẽ habes, in iis,in quibus nunc erubescis? Quẽ tibi fructum attulit error,quo de agimus? Ecce præteriit illius vanitas,& insana iucunditas:Deũ offendisti,Angelos contristasti, cœlum tibi clausisti, animã tuam sauciasti lethaliter, ignominiæ notam

Marc.9.

Ex peccato quot mala sibi creet peccator.

nomini tuo iussisti, pacem amisisti conscientiæ *factus tibimetipsi grauis, & peccatum tuum contra te semper,* induisti prauos habitus, obnoxium te fecisti pœnis grauissimis in hac vita luendis, vel altera; Diabolum denique lætificasti nunc de te subacto gloriantem, tibique à tergo velut prædæ suæ insistentem. Quantò satiùs erat constanter stare in timore Domini, & non extendere manus ad iniquitatem? Hoc si fecisses, fruereris nunc dulci recordatione seruatæ virtutis, & adeptæ victoriæ. His accedunt iactura rei familiaris, mœror non vulgaris, quo necessarios tuos respersisti, tui detrimentum corporis, ignominia publica. O si scires quàm sis vulgi fabula, quomodò te absentem vituperant, nasóque suspendunt etiam illi, qui coram laudare videntur & colere, stuperes vtique longè alius fieri. Redundat infamia hæc tota in progenitores & auos tuos, qui si præuidissent tam dissimilem ex se prolem nasciturum, continuissent se fortè, ne vnquam nasceretur. Cur quos virtute facilè anteire possis, si velles, non saltem æquare studes, sed vitio tuo obscuras atque contaminas? cur tam præclaro ingenio abuteris? Itaque, charissime, vt faciam dicendi finem, *quiesce peruersè agere*, discito benè facere, à cœno resili quod ingressus es, priusquàm in profundum venias, vndè reuocare gradum ingens planè opus & labor sit: Feras, quæ dixi, æquo animo; indè ne me oderis, sed magis ama, & quoties tibi in mentem venero, toties eadem à me suggeri

quous

quoufque ad meliorem te frugem recepe-tis, puta.

Hac modeftiffima forma fi vti vellemus omnes ad inuicem, ceffaret quoduis offenfio-nis periculum, & falutares effemus quamplu-rimis; fed vmbram noftram metuimus, nihil in nobis veræ magnanimitatis, nihil folidæ erga fratres beneuolentiæ. Laborauit aliquan-do defectu ifto Ifaias, propter quem ingemuit poftea, dicens cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego fum*, quando videlicet o-mifit Oziam Regem inconceffa tentantem reprehendere, cùm fatis commodè poffet, ob profapiam regiam, quippè Amos pater eius frater fuit Amafiæ Regis Iuda. Se itaque accu-fat, quòd non reprehenderit, & habere dicit polluta labia, quia ficut polluuntur loquen-do quod non decet, ita non efferendo, quod expedit, eftque neceffe. Denique fi fubditi noftri fint, qui correptione indigent, iique parum ingenui, aut dociles; accerfen-da erit feueritas, iure noftro vtendum, nec parcendum minis efficacibus; nam reuera ingenia eiufmodi quo tractantur mitiùs, magis infolefcunt, timeri fe rata vel magni-fieri.

§. 4. Quod ad doctrinam ignorantium. Tu eos femper accuratiùs excolito, quos Ecclefiæ Dei vel Reipublicæ amplius fuo tempore profuturos conijcies, vt Clericos, principes, nobiles, diuites, ingenio pollentes, quàm a-lios, vel qui te fibi ob collata beneficia magis

In docendo quinā præ-ferendi.

obstrictum tenent. Sic Paulum futurum doctorem gentium singulari sapientia donauit Christus, & Sergium Paulum proconsulem magnæ authoritatis virum idem Apostolus peculiari cura excoluit, studuitque ad fidem conuertere, ob insignem quam indè sperabat Euangelij dilatationem, adeóque eius conuersionem sibi est gratulatus, vt eódem nomine insigniri voluerit, seu Paulus dici, cùm prius Saulus diceretur; vt scribunt S. Hieron. in epist. ad Philemonem, & S. August. l. 8. Conf. c. 4. Sic S. Ambrosij præcipua quædam cura fuit hunc ipsum S. Augustinum, & S. Augustini Victorinum Rhetorem illum celeberrimũ Christo lucrifacere. Ipsæmet brutæ animantes nobiliorum fœtuum suorum curã gerunt grauiorem: vnde venatores obseruant diligenter, cuinam catulo suo Canis fœmina præcipuè prospiciat, cui primùm consulat imminente damno aut periculo; quem primò transferat de loco vno in alium; atque indè ratiocinantur hunc futurum optimum omnium, quod etiam posteà semper confirmat experientia.

S. Paulus cur sic vocatus.

Noueris prætereà scientiam in alios ex misericordia transferendam, sacram tantùm esse, non profanam; nisi quatenus ad sacram referatur. Alterius siquidem ignorantia non est magna miseria, imò sæpè fit, vt qui eam non tenent, surgant currántque præ cæteris, & cœlum rapiant, in quo innumerabiles beatissimè viuunt, nulla olim apud nos imbuti Grammatica, Rhetorica, Philosophia naturali, Mathesi,

ſi, Medicina, Iuriſprudentia. Doctrina autem Sacra, ſeu Chriſtiana, ſcientia eſt Sanctorum; ignorari non poteſt ſine detrimento maximo: dicit enim Apoſtolus 1. Corinth. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Nunquam docetur ſine ingenti docentis doctique merito, de quo Dan. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Tam nobilem auguſtamque ſcientiam diſpenſant maximè Theologi, Concionatores, & Catechiſtæ Catholici, adhortatores pij, & librorum ſcriptores de rebus religionis ac fidei; deque virtutibus reliquis. Hanc ſe populo ſuo tradere gloriatur Deus apud Iſaiam 48. dicens: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia.* Vide proindè, nunquam vt dicas è Sacra tripode ocioſa, curioſa, inania; ſed quæ meram redolent pietatem, ſtudiumque virtutum. Cætera tanquam inutilia, vanáque deuita iuxta præſcriptum Apoſtoli, Tit. 3.

Doctrina Christiana scientia Sanctorum.

Quò certiùs proſis plurimis, gratis ſi potes; excole, doce, inſtrue auditores tuos exemplo Chriſti & Apoſtoli; ne ſi ſtipendium admiſeris, eius amore potiùs incitari te ad docendum putent, quàm zelo ſalutis eorum, aut charitate in Deum & proximum. Nihil accipiens à conciuibus & diſcipulis ſuis Medicorum Princeps Hypocrates, inter Deos à priſca gentilitate eſt relatus. Sed & pluris te facient, quem videbunt non ſtudere propriis commodis, magis per os tuum loqui Deum arbitrabuntur,

Hypocrates inter Deos relatus.

atque ita verbo tuo plus tribuent, auscultabunt pronioribus auribus, corripientur à te liberiùs, quem muneribus nullis sibi obstrinxerint. Sed quia non omnes capiunt verbum istud, concessit Christus, vt qui altari seruit, de altari viuat, sequatur merces sua operariũ, nec idcircò putent Laici præstare se magnum aliquid ministrando carnalia ministrantibus sibi spiritualia. Concessit, inquam, sed non præcepit. Et vt concesserit, honestam vitæ sustentationem expectare ac quærere; nullo tamen modo lucrum, cui se inhiare ostendunt, qui nimis seipsos commendant auditorum eleemosynis, vel ditiores duntaxat affectant cathedras, indéque gloriantur & superbiunt.

Bonum à docẽte priùs faciendum.

Ne scientia te tua confundat, bonum facito quod doces, à malo recede quod dissuades, quia docendo benè & viuendo malè, Deum instrues quomodò te debeat ex ore tuo condemnare. Vix prætereà eos qui te audient, inducere ad capessendum bonum poteris, quod ipse neglexeris, habituros in exẽplo tuo malo excusationem præsentissimam. Nam cum virtutes in arduo sitæ sint, in plano vitia, ad illas amplectendas vix mouetur auditor exemplo bono propter difficultatem; in ista autem ex se iam pronus citissimè proruit taliũ operatione prouocatus, à quorum censuris nihil sibi timẽdum videt, propter participationem sceleris, cùm in eo qui reprehendit alterum, oporteat integritatem esse, atque innocentiam. *Neque enim minus aliquid ferendum, quàm rationẽ ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere.*

Cicero 3. Verr.

citò contẽnitur,qui declinat à religione officij,ob quam violatam obiurgat cæteros.In arte ipsa Oratoria dictioni præfertur actio: *Actio in dicendo vna dominatur, sine hac summus esse orator nullus potest, mediocris hac instructus summos sæpè superauit*. Gallũ imitare, qui cũ edere cantus parat, priùs alas solerter excitat, & seipsũ feriens reddit solertiorẽ. Nemo personã rectè suscipit monitoris, nisi qui errata condemnat moribus suis: Nemo te contemnat ac rideat; quod sanè facturus est, quisquis laborantẽ videbit vitiis quæ reprobaueris, & dedocenda susceperis. Nam si malè affecto Medico probrosum est,curare velle alios, cùm ipse debilis sit,& propriæ testimoniũ infirmitatis suo portet in corpore;cur non etiã doctori culpas insectanti quas admittit ipse,carpit autẽ in aliis? Lacedæmone ciuis quidam,cui nomen Demosthenes,consilium excogitauit Reipublicæ salutare,vt scribit Plut. in Politicis: sed cùm illum populus sciret esse improbissimum, vetuerunt Ephori, ne illud ipse palam proderet, probumque elegerunt qui hoc faceret, quasi crederent quæ aliàs rectè dicerẽtur, malis moribus inquinari. Præcipuè conetur vir bonus esse inter hæreticos, ne si alius sit, præsumant illi causam ab eo malam sustineri; sicut in forensi iudicio præsumptio quædam est malæ, si patrocinium eius vir malus suscipiat;vt notat Quint.l.4.c.1. Ad præscriptum hoc pertinet,vt conetur pius institutor concipere affectus verè tales, quales in discipulorũ suorũ mentibus

Dictioni præfertur actio.

Cic.l. 3. de orat.

Consilium bonum à malo homine nolunt accipere Ephori.

studet excitare. *Nec incendit nisi ignis*, inquit idem lib. 6. c. 2. *nec madescimus nisi humore, nec res vlla dat alteri colorem quem ipsa non habet.*

Horat. in Arte.

——— si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

Ex eo quòd M. Callidius frigidè Gallium accusaret propinati sibi veneni, ratiocinatus est Cicero in Bruto, fictam esse accusationem. *Tu*, inquit, *nisi fingeres, sic ageres? Vbi dolor? vbi ardor animi?* Præmeditare seriò quid è superiore loco in æde sacra ad præsentes dicturus es, nec te verba illa decipiant: *Nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*: quia nequaquam præmeditationem omnem interdicunt; sed nimiam, seu eam, quæ diffidentiam includit diuinæ prouidentiæ, quæque metu nimio impedit liberam Euangelij prædicationem. Ne facilè tibi persuaseris, rudes esse auditores, non obseruaturos si quid dicendo peccaueris, nasutiores sæpè sunt quàm creditur; & quod non obseruat vnus, apprehendit, notatque alius:

Matth. 10.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Hac ipsa cautela vti vult profanum etiam Oratorem idem Quintil. lib. 5. c. 13. *Declamatores verò in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facilè responderi possit, neu sibi stultum aduersarium fingant.* Nutricis officio fungeris, quoties cœlesti doctrina imbuere alios in te recipis, idque docet Apostolus 1. Th. 2. *Facti sumus paruuli in medio vestrũ, tanquã si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè*

dè volebamus tradere vobis nō solùm Euāgeliū Dei, &c. Nutrix autem non nisi benè digestum lac præbet infanti. Prædicitur vir bonus daturus fructum suum, *sed in tempore suo*; postquàm scilicet in lege Domini meditatus fuerit die ac nocte. Nihil rerum natura ipsa voluit fieri magnum citò; sed pulcherrimo cuique operi laborem præposuit, conatum ac lentitudinem. Ethnici Oratores de ciuilibus tantum, humanisque rebus verba facturi ad populum, præmiserunt nihilominus meditationes grauissimas: Videbant nimirum leue non esse in errorem labi, cuius quot testes, tot censores essent & accusatores: Nihil autem faciliùs quàm errare, vbi nec refricatur dicendorum memoria, nec maturè omnia expenduntur, nec in ordinem rediguntur. Ex hoc vno inferre disce quātis diligentiæ stimulis vrgeri te deceat, te, inquam, diuini verbi interpretem, legatione pro Deo fungentem ad omnes qui te audiunt, & summa pertractantem mysteria. Nullum mihi dabis militię Ducem quantumuis exercitatum ac strenuum, qui aciem tunc tantum disponat quandò conserendæ sunt cum hoste manus, & non multò antè prospiciat, ne quid desit, ne hoste viso perterreatur, ne eodem instante ordines suos deserat; ne insurgente fugam arripiat. Esto tu adhuc sollicitior, nec idem esse crede, dicere & benedicere; audere, & satisfacere. Ne effundas ore præcipiti, quæ cum rubore posteà & scandalo reuocare oporteat, aut propter quæ vilescas apud eos, qui rem sciunt

Psal. 1.

Nihil faciliùs quàm errare.

habere se aliter, aut in te perperam citante diuina testimonia totam criminetur Ecclesiam: Poetarum sententias perrarò & quasi contemptim in medium adducito, Oratorum & Philosophorum tantillo frequentiùs; sacras verò; & quæ ex ore prodierunt sanctorum Patrum frequentissimè. Peregrini siquidem authores illi sunt, & vitiis suis plurimis obscurarunt valdè, quæ dixisse eleganter aptéque videntur. Hi verò domestici, sapientiaque à Deo donati solidiore multò, & augustiore. Apud hos diligenter euolutos copiosè inuenies quicquid optaueris. Prostantibus itaque viuis fontibus, ne fueris de riuulis valdè solicitus.

Multa prece opem diuinam accerse tibi & auditoribus necessariam ad sata cœlestia tum mittenda, tum suscipienda. Nam cùm de vnaquaque re tractanda apud fideles dici multa queant, & varij sint dicendi modi, quis nouit quodnam ad præsens tempus vel te dicere cõsultum sit, vel audire alios, nisi qui corda videt omnium? Quis item facere potest, vt quod oportet, & quemadmodum oportet, à te dicatur, nisi ille in cuius es manu & sermones tui? Cæterùm vbi quod in te est, feceris, animo esto tranquillissimo, etiam vbi optatum fructum verba tua non afferent. Ne Christo quidem ipsi defuerunt indociles auditores, irrisores, ingrati, refractarij: & pater ille familiàs, qui exiit seminare semen suum, vix terram bonam inuenit, cui quartã eius partẽ cõmitteret; nec tamen nihil omninò putauit quartã saltẽ vtiliter collo-

collocasse; sicut nec Apostolus prædicasse Atheniensibus, ex quibus quidam risu doctrinā eius susceperunt, quidā vicissim crediderūt. Ita vides Dei verbū nunquā planè redire vacuū, sed ex parte saltē restare efficax & penetrabilius omni gladio ancipiti. Adde, quòd labori tuo paratur merces magis, quā fructui, vt qui nō est in tua potestate, sicut scriptū est: *Vnusquisq; propriā mercedē accipiet secundū suū laborem.* Imò interdū maior erit merces nullo sequente fructu, eò quòd difficilius est concionari, vbi exiguus vel nullus apparet, quam vbi applaudunt multi, & ex concione proficiunt.

Verbū Dei penetrabilius gladio ancipiti.

1. Cor. 3.

De modestia Concionatori necessaria quoad vocē motumq; corporis, dictum est l. 3. c. vltimo. Adhæc obseruare stude quod Ethnicis etiam declamatoribus valdè commendatum voluit, qui scripsit:

Modestia in Concionatore quæ.

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Horat. in Arte.

Considera infirmæ plebis stomacho minimè quadrare cibum copiosum, relinquendum aliquid diebus reliquis: ac semen si nimis frequens iactum fuerit, à semetipso suffocari. Vt sint selecta, mellea, aurea quæcumque dicis; ingrata & inutilia fient prolixitate. Vndè monet Salomon: *Mel inuenisti: comede quod sufficit, ne fortè satiatus euomas illud.* Et infrà: *Qui mel multum comedit, non est ei bonum.* Cōcio cōtrà moderatè breuis & succulēta grata est vniuersis, nō tędiosa, acceditq; ad apophthegmata ideò gratissima, quod sint breues multarū & magnarū rerū cōplexiones, sicut etiā aphorismi.

Prou. 25.

Quid attinet in nugis hærere diu, quas omninò decet præteriri; vel in periphrasibus verbisque superuacaneis, quæ contrahi in pauca possunt; adeóque inanes solent esse, vt post Conciones benè longas vix vna supersit, ac colligatur rerum vncia? Non placent arbores, in quibus vix quicquam præter folia; nec ille videtur mihi egregius saggitarius, qui scopum non attigit citò, & linea quàm potest breuissima.

Argumenta solida in rebus fidei.

In rebus fidei constabiliendis solida solùm proferantur argumenta, quorum quodlibet sit ἀπόδειξις; id est, *aperta probatio*; solidè similiter & clarè diluantur contraria. Auditorum captui quæcumque dixeris, accommoda; ad turbas cum Christo descende, & de Petri nauicula cum illo docens, ne multum à terra in qua stant, recesseris. Facilè attentas habet, qui quod assequi possunt, id tantum dicit; longéque præstat reconditum aliquid & præaltum omittere vni tantum curiso placiturum, quàm in medium proferre. *Quis verò nesciat*, ait Quintilianus, *quòd aliud dicendi genus poscat grauitas Senatoria, aliud aura popularis, cum etiam singulis iudicantibus non idem apud graues viros, quod leuiores, non idem apud eruditum, quod militarem ac rusticum deceat, sitque nonnunquam submittenda & contrahenda oratio, ne Iudex eam vel intelligere, vel capere non possit?* Valdè vtilia frequenter inculca, & repete (variatis tamen subindè testimoniis, exemplis, rationibus &c. quia vt scribit Seneca l. 3. epist. 27. *Nunquam satis*

Quintil. lib. 11. c. 1.

ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.

Obſcuritatem nunquam affectaueris, nec velis vt doctus videare, dici noctua. Quid iuuat multa loqui, & non intelligi? Quomodò poterit populus dicere *Amen* ſuper benedictione tua, ſi quid dicas, non capiat, aut in iis quæ ad ſalutem pertinent erudiri? Non ſermones Dei, ſed *declaratio ſermonum eius illuminat, & intellectum dat paruulis.* Sicut non ſufficit obiicere oculis corpus ſpecioſiſſimum, ſi deſit medium diaphanum, per quod videatur; ita nihil eſt multa bona dicere, ſeu menti repræſentare, ſi perſpicuitate deſtituta ſit dicentis oratio, ſi perplexas relinquat mentes circa ea, quæ credenda ſunt, vel agenda. Ad illuminandum vocatus es, obſcuritate autem non enubilatur quod obſcurum eſt; ſed fit tenebricoſius. Dei verbum expedit quidem eſſe caliginoſum ad exercendas mentes legentium, ad rumpenda faſtidia, ad acuenda ſtudia diſcere volentium, ad abſterrendos à myſteriis profanos oculos, vt docet S. Hieronymus; ſed non verbi expoſitorem, ne fiat in infinitum progreſſio. Connitendum itaque vt intelligaris; vt qui non intelligit, nō locutione tua ſe ſciat prohiberi; ſed tarditate propria, vel rerum ipſarum ſublimitate. Vtere in hunc finem ordine, methodo, aptis ſimilitudinibus & exemplis; exotica autem, recondita, curioſa verba amputa, vt quæ oſtentationi ſoli deſeruiunt. Ad quid, rogo, clauis aurea, ſi quod aperiendū eſt, aperiri non poteſt; aut quid obeſt lignea, ſi hoc

Obſcuritas nō affectanda.

Pſal. 18.

hoc potest; quādo nihil per clauem quęritur, nisi vt pateat quod clausum est? Sanè, qui dicit quod dicere vult, quandiu non intelligitur, nōdū existimare se debet dixisse, quod dictū vult iis, quos docere cupit; quia licet dixerit quod intelligit, non tamē illis dixisse putandus est, à quibus intellectus nō est; si verò est, vtique dixit, quomodocúmque dixerit.

Christus quo ætatis anno cœperit docere.

Docendi munus nec facilè, nec ante tempus in te receperis; imperitorum hoc est, qui gaudent tranare maria, vbi alij verè docti vix præsumunt flumina. Christus ipse priusquàm se ad prædicandū accingeret, annum expectauit trigesimū: obseruauit hoc idem precursor eius, quo *maior non surrexit inter natos mulierum*. Pulli auium si ante pennarū perfectionem volare appetunt, deorsum cadūt; & structuris recentibus nōdum solidatis si lignorum pódus superponitur, non habitaculū, sed ruina fabricatur: & proles antè tempus natæ non domos replent, sed tumulos.

Elocutioni minus studendum cōcionatori.

Ne multum fueris de elocutione sollicitus; sufficiat tibi sicut & Apostolo diuina tradenti mysteria sermo simplex, & mediocriter excultus; vt fides, quā doces in sapientia nō sit hominum, sed in virtute Dei, & Deo potiùs quàm tibi adscribatur conuersio peccatorum. Habet hic locum illud Horatianum;

Horat. in Arte.

Ornari res ipsa vetat contenta doceri.

Et nescio quo modo prudentes & pij auditores præconem sacrum rident, fastidiunt, auersātur, quē nimis nitori sermonis studere, & ad

oble

oblectandum sua omnia referre animaduertũt: nec mirũ, cùm in Christianis declamationibus non pópam & cultum illum verborum à profanis expectãdum scholis; sed pietaté, Dei honorem, documenta salutaria, virtutes item solidas quæri debere intelligant. Denique in delicta populi, quẽ piè instituendum susceperis, crebriora & grauiora, tibiq; benè explorata frequenter inuehere; sed vniuersim tãtùm, & absq; notatione priuati alicuius. Ita vitabis inuidiã, & dices cum S. Hier. ad Nepot. *Neminem læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, generalis de vitiis disputatio fuit.* Et cum Tullio in Or. pro lege Manil. *Nomino neminem: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui antè de se voluerit cõfiteri.*

Vniuersim vitia redarguenda.

§. 5. Quod ad suggestionem boni consilij, non quodcumq; hoc loco bonum dicitur, censerique potest opus misericordiæ; sed quod datur circa rem licitam, & ad bonum finem conducit, ac dirigitur. Nefarium proinde fuit illud Pharaonis: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est; venite, sapiẽter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur.* Nec tamen sufficit bonum esse consilium, de eo prætereà certus sis, oportet, ne temeritas reum faciat culpæ lethalis, & de damno tenearis, si in aliquod incurrerit proximus vi mali à te imprudenter subministrati, siue vltrò te interrogauerit, siue ad eum dirigendum te sponte obtuleris. Quomodo peccant non infrequenter superbi quidam Medici, & damni reparandi onus subeunt, quando vel morbum ignorant, vel

Bonum cõsilium dare quid, & ad quid.

Medici ignorantes in quid peccant.

vel opportunum eius remedium; Ne tamen ignorare videantur, & aliquid existimationi suæ detractum sentiant, quod in mẽtem venit, audacter præscribunt ac cõsulunt; idque tanto fidentiùs, quantò magis cæcutiunt. De certitudine hîc me loqui noueris non mathematica, sed morali, seu de magna probabilitate & coniectura profuturi consilij, hæc enim sufficit.

Consiliũ nõ rectum reuocandum.

Si iam datũ consilium discussa re maturiùs rectum non fuisse deprehenderis, omninò reuocandum erit, quandiu spes suberit futuræ retractationis vtilis. Nam quid æquius, quàm vt malum dissoluas, quod nectere cœpisti in perniciem fratris? Audi S. Augustinum in re penè simili: *Cùm non omnes possint habere primas prudentiæ, habeant secundas modestiæ; vt qui non valuerunt omninò impœnitenda credere, saltem pœniteant quod nouerunt credenda non fuisse.* At fortè obscurabitur indè aliquantulum nominis mei radius. Ad hoc respondet S. Hieronymus: *Melius est pœnitere facti tui, quàm vel martyrem in calumnia, vel deceptum in errore persistere. Non erubescas de mutatione sententiæ. Non es tanta authoritatis & famæ, vt errasse te pudeat.* Esto denique, non desint authores boni, qui existimẽt ad malum maius deuitandum nefas esse minùs consulere; scito tamen sat tutam esse contrariam sententiam, imò hoc tempore communiorem, & niti ratione optima; quòd qui consulit minùs, simpliciter cupiat nullum à proximo perpetrari; sed cum animaduertat illum in senten

S.Aug. in Prol. Retr.

S.Hier. ad Ruffinum.

ſententia pertinacem, & omninò paratum facere maius, niſi ei ſuadeatur minus; ideò iſtud ei proponit, vt ab illo abſtineat, & proponit non vt malum eſt, ſed præcisè vt minus. Quis autem non videt malum minus, vt minus habere quandam boni rationem, cum dicat priuationem exceſſus maliciæ, non ſecus ac bonum minus, vt præcisè minus ſpeciem habet mali, ſub qua proindè ratione nec appetibile eſt, nec vnquam conſulendum? Deinde conſtat, poſſe pertinaci illi offerri materiam minoris mali; vt fit, exempli cauſa, cùm mutuatarius ait Vſurario; ſi non vis mutuare gratis, mutua ſaltem ad Vſuram: & viator latroni, En pecunias, accipe illas & non occidas: hoc autem quid aliud eſt, quàm ad auertendum malum maius, conſulere minus, & ad illud inducere: Hæc ipſa doctrina eſt S. Auguſtini lib. de adult. coniug. c. 15. vbi ait: *Si facturus eſt, quod non licet; iam faciat adulterium, ne committat homicidium.* Eandem tuetur Suares tom. 4. diſp. 3. de pœnit. ſect. 10. n. 3. & ſummiſtæ omnium doctiſſimi. Nau. c. 14. n. 40. Caiet. V. Tyrannus. Sylueſt. V. Vſura 7. q. 1. Sot. 6. de iuſt. q. 1. c. 5. Tolet. in ſumma l. 5. c. 37.

Oratio pro miſerabilibus perſonis inter opera miſericordia.

§.6. Oratio pro miſerabilibus perſonis ideò computatur inter miſericordiæ opera, quòd ſit præſentiſſima ratio tollendi alienam miſeriam, quando ſaltem tolli expedit, nec poteſt naturaliter; ſupereſt tunc Deus ſolus, à quo depellatur: is autē oratione mouetur ad ea, quę flagitantur concedēda. Videntes Apoſtoli ſo-

Ooo crum

ctum Petri æstuantem magnis febribus, misericordia moti Christum pro illa rogauerunt. *Luc. 4.* Non fuit inanis mediatio, imperauit continuò Christus febri, & curauit ægram. Quinque porrò sunt miserorum genera, pro quibus offerre Deo preces peculiariter spectat ad hãc virtutem. *Miserorum genera quinque pro quibus orandũ.* 1. Hæretici, infideles, & alij in statu versantes peccati mortalis. *Hæretici.* 2. Ægroti cum morte luctantes, quales commendasse non satis fuit Regi Dauid, nisi etiam commoda varia describeret, iis quibus curæ fuerint, euentura: *Ægroti.* *Psalm. 40.* *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum*, &c. Et infrà: *Dominus opem ferat illi super lectũ doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*, id est, Dominus viceissim memor sit pij huius consolatoris, quandò lecto affixus iacebit; Erit vtique, & consolabitur illum, facietque vt recreetur interius; sicut ij recreãtur corpore, quorum lectus versatur & reuersatur in omnem partem, vt sic in eo velut renouato cubent molliter. 3. Qui sani quidem sunt, sed grauissimè afflicti, aut in præsentissimo versantur mortis discrimine, puta in naufragio & similibus. *Afflicti grauissimè.* 4. Animæ fidelium defunctorum, ab igne illo purgatorio nondum liberatæ. *Animæ in Purgatorio.* 5. Qui precibus se nostris commiserunt, pro quibus expresse, vel tacitè nos oraturos spopondimus. *Qui se precibus commendarunt.* Notandum denique ad impetrandum aliquid iis, quorum patronos agere volumus, necessariam quandoque esse dispositionem bonam tam ex parte nostra,

nostra, quàm ipsorum; ex nostra quidem, vt nõ obscurè significat Ecclesiasticus c. 14. dicens: *Qui sibi nequam est, cui bonus erit?* ex parte verò aliorum iuxta illud Hier. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum, eiice illos.*

§. 7. De numero præcipuorum misericordiæ operum consolatio est afflictorum; quare Apostolus vt Deum facit valdè misericordem, illum repræsentat nobis quasi ad suos consolãdos promptissimum. *Benedictus Deus*, inquit, *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Iob similiter, qui egressam secum de matris vtero scribit misericordiã, consequenter totus erat in consolandis miseris; tunc etiam, cùm magna gloria, & prosperitate fruebatur. *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus; cùmque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Diuinus insuper codex perstringit eos velut immisericordes, à quibus nihil consolationis profectum esset in miseros, vt Psal. 68. *Quæsiui qui consolaretur, & non inueni.* Amos 6. *Nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Luc. 10. *Sacerdos visô Samaritano semiuiuo præteriuit.* 2. Tim. 4. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Iam ad rem.

Consolatio afflictorum.

2. Cor. 1.

Iob. 31.

Si vehementem proximi calamitatem esse videris, caue illam nimis extenues, dicasque: *nihil est*; quia sic rideri se à te crederet, molestũ te diceret consolatorẽ, flendi nescium cum

Calamitas non nimis extenuanda, & cur.

flentibus, ſed flentes potius accuſantem ſimulati doloris, aut molliciei. Auget hoc certè nō parum mœſtorum miſeriam. *Hoc mihi ipſa infirmitate grauius eſt*, dicebat S. Greg. Naz: *quòd ne credor quidẽ infirmus eſſe.* Dulciſſimi contra ſunt veri conſolatores, quia conſolando indicant perſpectũ ſibi malum eſſe, quod nos diſcrutiat eiuſdem ſe habere ſenſum, & partem ſuſtinere, atq; ita illud mitigant. Ne ergo dolorẽ omnẽ prohibueris, ſed duntaxat nimium:

S. Gregor. Naz. in epi. ad Olymp.

Ouidius 2. Triſt. 40.

Quis matrem niſi mentis inops in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco eſt.

Accedit, quod notat Plut. lib. de Iracundia, ideò non expedire omninò ſiſtere lachrymas lugentium, quia bonã doloris partem educunt vnà cũ lachrymis, vt de ſe teſtatur qui ſcripſit:

Ouidius 4. Triſt. Eleg. 3.

Fleque meos caſus; eſt quedam flere voluptas,
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

Conſolatio non adhibẽda in ſumma triſtitia.

Iob. 2.

Dicam amplius, in ipſa ſumma triſtitia adhibenda non eſt præcipua conſolatio; nam & amicos Iob aliquanto tempore ſiluiſſe legimus, cernentes dolorem eius vehementem, & de eadem matre vidua addit idem Poëta:

Cum dederit lachrymas, animumque expleuerit ægrum:
Ille dolor verbis emoderandus erit.

Et Plutarchus non ſtatim miſit epiſtolam conſolatoriam ad Apollonium morte filij conſternatum; ſed imitatus eſt peritos medicos, qui ad repentinos fluxuum impetus confeſtim non afferunt medicinarum remedia; verum inflammationis grauedinem abſque vlla

exter

externa vnguentorum impositione ad maturitatem peruenire patiuntur. Huc fortè referri mora potest, qua vsus est Christus venire rogatus à Martha, & Maria fratris sui Lazari necem lugentibus: biduo substitit priusquàm veniret miseras consolatum; quanquàm ad hoc quoque profuerit hæc cunctatio, vt Lazari mors prorsus esset indubia, plusque admirationis haberet eius resuscitatio. Huius denique præscripti authorem habeo S. Basil. in Concione de actione gratiarum: *Vbi permiseris inaniter lamentari, malo iam se laxante concinnè adhortationem potes attingere. Nam etiam equorum domitores effrenes pullos non statim frænis strangulant, ne illi retrocedant & ascensores excutiant; sed remittentes primùm & indulgentes, vbi viderint eos proprio motu concitationem consumpsisse, tunc iam domitos assumunt, & per artem obedientiores reddunt.* Attende vicissim, ne plus æquo afflictionem exaggeres; quia procul id esset à scopo tuo, qui est docere dignum non esse malum ingenti tristitia, ob idque super eo admittendum remedium in consolationem, modestiámque colendam & patientiam. Poterunt tibi plurima, quæ in hanc dicas sententiam, pro afflictionis qualitate & natura meditanti occurrere, & iam complexus sum non pauca lib. 3. cap. de directione Patientiæ. Lubet hic quoque vulgarem quandam consolationis formam subiicere.

Ioan. 11.

Charissime, tangit me profectò, grauiterque afficit dolor iste tuus, quem proindè non

Consolationis in miseriis formula.

tibi proprium; sed mihi quoque communem esse noueris. O si medendi peritum fecisset me Deus, quàm citò, quàm libenter ab omni te malo eriperem; sed heu! velle mihi adiacet, perficere non habeo. Iam te tangit manus Domini, sine quo aut volente, aut permittente, quid aduersi euenire nobis possit? Venit hora, in qua ostendere te oportet, quomodò noris de manu eius mala suscipere. Scit bonus Dominus, quid nobis omnibus expediat; nos in causa propria cæci sumus, cuius proindè arbitrio ac voluntati nisi nostra omnia commiserimus, non sapimus, nec indè commodum vllum; sed damnum reportabimus. Aliqua sunt quæ patimur, sed infortuniis sancti Iob longè inferiora. Perierant illi decem liberi oppressi à Diabolo in domo iucunditatis, vbi conuiuabantur. Vidit propriis oculis miserè contrita & vndique cruore perfusa illorum corpora; & ne ista duntaxat clade afficeretur, percussus quoque est vlcere pessimo à planta pedis vsq; ad verticem, ita vt testa saniem raderet, sedens in sterquilinio. Ecce interim continuit lachrymas, non ciulauit, non lacerauit comam, non diprorupit in verba querula, non accusauit diuinam prouidentiam, nec se iustum professus est, cui nihil deberetur eiusmodi; sed ad verba illa confugit nunquam satis laudata: *Dominus dedit: Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Misericors est Deus, quando benefacit; medicus autem & iustus, quando humiliat, vtrobique bonus.

Iob afflictio quanta.

Et constantia.

Iob. 1.

bonus & vtilis, ac sæpè magis quando exercet nos vitæ huius malis, quàm cum bonis afficit. Nam bonis sæpè in suam, & aliorũ perniciem homo abutitur; malis eruditur, in seipsum descendit;castigatur,vt sanetur; deiicitur, vt attollatur;cadere sinitur, vt fiat deinceps cautior. Quid plura? Ad Deum conuertitur, & ait:*In tribulatione mea inuocaui Dominum*,fit meritis auctior, examinatur igne miseriæ,Deumne diligat.Nihil de eius cultu remittens in aduersis, sed amare pergens, & colere. Discit ad cœlum aspirare contempta terra, in quà tot sentiuntur animi, corporisque incommoda. Has omnes vtilitates appendens in sui statura iudicij Rex Dauid dicebat: *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas*, adeóque in futurum factus est aduersitate cautior,vt nunquam ad vomitum peccatorum redierit, propter quæ flagellauit illum Dominus. Nunc, inquam, manus Domini te quoque tetigit. Hactenus præsumpserunt te noti, &amici tui virtute præditũ,sed fortè crediderunt potiùs quã experti sunt. Ecce tibi ad manum eius testificãdæ occasio, monstra te virũ, confirma, imò vince patientia opinionem illam, & expectationem. Vix locuturus es, vel facturus aliquid, quod non obseruetur à multis diligenter, omninò inter se dicturis, si infractum ac constantem geras animum:Nonne te in admirationẽ rapiebat N. cùm vultu esset tã cõposito,tã sibi præsens,tã amica verba cũctis daret, tã seria volũtate diuino arbitrio se

Ex miseriis profectus quantus.

Psal. 17.

Psalm. 118.

totum committeret, sibi fateretur deberi grauiora, diceretque: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum?* Et; *non secundùm peccata fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis?* Respondebit alter, omittis quæ ferè sunt præcipua. Nos ipsos consolabatur, qui venerámus consolatum, grauiùs affici videbatur commiseratione, & casu nostro quàm suo. Ita se gessit coram, ac si omnis eum proprij mali sensus defecisset. Vt cum eo aduersa fortuna, sic cum ea ludebat ipse, illamque contemnebat. Si fortè aliquem edebat gemitum, & quiritabatur; mox sibi censor erat velut molli & effeminato, qui necdum didicisset sustinere modica, petebatque à nobis, imbecillitati vt suæ daremus veniam. Vicit, vicit eius animi magnitudo spem meam multis partibus, nec dubito quoties in posterum consolari volet aliquos, manaturas ex ore eius efficaces admodum sententias; expertus quippè loquetur, iure suo, & ex abundantia cordis. Similem ob causam tam efficacia erant verba S. Basilij: *Cùm ferè semper infirmus esset, ac hepatis dolore laboraret; indè didicit medicinæ scientiam, & sibi mederi & aliis.* Etiam quæ sequuntur audi: Habebit citò finem præsens calamitas, & gratulaberis tibi, non ignaui & mollis (quod pênè omnes) sed constantis viri, quod faciunt paucissimi, sustinuisse personam. Sub tribulationis sarcina nequimus diu viuere; ideóque misericors Dominus, qui nouit figmẽtum nostrum, tristia non sinit esse diuturna,

Ibidem.
Psal. 102.

S. Gregor. Naz. in vita S. Basil.

post

post tempestatem tranquillum facit, & post fletum exultationem infundit. Ipsa hominis conditio nō patitur, semper vt in tristitia, vel alio vitæ statu permaneat. *Nullus dolor est, quem longinquitas temporis non minuat, atque molliat*. Quid verò fiet, vbi tempestatis huius sensus omnis abscesserit? Pœnitebit te profectò pusillanimitatis: sin præbueris te constantem, perfunderis gaudio propter virtutis specimen, qua authore nihil ingenerosum feceris, vel ore protuleris. Inutiles prætereà sunt magni eiulatus, & suspiria, qua cogitatione si vti velis, feres aduersa quæque leniùs, & ferenda senties. *Obseruaui multos*, ait S. Chrysost. *valdè se ista consideratione aduersus tristitiam communientes. Quæ vtilitas, quod dolui, nec pecunias recuperaui, & meipsum læsi?* Experimento isto nihil tritum magis: gemitibus & lachrymis non resurgit qui extinctùs est, nō recuperatur quod periit, non restauratur quod cecidit, non restituitur quod latro sustulit. Ad hæc si miserorū cōsolatio sit, socios nancisci miseriæ; est planè, cur dolori modum adhibeas; quia in præsenti vita, qui aduersis multis non sit expositus, inuenies profectò neminē. Verùm quia aliena nō sentimus, nulla esse credimus; nostra autē quamuis sæpè tolerabiliora nōn cōmemoramus solùm, sed supra omnem veri speciem exaggeramus. Vis audire neminē sub cœlo à calamitate immunē? Aut de viris bonis, aut de malis agitur. De bonis prostat scripturæ testimoniū: *Omnes qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutiones*

Tob. 3.

Cicero.

Homi. l. 18. ad popul.

1. Tim. 3.

Psal.33. *patientur.* Et, *Multæ tribulationes iustorum.* Et, Tob.22. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* De malis autem Isa.53. *non est pax impiis, dicit Dominus.* Et Psal.37. *multa flagella peccatoris.* Tandem vel ærumna est mali alicuius inflictio, vel boni priuatio (quanquam hæc duo ita sunt inter se colligata, vt seiungi ab inuicem vix ac ne vix quidem possint.) Si primum, beatum te puta, quòd non te priùs malum illud afflixerit, à quo atteruntur complures alij toto fermè vitæ tempore. Si secundũ, te quoque fœlicẽ eo nomine arbitrare, quòd ad tempus saltem tibi bonum obtigerit, quo perfrui quamplurimis aliis nec per horam licuit; qui tamen animo non idcircò cadunt, & resilirent gaudio, si eo perfrui vel ad breue spatium à Deo impetrarent.

§.8. De remittendis iniuriis dixi iam aliqua l.1.c.7. Hæc remissio opus est non charitatis solùm, de qua ibi sermo erat, sed misericordiæ: & indè conuincitur valdè esse cuius ad saluté necessaria, quòd Christus meminerit eius velut medij, sine quo obtineri venia peccatorum non potest. *Sic orabitis*, inquit, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et, *Sic pater meus cœlestis faciet vobis; si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Non prohiberis sẽsum habere mali, quod in accepta latet iniuria (neq; enim omnino naturam exuere possumus, quidquid in contrarium definierint fanatici Stoici,) sed furere; atq; vt Platonis verba reddã

Iniuriarum remissio est charitatis ac misericordiæ.

Matth. 6. & 16.

l.9

l.9.de Rep. *Non est exigendum à probo ciue, vt omninò nihil doleat; sed vt nascentem dolorem rationibus cõsoletur.* Sed neq; vetaris illati damni satisfactionẽ iudicij forensis via exigere, aut pœnas acceptæ iniuriæ in eodem foro ab eius authore reposcere, vt sapiat in futurũ. Sed prohiberis aliquod ei malum quatenus, & quia malũ est, repẽdere, expetere, procurare. In hoc sita est prohibitę vltionis ratio, à qua vel eã ob caussam abstinebit diligenter vir misericors, quòd delicto suo satis miserum esse, qui iniuriã fecit, intelligat, & sat graues Deo pœnas luiturum, vt neq; par neq; necesse sit nouũ ei malum cudere; quòd rursus remittendo iniuriã, multũ Ecclesiam ædificet, animum sibi ostendat esse excelsum & generosũ, singularem sentiat mentis tranquillitatem, & spem magnam meritò concipiat impetrandæ vicissim à Deo veniæ, dicente: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra.* Matth. 6.
Et quoniam species vltionis est, nolle consueta amoris signa ei dare, qui te læsit, v.g. salutare & alloqui, cùm prius salutares, & data occasione alloquereris; perge propter Deum facere quod ante solebas, etiam non præuenientem, etiamsi ipsius magis sit præuenire. Quòd si nõ resalutet, ab obligatione liberaberis salutandi (excepto casu scandali) quousque salutare incipiat.

De

De viri Prudentis officio circa Magnificentiam & Liberalitatem.

Capvt III.

§. 1. *Magnificentia quid sit, quid item Liberalitas, & cur Prudentiæ regulæ vtramque virtutem dirigentis in vnum idemque caput conferantur. Quid præterea vtrique commune.*

2. *Mediocris amor pecuniæ, eiusdemque contemptus, quibus argumentis acquiri possit, & concipi.*

3. *Quæ dicantur opera magnifica; quænam ex iis præcipua, & digniora magnis sumptibus.*

4. *Liberalitas quomodo, & in quos potissimum exercenda.*

5. *Oblata dona vtrum admittenda.*

Magnificentiæ & Liberalitatis discrimen.

§. 1. Qvamvis Magnificentiam à Liberalitate distinguat Aristoteles l. 4. Ethic. 2. quòd Magnificentia versetur circa magnos sumptus faciendos, eximiæ honestissimeque rei causa: Liberalitas circa sũptus tãtũ mediocres faciendos, gratia rei alicuius honestę quidẽ; sed non ita eminentis; adeò nihilominùs accedunt ad inuicem, vt nõ abs re, quæ de iis per Prudẽtiam dirigẽdis dicenda occurrũt, ad caput vnũ reuocẽtur; imò distinctæ virtutes

tutes vix censeri queāt. Nā quod ait, *omnē magnificum esse liberalem, non cōtrà*, interpretatur S. Thom. 2. 2. q. 134. art. 1. ad 3. & art. 3. ad 4. & q. 129. art. 3. ad 2. vt sensus sit, non omnem Liberalem esse Magnificum quoad actum, quia desunt ei media, seu amplæ facultates necessariæ ad opus magnificentiæ; reipsa tamen est, vel saltem esse potest quoad magnificentiæ habitum, & per illum inclinari ad tale opus perficiendum, si statui competeret suo & facultas non deesset; & certè aliter vix explicare licet, quomodò in Christo homine locum habuerit magnificentia. Neq; enim sufficit dicere, quòd sanguinem suum profuderit in salutē humani generis, quia sanguis humanu & maximè illius, nō est pecunia seu pretio æstimabilis: materia autem Liberalitatis & Magnificentię pecunia sola est, seu bona exteriora pretio æstimabilia, quibus caruit Christus, & carere voluit, egenus pro nobis factus. Deindè ille etiā Magnificus dici potest secundùm eundem S. Thomam in dicta respōsione ad quartum, qui circa rem paruam facit magnos sumptus per proportionem illius generis: hoc autem semper obseruat liberalis. Adhæc sicut versatur Magnificentia circa magnos sumptus, ita Magnanimitas circa magnos honores; sicut ergo sub Magnanimitate non est virtus aliqua propriè distincta specie, cuius obiectum sint honores parui, ita certè vix videri potest liberalitas speciei esse distinctæ à Magnificentia. Denique magnum & paruum non differunt specie,

Liberalitatis materia quæ.

Magnanimitas circa magnos honores versatur.

Magnum & paruum non differunt specie.

cie, vt patet in viro & puero, in linea centum pedum, & linea vnius, &c. ergo nec sumptus magni & parui; atque ita nec virtutes, quę circa eos versantur; nec item difficultas faciendi magnos à difficultate faciendi paruos. Sed & constat quod vtraque hæc virtus sicut & cæteræ, non sit tam circa obiectum externum, cuiusmodi est sumptus; quàm circa passioné, cuiusmodi in præsentia est amor pecuniæ: hûc autem amorem moderari est Liberalitatis, vt disertè tradit S.Th.2.2.q.147.a.2.ad 2.& q.134 a.3.ad 2.igitur in Liberalitate continetur essentialis ratio magnificentiæ. Verùm nihil valdè moror, quæ & quanta sit inter eas differentia; dummodò constet neutrum sine moderato amore pecuniæ posse consistere: nam quisquis erga illam plus æquo afficitur, exhorrere sumptus quoscumque solet, nec illos nisi tristis, inuitus, coactus facit; quod palam est procul differre à modo operandi secundùm virtutis habitum.

Magnificentia ratio in liberalitate.

§.2. Exercere proindè se debent vir Magnificus & Liberalis, in meditatione argumentorum, quę contemnendam docent pecuniam, & ex se parui æstimādam; nam si pro metallo accipiatur, de genere est rerum vilium, cùm sit mixtum insensibile, inanimatum, & quibusque plantis longè inferius. Gignitur in terræ visceribus, ibique latet velut indignum humanis oculis. Nullam in se vim habet nutriendi corpus, nullam calefaciendi, nec fortè eximendi ab ægritudinibus. Ad exteriores sensus nihil planè

Metallum plantis longè inferius.

planè confert, vndè prçteritur à pecoribus velut inutilis. Citò grauat latorem & possessorē suū; quandoq; etiam mergit, nec sinit enatare. Solo humano arbitrio & cōuentione factum, vt in communem nummum assumeretur, certúmque haberet precium, ratione cuius posset cum rebus venalibus permutari, quasi æquiualens, hoc primū. Deindè si externa opera virtuti famulantia excipias, quid magnum tibi præstabit pecunia? Indulgebis fortè deliciis, pompis, voluptatibus; sed hæc bona sunt fluxa, illusoria, caducissima, in quibus plus fellis quàm mellis. Honores tibi comparabis, apud stultos credo, qui virtutis mercedē pretio distribuūt. Vitam fouebis cibo, potu, vestibus; at vitam communem cum pecoribus, quis meritò inter magna recenseat hominis bona? Sola restant virtutis opera profectò eximia; sed à quibus non plus valoris habet pecunia, quàm habere solet instrumentum ab eo ad quod faciendum assumitur. Quare sicut artifices non parcunt opificiorum suorum instrumentis, sed data occasione vtuntur iis libentissimè, miles gladio, agricola stiua & aratro, scriba calamo, pictor penicillo, esto ea vsu consumptum iri præsentiant. Sic planè ad Magnificum spectat & Liberalem, libenter pecuniam in ea impendere, quæ virtus rectaque ratio postulabunt, & tunc vsum eius sibi gratulari quasi optimè collocatæ. Tertiò, diuinus codex nihil damnare solitus non dignum vituperio, grauissimè, crebróque inuehi solet

Deliciæ bona sunt caduca.

In Auaritiā quàm acerbè inuehatur Scriptura.

solet in auaritiam, quæ nihil est aliud quàm pecuniæ & æquipollentium ei rerum cupiditas amorque immodicus. *Auaro*, inquit, *nihil est* Eccles.10. *scelestius. Nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniã in vita sua proiecit intima sua.* Vult dicere, tam iniquus est auarus, vt pluris illam faciat quàm viscera propria, & ne eam expendat, hæc sinat fame torqueri, eaque negligat sicut negligi 1.Tim.6. solent quæ proiiciuntur. Et alio loco: *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Magna planè pernicies, induci auarum ad excutiendam fidem Christianam, sine qua impossibile est placere Deo. Hoc autem fit hoc ipso, quo displicet ei fides, dictans & iubens egenis benefacere, aliena non concupiscere, ablata restituere, ab vsura, ab iniquis mensuris, à fraudibus abstinere, pretium iustum non excedere, &c. Quid si etiam eiuret Deum ipsum? Auaritia certè B. Paulo est Idolorum seruitus, Coloss.3. & auarus sanè ni sibi caueat, euadit superbissimus, iuxta illud eiusdẽ: *Diuitibus huius seculi præcipe, non superbè sapere;* superbia autẽ dispositio, gradusque proximus est ad hanc impietatem. Et Deut.32. legimus: *Incrassatus est dilectus meus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.* En tibi prædiuitem: sequitur porro: *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Quid plura? Cruciatur auarus curis assiduis augendi opes, acquirendi, conseruandi; pronus est ad sacrilegia, in rebus salutis propriæ occæcatus, inhuma

Auaritia idolorũ seruitus. 1.Tim.6.

Auaritia quot vitia generet.

inhumanus, infamis & sordidus, sibi aliísque inutilis. Cruciatur curis (quas Dominus spinas vocat Luc.8.) ita vt de Principe quodam acceperim, quòd cùm improbis subditis suis magnam & longam creare vellet molestiam, diuites eos faceret, quippè accepturos cum diuitijs ingentem curarum sarcinam; idque indicauit Æsopus in fabula sua de mure vrbano & rustico; ex quibus ille quantò locupletior, tantò vbique magis trepidabat. Tolerabiles essent hæ curæ temporalium, si moderatæ, si obseruaret auarus illud Platonis lib. 10. de Rep. *Animus immortalis non debet pro breui tantùm, sed pro vniuerso tempore esse sollicitus.* Sed quid? nescit cupiditates suas moderari. Pronus est ad sacrilegia, non horret quæstum facere pietatem: *Multi sunt tales, qui etiam putant sibi ad augendas opes suas, & multiplicanda delicta terrena, religionem suffragari debere Christianam.* Cæcutit in rebus, quæ ad salutem pertinent; quia ingens studium curaque temporalium replet veluti puluere oculos eius, nec eos videre sinit, & contemplari æternorum pulchritudinem, nec ea proindè curare, & prosequi, Ezech.c.41. *Terra erat vsque ad fenestras, & fenestra clausa.* Inhumanus est, sicut Achab, qui iam satis diues (Rex enim erat decem tribuum Israel) incensus tamen habendi cupiditate, non priùs destitit; quàm adderet fundis suis vineam Naboth calumnians eum, vt sic illa eius possessio velut rei maiestatis ad fiscum transiret, 3. Reg. 21. Infamis & sordidus

S. August. epist. 19.

Inhumanus est auarus.

Infamis.

est; quia si infamiam contrahit nobilis deiiciens se ad vilem meretriculam, quantò magis homo ad summa natus, creaturáque nobilissima magno affectu prosequens pecuniam? Immortalem sibi gloriā pepererat Miltiades Atheniensium Dux, quando vndecim duntaxat stipatus armatorum millibus, sexcenta Persarum deuicerat in campis Marathoniis; sed obscurauit omnem & labefecit, vendicans sibi & occultans aliquid de communibus spoliis, propter quod in exilium est actus. Et quicúmque nomini suo consultum voluerunt, id moliti sunt, ne auari & munerum pecuniæque auidi viderentur. *Tu scis*, ait Moyses; *quòd nec asellum vnquam acceperim ab eis*. Et Samuel; *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum si de manu cuiusquam munus accepi*. Et Apostolus Act. 20. *Argentum & aurum nullius concupiui, sicut ipsi scitis*. Et S. Hier. epist. 45. *Pecuniam cuiusquam accepi? munera vel parua vel magna non spreui? in manu mea æs alienum insonuit?* Pauli Æmilij præcipua quædam gloriatio fuit, quòd debellato Perseo ditissimo Rege Macedonum, milites quidem sui magnam ex eo prædam, ipse nullam retulisset. Inutilis denique est auarus, & cani persimilis insidenti paleæ, & nec comedenti eam, nec bruta alia sinenti comedere; nam ei reuera tam ferè deest quod habet, quàm quod non habet, adeò parcè rebus suis vtitur, semper metuens ne ad inopiam deuoluatur. *Insatiabilis*, inquit Seneca epist. 117. de auaritia

Miltiades auaritia notatus.

Num. 16.

1. Reg. 12.

Inutilis.

Insatiabilis.

auaritia, *& dum promittit absentia, præsentibus vti vetat.* Rectè itaque Diogenes eos qui immensas opes cumularent, solitus est appellare μεγαλοπτώχους, id est, *magnificos pauperes.* Sed & fit sæpè iusto Dei iudicio, vt hoc ipso amittat auarus simul omnia, & in malum incurrat, quod fugiebat. Patri cuidam, viro bono, ac liberali filius erat eiusmodi; hoc est, supra modum tenax rerum suarum, cui tamen ille familiam commiserat. Accidit autem, vt Romam ad summum Pontificem negotij alicuius tractandi gratia proficisceretur, obseratis priùs diligentissimè arcis omnibus nummorũ custodibus. Vbi distare cœpit, mox surripuit omnes pater, arenámque substituit; ac se, & filios reliquos vestiuit egregiè, in famulos fuit munificus, quæcumque ad honestum cibum, potum, & similia deerant familiæ, pretio comparauit, multa denique in pauperes cõtulit. Rediens tandẽ filius mirari cœpit in domesticis vestiũ elegãtiã, nihilq; prius habuit, quã explorare, esset ne aliquid de thesauro delibatũ. Multò magis obstupuit, & vociferari cœpit, cũ loculis arenã sensit suppositã. Accurrit pater rẽ gestã dissimulans, & ait: Heu quid tibi est, fili mi? quæ tãtæ causa perturbationis? O pater, respondit ille, in domo tua amisi omnia. Et pater, quomodò omnia? nõne inflata cernis marsupia? Tũ filius; est tantũ arena. Quàm rectè, subintulit pater, si ita res habet, nõ est vndè quiriteris; quia nõ plus tibi otiosa, & putrescens pecunia proderat, quã arena.

Plutarch. l. 2. de remed. vtriu. fort. c. 14.

In auarum filiũ patris astus.

Disce miser honestè vti rebus tuis, nec ita desipere, quod experti sumus omnes, vt quò locupletior, eò fias sordidior. Iusto Dei iudicio factum noueris, quod experiris, & factum gaudeo, vt damno tuo sapias, & hæredem te habeam liberalitatis potiùs, cæterarúmque virtutum mearum quàm pecuniæ. Simile quid apud Stobæum serm. 17. ex Antiphonte legimus. Fama est, quòd cùm vidisset quidam alterum argenti multum ferre, rogauerit eum, vt sibi mutuò daret cum fœnore reddendum. Ille verò noluit, vt qui diffideret omnibus, sed argentum recondidit. Et cùm animaduertisset quidam quid egisset, suffuratus est. Reuersus igitur ille posteà, qui pecuniam absconderat, nihil inuenit: vndè magno dolore motus est ob calamitatem tum aliàs, tum quia roganti non mutuò dederat pecuniam, quæ & salua mansisset, & insuper attulisset fænus. Cúmque incidisset in virum, cui mutuare noluerat, infortunium suum deplorauit. Ille autem, bono animo ipsum esse iussit, atque existimare lapidem eodem in loco à se depositum fuisse. Omninò enim ne cùm habebas quidē argentum, eo vtebaris. Quamobrem etiam nunc ne putaueris te vlla re priuari. Illud enim, quo quis nec vsus, nec vsurus est, nihil siue præsens, siue absens magis minusve lædit.

Pecunia amor quomodo temperādus.

Hæc cùm ita sint, moderare amorem pecuniæ; quod fiet, si libenter, ac liberaliter expendas eam in res honestas, & laude dignas. Tunc reuerà magnus eris, multò magis quàm possiden

possidendo, vt de Ioue scribit M. Tullius: *Iupiter, id est, Iuuans pater, à Poetis pater diuúmque hominúmque dicitur; à maioribus autem nostris Optimus, Maximus: Et quidem antè Optimus, id est, beneficentissimus, quàm Maximus: quia maius est, certéque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere.* Huius quoque moderati amoris coniectura erit; si opes iustè semper acquiras, adeptas conserues vsque ad virtutis occasionem, ac etiam vt decet amplifices. Non eget virtus iniustè partis; nec vnquam facienda sunt mala, vt eueniant bona. Sed & malè parta malè dilabuntur, ac maledicente Deo per se dissiliunt, sicut ædificij lapides intempestiuè, & sine arte colligati. *Qui ædificat domum impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Iniustè parta præsumi solent quæ citò crescunt in immensum, Prou. 28. *Qui festinat ditari, non erit innocens*, addit Aristoteles: *Magis mala omnia insunt nuper locupletatis, peiorâque in ipsis sunt. Nuper ditati castigatas non habent diuitias.* Scribit & Iuuenalis Sat. 14.

Cic. lib. 2. de nat. Deo. Iupiter vnde dictus.

Eccles. 21.

Arist. lib. 2. Rhet. c. 16.

—— nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri; sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?

Eadem nec te diuitem faciunt, nec tua sunt; sed ea solùm quæ tibi comparas illęsa iustitia; non secus ac Saul, qui reipsa regni clauum tenuit totis quadraginta annis. Act. 13. duobus tantùm regnasse dicitur, 1. Reg. 13. quia post primum biennium regnũ eius de iure spe-

ctabat ad Dauid, esto annis reliquis permissus. sit regnare, vt exponit Nicolaus de Lyra. Item iniustè parta dicuntur, quæ vi, dolo, aut prætextibus variis conquisitis extorquentur ab Ecclesia, nō sine damno maximo extorquentium. Sic Dionysius tyrannus, teste eodē Arist.l.2. de re famil. aurea amicula, & coronas Deorum sibi vsurpabat, dicens per ludibrium, se illis compati, quasi sub onere illo gementibus, daturum se leuiora, amiculum album & virgas populeas; sed post eiusmodi facetam impietatem quàm vixit infœlix? Euenire idem solet auaris cæteris rei sacræ inhiantibus, séque affricātibus. Vndè post illa verba: *Fabricati sunt limen suū iuxta limen meū, & postes suos iuxta postes meos, & murus erat inter me & eos*; id est, parua distantia. mox sequitur: *Propter quod consumpsi eos in ira mea.* Anno 1527. Dux Borbonius anno eodem obsidens Romam, inhiánsque prædæ sacræ supellectilis ad mœnia occubuit, & ex quadraginta millibus, qui ei adhæserant, non superfuerunt centum intra biennium, sed omnes violenta morte extincti sunt. Quid plura? Auari marsupium aliena iniustè attrahentis seu sacra, seu profana, spongia est, quæ tandē iusto Dei iudicio à Principe, vel alio premitur, & quicquid suxit, nequiter reddere cogitur. Conseruandā dixi pecuniam vsque ad virtutis occasionē; quia qui oblatā non arripit, qui conuenientes sumptus non facit, videri non potest vti ea veluti virtutis instrumento, nec affici erga eā moderatè. Quod ad illius amplificationē, separanda

Dionysij tyranni impietas in Deos.

Ezech. 43.

Belleforest in Francisco.1.

est inquietudo omnis, curáque anxia, siue excogitando, quærendóque media ad lucrū nouū, siue vtendo occurrentibus. Sic tecum loquere: habeo, sufficiunt, laus Deo, ad vitā iuxta statū meum honestè traducendā; quorsum valdè ero de iis augendis solicitus? Quid aliud est alia multa conquirere, quàm augere curas, mentis tranquillitati multū detrahere, hæredum meorū fouere inertiam, vel profusioni materiā præparare; ac denique magis magísq; irritare, & accendere habendi cupiditatē? Verè non satiatur auarus possessione rerum; sed vt scribit quidam lib. 2. Carm. Ode. 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Scio quid faciam. Nouarum opum ansam datam non negligam quidem; sed cum magna exultatione non admittam; nec negatam valdè requiram; præsertim cùm eiusmodi ansam iam ad manum, domíque si velim, habeam, nēpè parsimoniam, censum verè magnum, iuxta illud Ouidianum:

Contrahe de multis; grandis aceruus erit.

Vix deerūt quæ in necessitate profundamus, si homines frugi fuerimus. Dauid ex conseruatis militaribus manubiis thesaurū sibi cōparauit penè incredibilē, retulitq; ad structurā templi Domini. Leo paratos sēper habet vngues ad pugnā, quia incedendo parcit illis, occultans eos, & recōdens intra se velut intra vaginam, *Leo vngues occultat incedens.*

ne atterantur, vt scribit Plut. l. de industria animal. Licet non desint qui hoc fieri dicant, ne vestigia eius agnoscantur.

§. 3. In catalogum Magnificorum operum ne reposueris preciosissimas vestes, amplum satellitium (præsertim si constet adulatoribus, mimis, contaminatissimis hominibus) & eiusmodi alia; quia reuerà in se parua sunt, nec minus curæ improbis, ac prodigis, quàm virtute præditis. Decent, fateor, preciosæ vestes eximiam dignitatem, & augustos Magistratus frequens satellitium; sed ita vt tam illas quàm istud si magnanimi sunt, parui semper ducant, cùm iis se videant superari partim à liliis agri, de quibus Matth. 6. *Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex illis*; partim à Rege apum, quem infinitæ comitantur, & circumstant, ex alueario erumpentem. Et ingens satellitium sæpè sit inutile. *Famulantes multi*, ait Aristoteles, *interdum deteriùs seruiunt quàm pauci*; ocio syluescat & ignauia; & ingentem vt alatur, consumat pecuniam, quæ ad complures vtilissimas nobilissimásque res magna cum laude, meritóque transferretur. Ego accipitrem habere nolim, dicebat quidam, qui alaudam ad summum caperet, gallinam autẽ comederet. Potiùs itaque magnifica opera dicenda sunt, quæ sequuntur. Primò, quæcumque ad augendam religionem, Deíque cultũ faciunt, vt Templorum & Basilicarum ædificationes, quemadmodum insinuarunt satis, qui

Rex apum quàm stipatus.
Arist. lib. 2. Eth. c 4.

Opera magnifica quædam. Templorum ædificationes.

qui dicebant Christo Luc.7. *Dignus est, vt hoc illi prastes; diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* Nec ædificationes solùm; sed etiam instaurationes ruentium: siquidē eiusmodi renouationes opera sunt pietatis, vanæ gloriæ minus expositæ, quàm extructiones nouæ. Secundò, donaria ingentia dicata Deo, seu eidem diuino cultui. Quo certè nomine magnificentissimi fuerunt filij Israel, quando ad ornatum tabernaculi obtulerunt armillas, inaures, annulos, dextrariola, omne vas aureum, hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas, argenti ærísque metalla, ligna sethin in varios vsus, lapides onichynos & gemmas, vnà cum aromatibus, & oleo ad luminaria concinnanda. Dauid quoque Rex conferens in templi structuram & elegantiam ligna cedrina, lapides nobilissimos, æs & ferrum innumerabile, auri centum millia talenta, id est, sexaginta milliones, & argenti mille millia talenta; ac rursus non ita multò pòst talentorum auri tria millia, argenti verò septē millia, præter fundationem octo milliū partim Ianitorum, partim Musicorum. Alia ex parte obtulit populus auri talenta quinque millia, argenti decem millia, æris octodecim millia, ferri centum millia, præter gemmas preciosas. Sed & Salomon dedit in sacrificiū vnum boum viginti duo millia, ouium centum viginti millia. Tertiò largitiones magnæ factæ pauperibus famis præsertim tempore,

Luc.7. *Instaurationes.* *Donaria Deo dicata.* *Exod.25.* *Dauid magnificentia in Templū.* *1.Paral.29.* *Populi.* *Salomonis.* *3.Reg.8.* *Largitiones facta pauperibus.*

quia in Republica nihil melius est ciuibus, nihil plausibilius & publicũ magis, quàm quod ad mitigandam multorum tendit miseriam. De Pomponio Attico legimus, quod publicã Athenienſium inopiam ſuis ſumptibus ſæpè ſubleuauit. Huc pertinet dotatio inopũ puellarum, qua prohibetur pudicitia, quæ illarum vnum ac præcipuum bonum eſt, egeſtate diripi & expugnari. Vſus eſt hac magnificentia populus Romanus è publico dotes conferens filiabus Scipionis, & Athenienſis filiabus Ariſtidis. Laude quoque digniſſimum pecuniis ſuſtentare ſtudia inopum adoleſcentium, qui ob id vocantur burſarij. Quartò, ſcholæ publicæ optimarum artium, nobiles & precioſæ ſalinæ Eccleſiæ, ex quibus velut ex equo Troiano prodeant ad debellandam inſcitiam, ad propugnandam veritatem, ad ius vnicuique dicendum, ad ægritudines ab humano corpore depellendas, ad regendam Remp. viri inſtructiſſimi. Quo in genere excelluerunt inter cæteros Carolus Magnus, Gregorius XIII. ſummus Pontifex, & Robertus Sorbonus; quorum primus tres Academias à fundamentis erexit Papienſem, Bononienſem, & Pariſienſem, in qua numerantur Collegia pluſquã quadraginta. Secundus præter magnificum in vrbe Collegium, & quinque Seminara, Germanicum, Hungaricum, Anglicanum, Græcorũ & Neophytorũ, fundauit extra vrbem duodecim. Tertius verò, licet princeps non eſſet, ædificauit tamen ſuis ſumptibus annnò 1253.

Dotatio inopũ puellarum.

Ad ſtudia ſuſtentãda.

Carolus Magnus quot fundarit Academias.

Gregorius XIII. quot.

1253.& dotauit Parisiis Collegium Sorbonicum, seu Theologicum, quod Academiæ illius celeberrimæ quasi annuli aurei meritò gemmam dixeris preciosissimam. Vtinam horũ exemplo discerent complures prodigi diuitiis ingentibus benè vti, quibus affluunt, & aliquod virtutis suæ signũ & specimen studij erga bonum publicum posteritati relinquere: sed heu! placet auro potiùs ollas exornare, & cloacas; asinique caput, vt dici solet, lauare nitro. Non intelligunt, nec intelligere volunt rebus vtendum sibi esse in eum finẽ, ad quem sunt institutæ, nisi velint damnum pati cum Satyro illo, qui cùm primum ignem vidisset luculentum, eúmque complecti vellet, ac osculari: *Heus*, inquit Prometheus, *ni caueas, Hirce, profectò dolebit tibi mentum: vrit enim, si quis attingat: non valet ad istum vsum, sed lucem & calorem ministrat, tum artium omnium instrumentum est*. Quintò sumptus graues ad ciuitatis munimentum, splendorem, & honestam exhilarationẽ; vt exstruere Capitolia, seu Senatorias domos, aquæductus, granaria publica, amphitheatra, exhibere publica spectacula. Decet profectò muris optimis munire ciuitatem, de quibus Theodoricus Rex ita scribit Catanẽsibus: *Saxa, quæ suggeritis de Amphiteatro lõga vetustate collapsa, nec aliquid ornatui publico iã prodesse, nisi solas turpes ruinas ostẽdere, licẽtiã vobis eorũ in vsus dũtaxat publicos damus, vt in murorũ faciẽ surgat, quod nõ potest prodesse si iaceat*. Videat interim Princeps, ne magnificè ędificãdo nimis

Sorbonicum Collegium à quo & quãdo ædificatum.

Plut. lib. de vtil. ex ini. capienda.

Sumptus ad Ciuitatis munimentum aliaque publica opera.

Cassiod. l. 2. epist. 49.

Remuneratio fidei patria. nimis fortunas exugat subditorum, exemplo Salomonis. Sextò, egregia remuneratio fidei patriæ, seu laborum ac periculorum; quæ quis illius causa adiit, digniora certè mercede sua quàm sint malefacta supplicio. Quid si tales de Repub. bene meriti, antè perceptū prēmiū è vita discesserint? Vrique ad illorum filios est transferendum, in quibus se præmiati parentes ipsi reputant, & contemni; feruntúrque in pericula longè alacriùs, quando certò sibi persuadent, si præclarè se gesserint, mercedé filiis suis esse repositam. Hæc certè causa vna est, cur Ianiceri Turcici tam sint strenui. Prospicitur eorum filiis post mortem fideliter, & modò vnus, modò duo tresue captiui assignātur; quorum redemptione viuant aut labore. Nec tamen crediderim tantùm præmij decernendum eiusmodi filiis, quantum ipsismet genitoribus, si superessent; sed neque mihi facilè persuaserim, debere hoc præmium munus esse publicum, nisi ad ætatem illam peruenerint filij & industriam, indolémque præ se ferant, quam postulat, vt ritè administretur. Septimò, conuiuia pulica, non ad ventrem *Conuiuia publica.* saginandum relata, quod pecuinum; sed ad fouendam communem inter ciues societatem; vtque vel subditi eius, qui conuiuium exhibuit, promptiùs posthac præstent quam ei debent beneuolentiam, atque obseruantiam; vel vt apparatus argumentum, & protestatio quædam sit honoris, quo digni creduntur inuitati. Seruetur porrò proportio tam inter

conui

conuiuium & conuiuas, quàm inter authorem conuiuij, & conuiuium. Nam ficut abfurdum, & præter, imò cotra rationem effet, tam magnificè vulgares fufcipere velle, atque optimates; ita viciffim vulgari fumptu; & apparatu excipere velle eiufmodi viros primarios. Affuerus Rex vt ditiffimus erat & potentiffimus, per integrum femeftre nobiliffimum conuiuium Principibus omnibus fibi fubiectis exhibuit; in quo laudat fcriptura facra infigne vinum appofitum, vt quod deceret regiam maieftatem. Vinum quoque vt magnificentia regiæ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur. Efthet 1. Et populo Romano apud mortales omnes celeberrimo valdè difplicuit Tubero, inquit Cicero, & à Præture amotus eft, quòd illum excepiffet cum vafis fictilibus, & lectis opertis non aulæis pretiofis, fed hœdinis pellibus. Similiter rifu dignum videretur, fi mediocris fortunæ vir regium vellet conuiuium inftruere; quia fic feipfum penè totum exhauriret; dignus autē laude non eft qui Principi honorem exhibet cum tanto fuo detrimento: videretur prætereà æquare velle opulentiffimos, quod inuidiofiffimum eft, & faftum olet. Octauò, fumptuofa funera. Hic tamen fumptus in nullo magis debet confiftere, quàm in conducendis facerdotibus multis, & pauperibus, qui facrificia, & preces offerant Deo pro defuncti refrigerio; reliqua non ita funt neceffaria, & fæpè magnam continent vanitatem; nec parū ridetur

Affueri conuiuium.

Tubero cur à pratura amotus. Cic. in orat. pro Murena.

Sumptuofa funera.

ridetur illorum author à ſapientibus, vt quondam Nero circa funus Poppeę amaſiæ ſuę plus incendens thuris, quàm ferat vno anno tota Arabia, vt ſcribit Plin.l.12. quæ enim vtilitas in tanta profuſione gummi precioſi, ad vnius inhumationem cadaueris? Quo ſpectare potuit niſi ad vaniſſimam oſtentationem? Tangit hæc eadem cenſura Ægypti Reges, qui immenſas pecuniæ moles contulerunt in ſtructuras ingentium pyramidum, quibus eorum cineres conderentur. Et Mauſoli Cariæ Regis vxorem, quæ tam multa in eius ſepulchrū conſumpſit, vt magnificentiſſimo templo ædificando ſatis eſſe potuerint, quaſi vero Deo & hominibus eadem conueniant. Nonò, apparatus & inſtrumenta bellica, quales erant machinæ illæ Demetrij, arietes nimirum, & balliſtæ, quibus ſubruerentur muri. Huc refero brauia, quæ interdum, & non ſine laude multiplici dono dant Principes, aut etiam viri alij prædiuites ſubditis ſuis, aut conciuibus, ea lege, vt ſint eorum, qui curſu, iaculatione, aut honeſto alio exercitationis genere euaſerint ſuperiores. Præparantur hoc modo ſubditi ad bellum neceſſarium, & beneuolentiam ſibi conciliant locupletes. Reſtant veſtes ſplēdidæ, quas licet multò minus quàm ſuperiora, curare debeat vir princeps, vel opulentiſſimus, nec iis ſuperbire, à quibus nequaquam boni denominantur; ſicut, *nec nauis bona dicitur*, inquit Seneca, *quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui aureum eſt roſtrū, vel argenteū; nec cu-*

Poppea quātis expenſis inhumata.

Inſtrumenta bellica.

Veſtes ſplendidæ.

Sen.lib. 10. epiſt.77.

ius tutela ebore celata est, nec quæ fiscis opibúsque regiis pressa; sed stabilis & firma, & iuncturis aquã claudentibus spissa, ad ferendũ incursum maris solida, gubernaculo parens velox, & consentiens vento: debet tamẽ, cùm exteriora quædam discernicula, & signa sint diuersorum statuum; expediat autẽ seruari proportionem inter signũ & rem quam significat, & tam via ista, quàm aliis eminentiorum authoritatẽ apud populũ conseruari, omnia ferè mentientem rebus sensibilibus. Hinc Imperatores & Reges induuntur purpura, in argumetum potestatis sanguinis, quæ ipsis obrigit; sicut etiam sacerdotes Dei iussu, eò quòd illorum dignitas regia sit, appelletúrque à B. Petro *regale sacerdotiũ*: & regio seu monarchico modo Ecclesiã administrent, ac ministerio Christi præcipui, summíque Regis mancipentur. Iidem Imperatores triumphando palmata olim veste vtebantur, quasi gerentes inuictum animũ, & liliata Salomon. Sed & fœminas vestiri decet per proportionem maritorum, eorúmque fulgere honoribus, ff. de Senator. l. fœminæ. 1. Pet. 2.

§. 4. Ad virũ transeo Liberalem, suo quoque in munere dirigendum, tametsi ex præscriptis quæ proferam, cõmunia sint illi quædam cũ Magnifico. Primum sit, nimium inopiæ metum non admittere, quasi ex honesto etiã sumptu profecturæ. Quid enim reformidet? Si verè sint pauperes, quibus sua distribuet, non obscurè innuit Scriptura nullum instare ipsi ex hoc capite egestatis periculum.

Iunior

Psal. 36. *Iunior fui*, ait Rex Dauid, *etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Vsurpat iusti nomen pro eleemosynario, sicut & iustitiam pro eleemosyna in versu altero: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius ma-*

Psal. 111. *net in seculum seculi.* Et quamuis non omninò neget talem quempiam inopem factum, vel fame interiisse; à se tamen in tanta etiam ætate visum fidenter negat; quod sufficit, vt rarissimè id euenire quiuis intelligat. Quid si demonstrem tales potiùs largitione ditescere? Constat certè non defecisse lecythum olei viduæ Sareptanæ, nec illud farinæ modicum, quo reficere conata est Eliam Prophetam: & cùm non defecerit, perindè fuit, ac si Deus magnam ei farinæ, oleíque copiam subministrasset pro exigua. Quid prætereà clarius ver-

2. Cor. 9. bis Apostoli: *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugũ iustitiæ vestræ?* S. Ioannes Eleemosynarius Alexandrinus Episcopus nobili cuidam viro, sed ad extremam redacto inopiam dari iussit quindecim libras auri:

Eleemosyna fraudata. famuli autem non nisi quinque largiti sunt, quid contigit? Non ita multò pòst ditissima fœmina obtulit eidem Antistiti quingentas in syngrapha; se scripsisse credens mille quingentas; quo fortuito errore posteà deprehenso erubuit, & apud virum sanctum se excusauit. Is autẽ occulto id adscribens Dei iu-

Et quantũ compensata. dicio: & suspicatus quod erat, inuestigauit, quot libræ illi nobili numeratæ essent à famulis; cúmque tantùm quinque audiuisset, dixit

dixit illis: *Ecce fructũ auaricia vestra, inobedientia & diffidentia, qua factum est, ne à Domino per interpositam hanc mulierẽ libras mille acciperemus duplo superãtes quingentas, quibus nos donauit; sicut decem, quas iniquè retinuistis, ad quinq; dupla sunt.* Quòd si in alios quàm pauperes præbeas te liberalẽ, idque in bonum finẽ, vt quando exẽplo filiorum Iob exhibes affinibus prãdium ad fouendã mutuam charitatẽ, tam certò quidẽ non prouidebit tibi Deus; prouidebit tamẽ, ne inops fias, eò quòd nihilominus virtutis opus feceris, & te præbueris sapientẽ dominando rebus tuis, non parcẽdo, sed vtẽdo vt ancillis, & diuitiæ tuæ fuerint, nõ tu vir diuitiarũ. *Diuitia*, inquit Plut. l. de vita beata, *apud stultũ in imperio sunt, apud sapientẽ in seruitute.* Sit interim in largitione modus, ne aliàs citò te pecunię deficiãt & in mentẽ tibi veniat cũ Nerone, inuolare in bona subditorũ, vt habeas quod profũdas.

Diuitia in imperio, & in seruitute apud quos.

Ne dixeris in corde tuo, Beatiores me sunt pauperes, non est quòd illorum misereamur: fauet illis verbum Dei magis quàm nobis diuitibus; liberantur ab innumeris, quæ nos circumstant peccandi, pereundique discriminibus, à sexcentis curis & molestiis; sano sunt corpore, robusto, facto ad incommodorum tolerantiam, in vtramque aurem dormiunt, non habent æmulos, nec quicquam sibi timent à latronibus, cum gaudio ex hac vita discedunt, &c. Impia vox ista est, nec excusare valet erga eos illiberalem, quia tota illa eorum fœlicitas non obstat, quominùs secundùm corpus

personæ ſint miſerabiles,& cùm ſint, atq; à te iuuari queant, omninò vult Deus operam vt tuam ſentiant, ſicut illorum viciſſim velles in re ſimili experiri.

Ordò in liberalitate tenendus.

In liberalitatis exercitiis eundem quoad perſonas ordinem ſeruandum puta, quem in dilectione fraterna libro primo tenendum diximus; exempli cauſa, cæteris paribus, affines & domeſtici tui liberalem te potiùs experiantur quàm exteri; *tunica pallio propior eſt*; & domeſticos cuiuis ſingulariter commendat Apoſtolus; agentia item naturalia prius & fortius agunt in obiecta viciniora. Vide item, ne ſimul totum dederis; ſed ſucceſſiuè, ne inſoleſcat qui accipit, & te minus colat, vbi à te nihil amplius expectabit; Sic melius cum terra agitur, quæ humectatur à pluuiis, cōtinuis quidem, ſed tenuibus, quàm ſi à ſubitis denſiſque imbribus. Rurſus ne totum vnis dederis, & nihil aliis: non enim eſt liberalis in vnum vel pauciſſimos omnia congerere.

Quoniam malorum nequitiam, inertiamq; vt plurimùm fouet beneficentia, raro illam, aut nunquam in eos exercebis, niſi id poſtulet grauis illorum indigentia, vel neceſſe ſit ad iniuſtam vexationem aliquam redimendam, vel indè ſperes futurum, vt ad bonam ſe frugem recipiant. In ſpecie cauebis augere eos viribus, quos aduerſum te armari poſſe videris. Apologum audi. Syluam rogauit ruſticus, vt ad ſecurim ſuam tollere liceret capulum. Annuit Sylua. Ruſticus autem aptata ſecuri cœpit ſyl-

uæ

tiæ arbores ſuccidere. Tum & quidem ſerò pœnituit ſyluam ſuæ facilitatis,ac beneficentiæ, quæ ſibi cauſa fuit exitij. Si nihilominùs contingat renuntiari tibi improbum eſſe & hoſtem tuum,quem probum amicumque credebas, & beneficio affeciſti, ne idcircò te diſcruties; ſed ſemper grauius tibi ſit,non dediſſe quod dandum fuit, quàm dediſſe quod ſecùs. Nam & pater cœleſtis ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos& malos. Ne promiſſis duntaxat diues fueris, & liberalis; in effectum pacta tua deducito, & conditioni hominum beneficia accommoda. Non egent diuites pecuniis tuis, ſed officiis & rebus aliis, pauperes contrà; rectè proindè monet Martialis:

Diuitibus poteris Muſas, elegoſque ſonantes
Mittere; pauperibus munera plena dato. Lib. 7. Epigr. 40.

Ne attendas ad verba quorumlibet inſimulantium te illiberalitatis, ſed ſapientum; reliquis in more eſt, auaros dicere quoſcumque non experiuntur in ſe prodigos, & à quibus nón offertur ſibi hauſtus quoties veniunt, aut non ſæpè ad cœnam inuitantur; aut poſt cœnam benè longam & opiparam, adhuc non ſuppeditatur ingens vini copia ad ſuperabundantem compotationem, qua nihil fœdius, nihil ingenuo viro indignum magis. Talibus diſplicuiſſe laudabile eſt, quia conſenſiſſe & placuiſſe turpe eſt.

Prætextu exercendæ liberalitatis, vel te, tuoſque ſuſtentandi, ne ſemper quæras facul-

tates veteres nouis cumulare; tum quia cum illis crescit habendi cupiditas, & relanguet benefaciendi voluntas; tum quia quatenus instrumenta sunt rei familiaris, respondent artium instrumentis; ars porrò nulla vtitur, vel eget infinitis, teste Arist. l. 1. Polit. cap. 5. vbi propterea ridet ac reprobat illam Solonis sententiam: *Diuitiarum nullus est finis constitutus hominibus*. Haud dubiè sicut natura & ars rebus suis modum præscripserunt, illa quidem certam formam animalibus vniuersis, vt neque omninò parua essent, nec omninò magna; hæc verò opificiis, vt ars nautica nauibus moderatam magnitudinem, eò quòd tam excessus, quàm defectus ineptas illas ad vsum constitutum redderet, vt dicitur lib. 7. Polit. c. 4. Ita recta ratio omnes vult contentos esse necessariis ad vitam, statumq; proprium honestè conseruandum; sollicitè non quærere ampliora, sique fortè suppetant, dispensare prudenter, non ociosa retinere. Verissimè Plut. lib. de cupid. diuit. *Qui incipit non esse contentus iis, quæ faciunt ad honestam sustentationem, satiari non poterit.*

Quò opulentior, eò esto liberalior; hoc dictat æquitas, hoc recta ratio, & Christus seruandum insinuat, dicens: *Cui multum datum est, multum quærent ab eo.* In structuram taberna- Luc. 12. culi paria non contulerunt omnes; sed Principes tribuum plura multò, & preciosiora; nec quisquam est, cui turpe non videatur, liberalitate vinci locupletes à pauperibus vel medio-

cris

ctis fortunæ viris, quandiu hi conferunt ex animo quod conferunt. Hoc dico, quia nonnunquàm mala fide agunt, cuius exemplum profert Aristoteles l. 2. de re familiari. *Mausolo*, inquit, *Cariæ tyranno tributum à suis exigenti*, vel donum potius gratuitum, *priuati quidam, iique satis inopes; sed ad hoc callidè instructi, multum pro ratione facultatum suarum obtulerunt; quo audito puduit diuites, non multò plus adhuc offerre.* Rectè, quia supponebant priuatos illos ab omni fraude abstinuisse, quæ si sibi innotuisset, meritò cohibuissent se, ne tàm multum erogarent. Et quoniam tempus ipsum gratiora reddit dona, ac beneficia, vide præsertim liberalis sis tempore necessitatis, exemplo Berzellai & Pōpeij Attici; quorum ille fugienti Dauid Regi, valdéq; indigenti, magnū attulit ciborū commeatū; hic vero fugientē è patria Ciceronem Sestertiis donauit ducentis & quadraginta millibus.

Si aliquid te daturum spopondisti, posteà autem perspicuè intelligis non esse dandū, caue dederis, edoctus aureo illo Agesilai apophthegmate: *Si iustum est quod petis, promisi; sin minus, non promisi.* Tam parum decet te præstare quod es pollicitus, quàm parum licuit promissario, quod nō licuit postulare. Ne votis quidem standum & iuramentis, quando iniquitatis sunt vincula, & deprehenduntur fuisse temerè nuncupata. De temeritate loquor circa materiam per se malam, aliàs ob Dei reuerentiam oportet vtrisque satisfacere.

Benefacienti recta sit intentio;quod fiet, si beneficium contuleris, quia id Deo placet, præscribit recta ratio,& naturæ inter nos communis lex postulat;secus si benefeceris humanæ laudis aucupandæ gratia, vel studio æquale,vel plus recipiendi,vel libidinandi, vel recreandi te, vel ad altiorem perueniendi gradum, illorum ope & suffragiis, quos muneribus officiisq; prosequeris. Rari profectò sunt, qui intentionem habent repurgatam, iis exceptis qui pauperibus sua distribuunt (præsertim si occultè)à quibus quia non expectāt retributionem temporalem, hoc ipso beati sunt, ampliorem à Deo accepturi, qui ait:*Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos,neque cognatos, neque vicinos diuites; ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio: sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi;retribuetur enim in resurrectione iustorum.*

Luc. 14.

Collatum beneficium vix cōmemoraueris, considerans ex tribus Charitibus, quas finxerunt Græci, duas quidem aspicere inuicem;vt docerētur, qui beneficia accipiūt,se ea æterna memoria intueri debere; tertiam auerso fuisse vultu, ad instruendum benefactores, ne illa considerent. Minus adhuc exprobraueris, nisi euidenter ingratis; quales non statim dicendi sunt, qui petenti negant aliquid. Quid enim, si iniquum flagitas, & illis perincommodum; aut si aliundè paria, vel etiam maiora rependant,vt spiritualia pro temporalibus?Sed quid?

Charites ab antiquis cur ita disposita.

Ita

Ita iam viuitur, magnũ ducunt homines quicquid dant, quãuis exiguum; & contra exiguum quicquid accipiunt, quantumuis magnum.

Æquo animo promptoque da, quicquid dederis, etiam non petentibus (nisi aliquantulum cunctãdum putes, quò munus sit gratius) quia non Deus solùm, sed etiam homines hilarem datorem diligunt. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, inquit Ecclef. c. 35. Seneca autem l. 2. de Benef. c. 6. *sicut in telis eadem vis ferri est, sed in infinitum refert, vtrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant. Idem est quod datur; sed interest, quomodò detur.*

Quid si ad dandum aliqua me necessitas vrgeat? Tunc nihil melius, quàm adhibere solertiam, qua videri possis dare liberè; vt sic magis tibi obstringas voluntates accipientium. Exemplum, Princeps impetrare aliquid nõ potest à subditis, aut iis negare; minantur enim defectionem, si vltrà vrserit vel negauerit. Det occultè operam, vt veniant suppliciter rogatũ motu proprio, & postulatis eorũ annuat; ita quippè interpretabũtur se beneficiũ accepisse.

Denique ne pecuniaria duntaxat in re præbe te liberalem, sed opem quoque tuam, & obsequia, quando commodè poteris, cuique libenter impende, libenter consilio iuua indigentem, & collatæ tibi à Deo scientiæ indigẽtes fac participes. Sic ad se inuitat omnes Sapientia: *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Et Salomon, *Sapientiam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Prou. 9. Sap. 7.

Sap. 7. Et Christus Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.* Prisci illi Ethnici, vt scribit Plutarchus in libro, cui titulum fecit, λάθε βιώσας; id est, *sic viue, vt nemo te sentiat vixisse*, artem auro potiorem publicè gratisque communicabant. *Ægrotos curabant palam, vnusquisque si quid habuisset conducibile, quod vel ipse ægrotans vel alterum curans comperisset, consulebat ei, cui opus erat.* Lysippus accepto Polycleti Doriphoro, opere longè præstantissimo, in quo dicebat artem omnem contineri, effinxit ad eius similitudinem sexcentas decem tabulas pluribus communicandas; adeò non ægrè ferebat, quæ sciebat ipse, disci quoque & sciri ab aliis.

§. 5. Sed vtrum prohibetur vir liberalis, quæ sibi ab amicis offeruntur, admittere? Nihil dubium, quin beatius sit dare, ac etiam iucundius. Nam *multi sæpè pudore afficiuntur, cùm beneficium accipiunt; semper autem gaudent, cùm beneficium præstant*, inquit idem Plut. lib. de disput. Philos. Id quoque certum, ad Liberalem, vt formaliter liberalis est, non pertinere dono affici, sed afficere, nec accipere; saltem vndè non oportet, sed potius dare. *Non enim eius, qui non magni facit pecunias, talis acceptio est. Neque erit petax. Non enim ad eum spectat, qui beneficia in alios cōfert, vt facilè beneficiis afficiatur.* Non desunt prouinciæ, vt Sinēse regnū amplissimū, in quibus missa, vel oblata ab amicis munera repudiare concedit mos patrius; sæpè profectò laude dignus; cū is qui mittit, probet se

Arist. l. 4. Eth. c. 1.

Sinensium mos in muneribus accipiendis.

se liberalē, earundemque contemptorem; Alter magni faciat propensam in se mittentis volū-tatem, & propter illam ei se fateatur obstrictū & gratias agat; simul autem indicet animum sibi esse à muneribus æquè liberum. Vbi autem mos iste non inualuit, oblata recusare sæpè non expediet, ne vnà cum iis se contemni & reiici suspicentur, qui dederint. Quod in primis accidit, quando potentiores maioresq; sunt accipientibus; dummodò tamen ab illis non offerantur in pretium, seu mercedem rei alicuius sacræ & spiritualis, quo sanè casu sūt repellenda. Exemplum: res sacra fuit Scripturæ interpretatio, quā in pariete vidit Baltassar filius Nabuchodonosor Regis, *Mane, Thechel, Phares*, ad cuius sensum eruendum promisit Danieli nobile præmium: *Si vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuū habebis, & tertius in regno meo Princeps eris.* Quid adhæc Daniel? *Munera tua tibi sint, & dona domus tuæ alteri da, scripturam autem legam tibi Rex & interpretationem eius ostendam tibi.* Nec obstat quòd peractis omnibus seu facta iam scripturæ interpretatione, cōsenserit oblata recipere, iuxta id quod sequitur: *Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius, & prædicatum est, de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo*; quia nullum amplius suberat periculum, ne hęc dona ex pacto seu tanquā mercedem, & iustitiæ cuiusdam cōmutantis titulo admittere videretur. Hæc Dan. 5.

rursus intellige, quando quod offertur, oneri potiùs quàm solatio futurum est accipienti; vt patet ex responso Berzellai ad Dauid Regem, sic illum inuitantem: *Veni, vt requiescas securùs mecum in Hierusalem.* Sed excusauit se Berzellai, prætendens senium aulicis moribus ac strepitibus minimè accommodatum, & ait: *Obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei, & matris meæ.* Quod si superior sit, longéque augustior qui munere donatur, interdum remittet totum, sufficere sibi dicens animum dantis liberalem; vel ad summum partem sibi retinebit. Sic Dauid Absaloni filio suo respondit, à quo fuerat ad prandium inuitatus: *Noli fili mi, noli rogare, vt veniamus omnes, & grauemus te.* Sed neque munera admittet liberalis, si nõ ex amicitia, sed alicuius spe commodi offerantur. Indigebat Persa patrocinio Cimonis Atheniensis, quo vt frueretur, obtulit ei pateras duas, alterã aureorum plenam, alterã argenteorum. Tunc indignatus Cimon repudiauit munera, negans se esse mercenarium.

2 Reg. 19.

Ibid. c. 13.

Cimon repudiat munera, & qua ratione.

De partibus, seu legibus Prudentiæ circa Gratitudinem.

CAPVT IV.

§. 1. Gratitudinis actus quàm sit nobilis; Ingratitudo

tudo contrà, quàm turpis, & qua turpissima omnium.

2. *Beneficium quomodò recognoscendum.*

3. *Quomodò laude prosequendum beneficium, & agenda gratia.*

4. *Quomodò rependendum aquiualens beneficio, vel quid maius.*

§.1. TANTA virtus est Gratitudo, vt vel partem eius primam, quæ consistit in accepti recordatione beneficij, beneficentiæ ipsi parem facere quidam non dubitent. Quid enim maius, inquiunt? Apud amicum deponere preciosum aliquid, an fideliter seruare depositum? Vtique hoc maius credendum est, quia difficilius. At liberalis collatum beneficiū deponit apud beneficiarium; hic autem si verè gratus sit, committit illud perenni memoriæ. Deindè quanto in pretio est beneficentia, tam detestabilis est ingratitudo (& consequenter tam laude digna gratitudo) illa enim beneficiū ponit, ista eleuat, & viri liberalis riuos claudit, ne vltrà erumpant, & in alios deriuentur. Eundem mœrore quodam afficit, propter iacturam malè collocati beneficij. Expostulat Deus ipse, & ait Isa. 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et Luc. 17. *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Nec mirum, nam reuerà: *Gratitudo in quo consistat.* *Lucianus.*

Improbus vir est dolium perforatum, in quod omnia
Infundens beneficia in vanum infuderis.

Non

Non hoc tantùm, indignari etiam facit alios. Exemplum vide apud Senecam l.4.de Benef.c. 37. Miles quidam Philippo Macedonum Regi percharus, ac ſtrenuus; ſed auariſſimus, naufragio eiectus eſt in agrum cuiuſdam Macedonis, à quo gratis & humaniſſimè cũ ſuſceptus fuiſſet, homo alioqui ignotus, miſer, peregrinus; indéque diſceſſiſſet, ac Regi commemoraſſet; quæ in mari pertulerat mala, non erubuit hoſpitis illius ſui agrum in præteritæ mercedem militiæ ſibi poſtulare; erat enim ager amœniſſimus: nec poſtulauit ſolum, ſed impetrauit. De qua conceſſione certior factus hoſpes, confeſtim accurrit, & ſuggeſſit Regi, eum ſe eſſe qui naufragum militem ſuſcepiſſet hoſpitio; cuius nihilominùs agrum ſibi decerni per ſummam flagitaſſet impudentiam, pari cum ingratitudine cõiunctam. Quo audito ſtatuit Rex, & Pauſaniæ mandauit, vt curaret detractum agrum poſſeſſori ſuo reſtitui; inſcribi autem dorſo impudentis militis: *Hic ingratus hoſpes eſt.*

Ingratitudinis exemplum notabile.

Sciendum interim, non eſſe ingratos omnes nequitia pares; Quidam ingrati ſunt, quia nõ agnoſcũt beneficium, nec par aliquid data occaſione rependunt, cùm tamen poſſint. Deteriores alij pro acceptis bonis rependunt mala colubro ſimiles, qui propè enectus frigore, & ad focum domeſticũ portatus à ruſtico, momordit illum, poſtquàm ab igne cui admotus fuerat, vim viruſque recepit. Actionem contra tales ſingulariter concedunt iura, reuocantur donationes, poteſtati patriæ ſubiiciuntur de-

In ingratos pœna decreta.

nuo

suo emancipati filij, & liberti pristinæ seruituti. Ad hęc priuantur filij successione legitima bonorum ad parentes pertinentium, & cliens accepto prædio exnitur propter commissam ingratitudinem aduersus dominum clientarem. Quid enim minus concedant leges benefactori, quàm vt beneficio illum destituat, à quo non agnoscitur, imò quem malorum retributorem pro benefactis experitur? Agro indignantur omnes rependenti pro bono semine vrticas & spinas; in ingratos autem beneficiorum loco mala reponentes nefas erit indignari? Sciendum prætereà speciali execratione dignos esse, quicumque ingratum gerere animum deprehenduntur in Deum, vel in parentes, Rempublicam, ciues optimos, vel etiam dominos & præceptores; quibus tamen ingratitudinis speciebus quid hodie solennius? Quotusquisque est affluentium vitæ huius commodis qui præ oculis Deum habeat, gratias illi agat, cogitatione ad illum assurgat, quando res occurrunt pulcherrimæ; vt lux Solis aurea, color viuidissimus, concentus gratissimus, aliaque externorum blandimēta sensuum? Quid iustius faceret attentè ista considerans, quàm intra se diceret? *Benedictus sis æterne Deus in sæcula sæculorum. O Domine, si mihi pro hoc corruptibili corpore tam magna, & innumerabilia præstas à cœlo & aëre, à terra & mari, à luce & tenebris, à calore & vmbra, à volucribus, & piscibus, à bestiis & arboribus, à cibo & potu, ab odoribus, & saporibus, à multiplicitate*

rum est illud Plauti in Penulo:

Si quid bene facias, leuior pluma est gratia:
Si quid peccatum sit, plumbeas gerunt iras.

Patriam quoque propriam, cui multum debēt omnes velut communi matri, euiscerant, ac produnt quamplurimi, & cruore eius delectantur. Multum vicissim debet patria ciuibus optimis, à quibus seruata est; sæpè interim illorum obsequia, & fidem missa facit. Exod. 1. *Surrexit Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* In Miltiadem, & Themistoclem columina sua tam ingrata fuit ciuitas Atheniensis, vt illum suffocauerit, istum verò in exilium egerit, idcircò dicere solitum, similem se esse platanis; sub quarum vmbra continent se, & accurrunt homines afflicti tempestate, easdem autem redeunte serenitate lacerant. Eadem veneno Socratem sustulit dignum planè, qui publicis impendiis in Prytanæo aleretur. Nihilò gratiorem experti sunt Romanam tres illi Scipiones, Africanus, Asiaticus, Numantinus, quorum primus annos natus 24. in Hispaniam missus, indéque petens Africam, primo die Carthaginem cepit, occidit de hostibus 44000. naues incendit 500. coegitque Annibalem redire ex Italia, ipsumque omninò fregit. Posteà autem mercedis loco accusatus repetundarum est ab Actco tribuno plebis; & quamuis conuinci nequiuerit, adeò ægrè tulit accusationem, populique conniuentiam, vt in voluntarium exilium concef

Miltiades & Alcibiades quàm male affecti à patria.

Ac tres Scipiones.

concesserit, & ibi mortuus sit, mandans vxori, ne in vrbem transferri ossa sua peteretur. *Ingrata patria*, inquit, & sepulchro inscribi iussit, *non habebis ossa mea*. Comes de Suffort Anglus quamplurima pro Anglis suis in Gallia gesserat contra Carolum VI. & VII tandem nihilominus ob factas cum Rege inducias non sine causa, necessitatéque grauissima odium maximum incurrit Londinensium, à Comite de Sôbresset occisus & capite plexus in Normandia est, indéque Londinum missus, vbi secuerunt eum Londinenses in partes quatuor, quas postea totidem ciuitatis portis affixerût. Huic affinis est ingratitudo in eos, qui strenuè laborarunt, dum pollebant viribus; vbi autem senuerunt, contemnuntur velut inutiles. Exprobrauit hoc hero suo canis venaticus senio confectus: *Iuuenem amasti, senem odisti.* Gratior in Bucephalum equum suum Alexander Magnus stabilem annonam seni constituit, & senem dilexit fructuosæ iuuentutis gratia. Et Ælius Adrianus Romæ veteranis Doctoribus amplius docere non valentibus opes contulit, ac vacare vitę reliquum iussit. Ingratorum seruorum numerus exitu caret. Bessus Darium dominum suum Persarum Regem in se munificentissimum interfecit: quam ingratitudinem non ferens Alexander discerpi iussit alligatum duabus inflexis arboribus. Rechab quoque & Baana, vt Regi Dauid gratificarentur, Isboseth optimum Principem suum somno sopitum iugularunt, quo renuntiato iussu Dauid

Comes Suffort. Bellef. in Caralo VII.

Alexander annonam cõstituit stabilem equo seni.

Bessus ingratus in Darium eũ obtruncat.

2.Reg.4.

Dauid confossi sunt. Viciſſim magnus eſt Dominorum numerus, qui optimis ſeruis ſuis reponunt pro bonis mala. Ioas Rex in regnum aſſumptus opera Ioiadæ Sacerdotis obrui iuſſit lapidibus Zachariam filium eius, à quo ſalubriter admonebatur, 2. Paral. 24. Idem Alexander Magnus Clytum ſeruum ſuum fideliſſimum peremit, poſtrema hæc dantem verba, *ταυτὰ τελὴ τῶν πόνων*, *hic ne finis, ſeu præmium eſt tot laborum?* Crebra quoque ingratitudo diſcipulorum, ex quibus Periclem vix quidquam magis infamauit, quàm quod abundans opum Anaxagoram præceptorem ſuum fame mori ſuſtinuerit.

Clytus ab Alexandro occiditur.

Periclis ingratitudo.

§. 2. Ad Gratitudinem tria requiri docet S. Thom. 2. 2. q. 107. a. 2. Primum, vt homo agnoſcat acceptum beneficium; Alterum, vt laudet illud, & gratias agat: Tertium, vt retribuat loco & tempore ſecundùm ſuam facultatem. Primum minus quidem eſt quàm ſecundum; prius tamen, magiſque neceſſarium. Secundum ſimiliter minus eſt quàm tertium, antiquius tamen, & magis neceſſarium. Ita fit vt pars ingratitudinis omnium deterrima, & quaſi fundamentum cæterarum, ſit omiſſio primi illius debiti, id eſt acceptum beneficium non recognoſcere, cuius ſceleris Caluinus præ alio quouis reum ſe fecit l. 3. Inſtit. c. 4. §. 29. & ſeq. ſcribens: *Quid quæſo nobis præſtitiſſet Chriſtus, ſi adhuc pro peccatis pœna temporalis exigeretur?* Quaſi verò non ſit multum & maximum Deo reconciliari, ab æterna morte

Ad Gratitudinem tria requiruntur.

liberari, diuinæ gratiæ participes fieri, per gratiam ius sortiri ad vitam æternam, & posse pro culpa ex parte saltem satisfacere, quorum omnium effectuum propria & præcipua causa est mors Christi. Secunda pars ingratitudinis est, non laudare beneficium, & gratias agere, sed dissimulare ac si non accepisset. Tertia non rependere par, vel maius aliquid. De partibus negatiuis loquor: nam longè adhuc deteriores sunt positiuæ his respondentes, per quas ingratus non solum non facit quod debet, sed facit quod non debet; adeoque non agnoscit beneficium, vt reputet maleficium (quo modo peccant in Deum afflicti & ægri plurimi afflictionem ægrè ferentes, cùm tamen sæpè maius donum Dei sit quàm prosperitas, & digna ob quam exclamet eorum quilibet. *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*) adeò rursus non laudat ipsum, vt etiam vituperet; exempli causa, professionem
Psalm. 118. bonarum literarum, & bonas ipsas literas, quibus tinctus est, à suis præceptoribus, & sine quibus non esset, quod est: adeò denique non reponit pro bono bonum, vt etiam rependat malum; tauris, furiosis & arietibus similis, qui sæpè cornibus impetunt eos, à quibus nutriti sunt. De prioribus illis tribus ingratitudinis partibus dicamus ordine aliquid in hoc, & seq. §§.

Beneficium non agnoscentes qui. Beneficium non agnoscere dicitur, primò, qui sine causa illud repudiat, vt Iudæi, ad quos
Act. 13. Paulus & Barnabas: *vobis oportebat primũ loqui ver*

verbũ Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Dixi sine causa; nam si causa subsit rationabilis, excusatur; vt Iacob, Gen. 33. non admittens periculosum Esau fratris sui consortium sibi oblatum his verbis: *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.* Item qui beneficium sibi ex iustitia deberi falsò interpretatur; cum econtrà sit gratuitum. Item, qui illud alteri quàm authori suo vero acceptum fert; vt Athei, qui Deum eleuantes, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, nulla ei adscribunt bona; sed naturæ. Quasi verò aliud sit natura quàm Deus, vt causa & principium creaturarum? *Non intelligis*, ita loquitur Seneca, *te cum hæc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo inserta?* His affines sunt, qui inflati superbia, non à Deo, sed à seipsis habere se præsumunt, quod habent; dicuntque; *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Et: *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Sed neque procul absunt, qui laudati, à doctrina, forma, opibus, actu præclaro, & id genus aliis, in ea laude conquiescunt, nec in Deum referunt velut causam præcipuam; nam ex consequenti, & tacitè rem laudatam; non à Deo, sed à se ipsis esse insinuant. Quo delicto quantum offendatur Deus, ex eo liquet, quod eiusmodi dona in pœnam sæpè reuocet, vt narrat Sigebertus ad annum 530. de quodam Episcopo,

Athei.

Sen. l 4. de Benef. c. 5. & 7.

Deut. 32. Psal. 11.

Episcopus amputata lingua loquitur, & cur tanto dono priuatus.

qui amputata ab hæreticis lingua rectè loquebatur; sed cùm indè superbiret, tanto est dono destitutus. Affinis est apologus de cornicula, quæ cùm alienis adornata plumis inde sese efferret, quasi propriis; fastum non ferentes aues cæteræ aduolarunt, & suas singulæ repetentes destitutam omnibus reliquerunt. Item qui raro, vel nunquam de beneficio cogitant, sed obliuioni tradunt, non naturali; quia hæc cùm in nostra non sit potestate, culpa vacat. *Neque enim quisquam peccat in eo*, ait S. August. *quod vitare non potest*; sed morali, mananti scilicet ex defectu bonæ voluntatis, ac diligentiæ in considerandis passim bonis quæ accepimus. Sicut enim eorum facilè memoriam retinemus, erga quæ afficimur; ita contrà citò deponimus; si contemnamus. Licet autem beneficium sit ex se amabile, & magni faciendum; non placet tamen omnibus propter obligationis onus, cui obnoxium facit accipientem, atque ex hoc capite contemnitur, sed non rectè; quia, vt scribit Seneca l. 8. epist. 68. *Non qui iussus, seu obstrictus aliquid facit, miser est; sed qui inuitus.*

S. Aug. lib. 1. Retr. c. 9.

Beneficium parui pendentes.

Item, qui beneficium siue à Deo profectum siue ab hominibus paruipendunt: quod sæpissimè accidit, non quia in se paruum sit; sed quia ipsi insatiabiles & inexplebiles semper sibi expetunt plura, quasi meritis suis nondum sit factum satis. Atqui decet sapientem, non facilè *equi dentes inspicere donati*: & ad benefactoris studium magis quàm ad donum respicere

cere; vt respexit Christus, plus oblatum reputans à vidua, quæ duo solùm minuta contulerat, sed magnificè, libenter, oblita suæ paupertatis, putansque munus se accipere cùm offerret, quàm ab opulentissimis. Elegantet suo more Aristoteles: *Liberalitas pro facultatibus dicitur. Non enim in multitudine eorum quæ dantur, sed in habitu eius qui dat, actio liberalis consistit: qui quidem habitus est, qui dat pro facultatibus. Vnde nihil vetat, quin liberalior aliquis sit, qui pauciora dederit, si modò ex paucioribus et iam fuerit elargitus.* Solet etiam hæc iudicij peruersitas, seu beneficij accepti extenuatio partim ex eo descendere, quòd dari credatur in tetributionē actuum, & obsequiorum nostrorum, quibus nihil par esse posse suggerit φιλαυτία; seu amor nostri fallax, & immodicus, stultè somniamus; partim ex eo quòd sit beneficium commune multis, aut non consideretur circumstantia temporis, vel eximia dantis conditio. Quid enim si ita commune sit, vt commodis tuis nihil detrahat aliorum participatio, nec impediat quominùs tibi æquè bene sit, ac si in eius partem nemò veniret alius? Est profectò, cur æquè gratum te sentiat benefactor, verbi gratia, Deus creator solis, imbrium dispensator, Christus humani reparator generis, concionator qui aliis præter te ostendit salutis viam, &c. A circumstantia temporis constat multùm pendere beneficij magnitudinem, tunc sanè iucundissimi, quando confertur valde indigenti; quare

Arist. l. 4. Eth. c. 1.

Psal. 9. Propheta hoc speciali nomine Deum extollit benefactorem suum, quòd sit *adiutor in opportunitatibus in tribulatione*. Quòd denique ad benefactoris circumstantiam, cùm beneficij, & iniuriæ contraria sit ratio, & hæc quidem eò maior, quò qui læsit, est abiectior, qui verò læsus præstantior: Oppositum beneficio accidat, crescatque prout augustior fuerit qui confert, vilior qui accipit; facilè fit, vt quod in se minus est, maiori æquipolleat; imò etiam sit præferendum. Infertur præterea nullum tam paruum Dei in hominem existere, quod non sit quadantenus infinitum, cùm infinito interuallo hominem Deus superet; & contrà, eandem ob causam irrogata illi iniuria quadantenus est infinita.

De gratiarũ actione distinctio. §. 3. De actione gratiarum, vidi nonnunquam disputari, vtrum semel egisse sufficiat, rectéque concludi, distinguendum de beneficiis. Si sint vulgaria, semel egisse gratias satis erit; vt seruetur inter illa, & actionem hanc proportio, & non erubescat benefactor; secus si singularia, & magna. Sed vtrum expediat etiam pro congestis in alios donis & beneficiis, eidem benefactori habere aliquas? Vtrum audiente eodem & præsente, acceptorum ab eo bonorum facere mentionem? Quod ad primum, conuenit prorsus, quoties illi alij nobis sunt affinitate coniuncti, aut collatum in eos beneficium in nostram redundat vtilitatem. Sic agit Pater, Principi gratias, à quo filium suum videt honore affectum: vel etiam filius

filius parentem videns ab eodem in dignitate constitutum. Et pij omnes Deo pro donis, quibus beatissimam Virginem Mariam dignatus est cumulare; quia cùm eò fine illi collata sint, vt dignum Redemptoris nostri fieret habitaculum; arborque illa existeret, ex qua proditurus erat vitæ fructus, & salutis nostræ precium, in nostra vtique cesserunt commoda. Sin autem sint exteri, nullo affinitatis vinculo nobis colligati, & reportent soli vtilitatem ex aliena beneficentia; non est, cur homini gratias agas in eo benefico, vt qui nihil minus in mente habuerit, quàm illis benefaciendo, tibi simul bene velle ac consulere. Deo autem pro collato quouis in eos dono, agi gratiæ meritò possunt, contraria de causa; nempè quia respectu eius omnes fratres sumus, & ipse tanquam communis pater facit benè omnibus, & vniuscuiusque dona vult in necessitate cæteris esse communia, eáque largitur in hunc finem.

Pro donis B. Mariæ concessis pij omnes redduntgratias.

Quod ad secundum, si Dei sint munera, qui non potest vbique non esse præsens, patet quòd vel præsente & audiente eo commemoranda sint, vel nunquam; neque enim absente possunt. Dirigere rursus licet eorum commemorationem tam ad ipsum, Prophetæ exemplo, dicentis: *Domine Deus adduxisti me hucusque*, id est, fecisti me Regem. *Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum:* quàm ad alios, vt dirigebat idem Propheta, cùm diceret Psal. 65. *Venite, & narrabo omnes*

Dei munera.

1. Reg. 7.

qui timetis Deum, quanta fecit anima mea. Sin autem beneficia sint hominum, recenseri quidem possunt & debent; siue præsentes sint, siue non, sed data occasione; quæ si desit, importuna erit, ob idque datori honesto, & à vana gloria abhorrenti, ingrata narratio. Exemplum, donat te princeps equo nobili; arripe præsentem, perfectamque occasionem depromendi ore tuo gratias; eadem coram ipso vtere. Et similiter si percõtetur, vtrum valeat, tibique satisfaciat; iterum gratias age. Si sciscitetur tertius; vnde illum habeas, caue nomẽ supprimas tui benefactoris. Exemplum aliud habes apud S. Basil. epist. 1. *Si quid ab altero edocti sumus*, inquit, *idipsum non occultandum est, velut improba mulieres spurios partus subijciunt; sed dicti parens cum gratitudine prædicetur.*

Hominum Beneficia, & pro iis gratiæ agendæ, quã.

Remunerãda beneficia si possis, & quando.

§. 4. Quod ad reponendum, remunerandumque beneficium, ne id facere prætermiseris, si possis; nec imitere lupum, qui grui præmium laboris petenti, quem susceperat eximendo illi os, quod gulæ infixum hæserat, respondit ingratus: abi, non sat habes quod viuis? vitam debes mihi. In me enim fuit præmordere collum tuum. Interim tamen ne statim reposueris, quia superbi videtur nimis festinare, quasi obligari nolentis vel tantillo tempore benefactori, & debere aliquid. De hac re Seneca. *Reijciendi genus est protinus aliud inuicem mittere, & munus munere expungere.* Et infra: *Qui festinat itaque reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et vt breuiter dicam,*

Sen. l. 4. de Benef. c. vlt.

qui

qui nimis citò cupit soluere, inuitus debet, qui inuitus debet, ingratus est. Certè solui statim vel definito tempore, proprium est eorum quæ debentur ex iustitia, à quibus differre oportet debita, quæ nituntur sola gratitudine. Sicut iuxta Quintilianum ij, quibus infirma est memoria, non debent esse nimis solliciti, nec obligare se ad omnia verba, cùm obliuio vnius eorum cuiuslibet, aut deformem hæsitationem aut etiam silentium inducat, tutiúsque multò sit, comprehensis animo rebus ipsis libertatem sibi eloquendi relinquere; ita si non potes benefactori condignum rependere, ne sis valdè anxius, cùm dādi studium præcipua pars sit beneficij, & in tua potestate; possitque eius magnitudo defectum omnē supplere exterioris muneris. Cùm rursus benefactori, quem prudentem supponimus, etiam parua placeant à viro bono sibi obstricto venientia, plus quippe attendit retributoris mentem, probitatem & merita, quàm donum. *Vnde nec in victimis licet optimæ sint, auróque præfulgeant, Deorum est honos,* ait idem Seneca, *sed in pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre religiosi sunt; mali non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multò cruentauerint.* Liquet quid te facere oporteat, si tibi nihil omninò sit, vel parum quod retribuas. Hoc ipsum repende. Quāquam plura sępè possis, quàm credis. v.g. interponere apud Deum pro benefactore tuo preces feruidas, actionem iterare gratiarum, prædicare eius beneficentiam, offerre ei teipsum;

Quintil. l. 11. c. 2.

Senec. lib. 1. c. 6.

quia non parum obtuleris, si bonus sis. Cessit Æschini pauperi species hæc gratitudinis fœliciter: *Nam cùm Socrati multa multi pro suis facultatibus offerrent: Nihil*, inquit ille, *quod dare tibi possim, inuenio. Itaque do tibi quod vnum habeo, meipsum. Cui Socrates: quidni tu mihi magnum dederis, nisi fortè paruo te æstimas?* Ante omnia verò semper retinere stude propensam erga eum voluntatem, idque licet post collata beneficia leuibus te quibusdam iniuriis affecerit; quia, vt ait lex, *vtile nō debet per inutile vitiari*: secus si graues fuerint & multæ. Nam sicut *muscæ perdunt suauitatem vnguenti*, ita eiusmodi iniuriis obscuratur nitor ferè totus beneficij, nec post se relinquit obligationem peculiaris beneuolentiæ. Vbi suberit retribuendi vis, ne id solùm facito, quando commodè licebit; sed satage, si potes, liberalitate vincere: quia sicut gratuita fuit doni largitio, ita gratuitam retributionem oportet esse: qualis vix videtur, si non plus dederis quàm accepisti (nisi qui dedit longè sit opulentior; nam locupletiori plus rependere nihil aliud videtur, quàm ridiculè velle cum eo certare largitionibus, velle acceptum ab eo munus insimulare paruitatis. Imitandi proindè agri fertiles, qui plus reddunt quàm acceperunt. De Alphonso Rege ferunt (secundum Neapolitanum fuisse crediderim, fuit is namque auarissimus) quòd è nauicula in mare prolapsus beneficio remigis liberatus est: cui meriti gratia quotannis dum viueret

Æschines dat seipsum Socrati. Sen. supra l. 1. c. 8.

Eccles. 10.

Retributio gratuita beneficij qualis.

Alphonsus Rex auarus.

viueret duodecim vncias pendendas ex ærario statuit. Satis hoc remigi, sed perparum Regi tale præsertim ob meritum fuit. Quod addit Seneca lib. 2. de Benef. c. 9. *Interdum & ipse qui iuuatur, fallendus est, vt habeat, nec à quo acceperit sciat*: non de eo solùm est accipiendum, cui confertur beneficium, sed de illo prætereà cui retribuitur; quia contingere potest tam vnum quàm alterum intempestiua prohiberi verecundia, ne rem petat qua extremè indiget. Illud ipsissimum munus quod à benefactore acceperis, ei offerre, video ab omnibus reprobari, cùm sit nolle penes te habere argumentum pignusque beneuolentiæ. Aliud itaque diuersum elige quod remittas, nisi illo ipso indigeat. Siue casu, siue aliter perierit munus, quod tibi est ab amico, non idcircò interpreteris periisse illius in te beneficium, vel gratitudinis vinculum, quo te sibi obstrinxit; quia, vt iam aliquoties me dixisse recolo, nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum quæ extrinsecus accipiuntur, beneficium propriè est, sed ipsa tribuentis voluntas. Auferre illa à nobis & iniuria & casus potest; hæc autem in viro bono semper durat, nec vlla vi fit irrita. Benefactoris causa siue postulantis, siue non, nihil turpe feceris, in nihil consenseris, quod aduersetur bonis moribus. Talia si flagitaret, simul ostenderet se non benefecisse ex virtute; sed beneficio interposito velut pretio conatum fuisse iniqua clientis sui emere obsequia. Non itaque præstabo quod flagitat, ne

Beneficium quid propriè

Nihil turpè faciendum benefactoris causa.

ne peccem in virtutem; imò ne illi ipsi officiā, & tandem displiceam. Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ negare beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potiùs quā voluntatem petentium. Sæpè noxia concupiscimus, nec dispicere quàm perniciosa sint licet; quia iudiciū interpellat affectus. Sed cū subsidit cupiditas, cùm impetus ille flagrātis animi, qui cōsilia fugat, cecidit, detestamur obsequutores perniciosos. *At fortè scio*, inquis, & obiicit sibi Seneca l.2.c.14. *hoc illi nō profuturū; sed quid faciam? Rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit, de se, non de me queretur: falsum est, imò & de te, cùm ad mentem bonam redierit. Quemadmodum pulcherrimum opus est etiam inuitos nolentesq; seruare, ita largientibus pestifera largiri odium est blandum & affabile. Beneficium demus ac rependamus. quod vsu magis magísque placeat, & nunquam in malum vertatur.*

Spirituale pro temporali non cōmutandum.

Denique temporali beneficio nunquam spirituale commutaueris per modum pretij, nec contrà; quia hoc esset illud huic æquiparare, quod iniquissimum constat esse. Præstantiora iudicio, ni fallor, tuo sunt spiritualia, & sacra vita, valetudine, bonisque artibus. Hæc autem non venduntur, nec vendi possunt præ valore ac pretio; sed tantùm Medicis & animorum nostrorum cultoribus soluitur operæ stipendium, quòd deseruiant, quòd à rebus suis auocati nobis vacent: atque ita mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferant. Non tamen hæc obstant, quò minùs ad vindicandum

ius

ius benefactoris, illumque ipsum ab iniuria liberandum, sacra in tua sita potestate in necessitate exponas; tum quia non exponuntur vt sacra, sed vt temporale aliquid permixtum habent pecunia æstimabile; tum quia non referuntur ad compensationem rei temporalis, sed ad amicitiæ bonum & iustitiæ, dum insignis amici propulsatur iniuria, & defenditur innocentia. Nam similiter sacram supellectilem pro redemptione captiuorum, & ad medendum aliis pauperum necessitatibus, licitè vendi, ac confringi, locuples testis est S. Ambrosius l.2.de offic.c. 28. & docet S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4. In hoc genere illustre exemplum vidit Gallia in reuerendis Patribus Cœlestinis Marcoussiani Cœnobij; nam cùm illorum fundator D.Ioannes de Monte Acuto damnatus fuisset capitis sententia iniquissimi Iudicis Petri des Essars, & post demessum caput affixus patibulo, boni illi & gratissimi patres prædictum Petrum in ius vocare festinarunt. Et quia litis huius grauissimæ prosecutio ingentes postulabat sumptus, impenderũt thecas omnes sacrarum reliquiarum aureas & argenteas, quibus abundabant, tantóque zelo in actionem incubuerunt, vt breui contigerit quod scriptum est: *Incidit in foueam quam fecit, conuertetur dolor in caput eius:* lata, inquam, capitalis sententia in Petrum velut in corruptum Iudicem executionique tradita, Pius autem fundator è patibulo depositus, & in cœnobio

Sed potest, & quando.

Ioannes de Monte Acuto iniustè damnatus.

Psal. 7.

nobio quod extruxerat, dotaueratque, adeptus est honorificam sepulturam.

Circa Veritatis virtutem obseruare vir Prudens quid debeat.

CAPVT V.

§. 1. CVM verba, scriptura, nutus & eiusmodi alia introducta sint partim à natura, partim ab hominibus, vt signa & interpretationes quædã sentẽtiarũ nostrarũ & conceptuũ, manifestũ est peccare eũ qui illis abutitur, qui non conformat ea iudicio & conceptui suo, qui aliud per ea proximis suis significat quàm mente gerat: Sic namque illos circumuenit & in errorem mittit. Violat præterea humanã societatem, & in abusu seu falsitate illa deprehensus, facit existimationis suæ iacturam

iacturam maximam. Agit contra, secundùm rectam rationem & virtutem, qui in dictis suis, & rebus eiusmodi aliis dictam retinet conformitatem. Hæc virtus, cuius impulsu id facit, Veritas dicitur, & definitur à S. Thom. 2. 2. q.109.a.2. *Virtus per quam homo exteriora sua vel verba, vel facta debito ordine disponit*, quæ dispositio consistit in eorum conformatione, cum internis conceptibus, velut signorum cum rebus signatis. Nec referre, quòd Aristoteles l.2. & 4.Eth.c.7. Veritatem collocare videatur in externa tantùm professione, seu declaratione virtutis, & meritorum propriorum, non ea extollendo plus æquo: & extrema illi assignare Simulationem, qua verbo vel facto fingit homo se bono præditum, quo caret; & Dissimulationem, qua contrà mentitur se bono destitutum, quod habet. Nihil quippe dubium quin latiùs patere Veritatem crediderit; sed quia sæpius mentitur homo nimis attollendo sua merita, contraxit illam ad synceram eorum declarationem factam verbo vel aliis æquipollentibus. Quare dicamus, veritatis extrema vsurpatæ secundùm suam latitudinem, esse Simulationẽ, qua indicatur quod non est, vel supra quod est; & Dissimulationem, qua indicatur non esse quod est; vel esse infrà, seu minus quàm est.

Veritas quid.

Veritatis extrema quæ.

Simulatio & dissimulatio.

§.2. Interdictum esse quodcumque mendacium, & per se malum, dubitare non sinunt verba illa Eccles.7. *Noli velle mentiri omne mendacium*, nec S. August. in lib. de mendacio cap.

Mendacium per se malũ.

cap. vlt. vbi ait, *Quisquis esse aliquod genus mendacij, quod peccatũ non sit, putauerit, decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitretur aliorum.* Nec Aristoteles, cuius verba sunt: *Per se quidem mendacium prauum est, & vituperatione dignum. Verum autem* (seu Veritas) *honestum ac delectabile:* ac si diceret, opposita ratio est contrariorum; cùm ergo Veritas & mendacium sint contraria; illa autem sit per se bona & amabilis, sequitur istud esse per se detestabile. Nec denique ratio quam posuimus initio præcedentis §. & deprompsimus ex S. Thom. supra art. 3. Taceo, mendacium proximam viam esse ad periurium; nam reuerà, vt scribit Cicero: *Qui semel à veritate deflexit, non maiore religione ad periurium, quàm ad mendaciũ perduci consueuit.* Mendacem item in ludicris, fidem sibi abrogare in seriis non sine ingenti detrimento; vt planum illum, qui fingens fractum sibi crus, & alienum implorãs auxilium, posteà cùm verè fregisset, neglexerunt iam decepti credere & accurrere:

Mendacium via ad periurium.

Cicero in orat. pro Rosc. Ame.

Horat. lib. 1. epist. 18.

Credite, non ludo; crudeles tollite claudum,
Quære peregrinum vicinia rauca reclamat.

Nec mouere quenquam debet dictum Platonis. l. 3. de Rep. *Deo quidem indecens & inutile est mendacium; hominibus verò quandoque vtile, & necessarium, vt eo tanquàm medicamento vtatur.* Nec quòd sancti Patres illud interdum approbare, vel etiam vsurpare videantur, vel inde præmium reportasse. Nec quod officioso mẽdacio magnis interdum malis, damnisque occurra

curatur. Nec denique, quòd Christus finxerit se longiùs ire, Luc. 24. & in bello vti liceat insidiis & hostem fallere; & vxori quandóque fucis vti ad conciliandam sibi pulchritudinem viri sui retinendi causa, vel placandi: quæ tamen omnia mendacium continent, vel sunt ei finitima. Non enim oracula sunt, quæcumque dixit Plato, scripsit, aut censuit: vndè in multis ab eo discedit Aristoteles primarius eius discipulus. Sancti Patres de vero mendacio non loquuntur, cùm videntur approbare; sed de eo, quod tale videtur audienti; & tamen non est secundùm sensum, intelligentiãque loquentis; qui sanè, vt dicam §. 5. non semper necesse habet, dum loquitur, conformare se cogitationibus auditorum. Iidem sibi non contradicunt, scriptores præsertim Canonici; sed videntur iis, à quibus non intelliguntur, & quibus in mentem nõ venit, posse vnum, & idem diuersis modis, & verbis significari. Mendacem neminem vt mendacem præmio affecit Deus, præmium tamen esse potuit rei alicuius bonæ coniunctæ mendacio: sic mercedem temporalem ab eo receperunt obstetrices illæ Ægyptiacæ, non propter mẽdacium: sed quia timentes Deum refugerunt parere crudeli mandato Pharaonis, & submergere infantes filiorum Israel, Exod. 1. Prodest quandóque officiosum mendacium; sed clamat Apostolus, & dictat recta ratio, *nõ esse facienda mala, vt eueniant bona*; aliàs cur non liceret similiter in bonum finem peierare; occi- Rom. 3.

dere innocentem, formare falsas tabulas, &c. Si ob bonum finem aliqua boni ratio inesse posset mendacio, cur tam enixè illud à Deo remoueret idem Apostolus, vt palam denuntiaret, *impossibile esse mentiri Deum*? Eligendum, fateor, minus malum, vt vitetur maius; sed nego mendacium, cum sit culpa, esse minus malum damnis illis grauibus & externis, quæ intelligi solent per mala maiora. Nihil propriè finxit Christus, quia nihil fingit veritas; sed finxisse dicitur ex duorum discipulorum, & vulgi opinione. Nam cùm venerit cum illis in Emaus, & posteà manserit; putare potuerunt, fictionem fuisse, cùm transire tentauit & voluit: & tamen fictio non erat; quia si eum non tenuissent, transisset sine dubio, & isset longiùs. Sic indurare dicitur reprobos, excæcare, & in reprobum dare sensum; quia non conferendo indignis gratiam efficacem, qua emolliantur, & videant, iudicant vulgares homines, velle eum quod inde sequitur; nempè illorum indurationem, & excæcationem. Non mentitur miles insidiator; sed iure suo vtitur id faciens, quo incautus hostis seipsum perdat imprudentia propria, coniiciatque in laqueum, vel discinctus ad locum veniat, in quo ille latet armatus. Mulier, quæ fuco illinit faciem, realem quandã, ac veram inducit venustatem; quæ tamen quia minor est quàm naturalis, ac saltem ab ea differt, eius comparatione fictã dicitur. Quanquàm ficta quoque dici possit respectu eorum

Hebr. 6.

Christus an finxerit.

Deus quomodò dicatur indurare.

eorum, qui proprio decepti iudicio, naturalem putant, cùm non sit. Multa mentiuntur tum ægrotis Medici, tum matres paruulis, tum belli duces militibus spem vultu simulantes, ne horum animi cadant, & iactantes multa aduentare nummorum millia, quando ad manum nequidem est obolus; sed iam ostendi, non excusari maliciam officiosi mendacij vtilitate quam parit. Quæ cùm ita sint, nullum sit tibi cum eo commercium, nunquã benè tibi cedet pugnare cum veritate: contemptui eris & malè audies apud quoslibet; nec tibi credetur in posterũ, quamuis vera dicenti (aduertant hic singulariter animum Sacerdotes, concionatores, iudices) etiam nõ cogitans in teipsum irrues, quia falsa nec inter se cohærent, nec cum veris; vnde Cicero mendacẽ scribit sui memorem esse oportere. Vide, exempli gratia, miseros illos, qui à Catholica Ecclesia ad sectas deficiunt, mentiri incipiunt iactantes se ad eas miraculosè vocatos; & in Ecclesia illa deprehendisse corruptelã omnimodam, sed an sibi constant? nonne ab hoc putidissimo mẽdacio ad aliud mox à seipsis deuoluuntur? Omninò, hoc ipso quo negant à tempore Apostolorũ vlla fuisse vera miracula, & se inter Catholicos vitã gessisse inculpatã, nec vlla culpa sua fuisse ab iis separatos. Neque enim ista inter se cõsẽtiũt; inculpatã vixisse vitã, vbi regnabit, si iis credimus, omnis generis corruptela, sicut nec miraculosè cõuersos fuisse eo tẽpore, quo supponitur, &

Sectariorũ mendacia.

asseritur nulla extare vera miracula. Quid plura? nunquam de numero eris proborum apud eos, qui te solitum credent falsa enunciare. Vndè Sinon ille Virgilianus, vt videri gestiebat vir bonus; ita conatus est statim à principio, omnem viri mendacis suspicionem à se auertere:

Nec si miserum fortuna Sinonem
lib. 2. Æne. *Finxit, vanum etiam, mendacémque improba finget.*

Veritatem aliquando licet occultare.

§. 3. Esto, mentiri nunquam liceat, vt vidimus; Veritatem nihilominùs occultare interdum conceditur, non secus ac cibos alioqui optimos nonnullis corporibus, nempè impuris, subtrahere, quousque repurgentur, vt docet Hypocrates l. 2. Aphor. 10. & gemmas, seu res sacras indignis, & profanis non communicare; sicut ait Christus: *Nolite dare sanctum canibus, & ne proiiciatis margaritas ante porcos.* (Matth. 7.) Nec conceditur solùm, sed expedit, & necesse est, quando eius communicatione valdè indignos se præbent, qui audiunt, vel videntur facturi gradum ad deteriora, fortè etiam quod verum est, oppugnaturi. Sic Paulus, & Barnabas pertinacibus Iudæis neglectis ad instituendas gentes operam suam conuerterunt, Actor. 13. Paulus item, & Timotheus, *Vetati sunt à Spiritu sancto in Asia loqui verbum Dei.* Act. 16. Est & alius casus, in quo tacere licet Veritatem, quando vna ex parte nec ad Dei gloriam necessaria est, nec ad salutē proximi; ex altera incommodum magnum incursurus

lurus est, qui eam dixerit. Namque ardua certè nimis lex eius esset, si tunc obligaret. Quòd eius manifestatione damnum & ociũ sæpè sustineat, qui manifestat, est certissimum. *Amara est veritas*, ait S. Hier. contra Iouin. *& qui eam prædicant, replentur amaritudine*. Et Apostolus: *Inimicus factus sum vobis verum dicens*. Gal. 4. Isaias Propheta non cælans illam Manassæ Regi, bifariam sectus est serra lignea, vt ex certissima traditione scribit idem S. Hier. l. 15. in Isa. sub finem.

§. 4. Mendacia deterrima, & ob id cauenda præ cæteris sunt quæ sequuntur. Primum, quod circa fidem, religionémque committitur, vt cùm docetur hæresis, siue error Catholicæ veritati contrarius; quæ veritas seu fides salutis est fundamentum. Vel cùm in eius cõfirmationem proferuntur, aut fiunt falsa miracula; qualia execratur in primis Deus, & vix vnquam relinquit impunita; vt patet in cæco illo, qui corruptus pecunia à Cyrola Atiano Episcopo videri volente cæcum illuminasse, mentiebatur cæcitatẽ; nã iusto Dei iudicio cõtraxit veram, & confusione respersus est Arianus; sicut etiam in ciue illo Geneuensi, quem Caluinus similiter conduxit pretio ad fingendã cæcitatem, vti in eius vita scribit Hier. Bolsecus. Cyrum Persarum Regẽ eiusmodi illusoribus adeò infensum fuisse legimus, vt omnibus Belis Sacerdotibus vitã ademerit, eò quòd deciperent homines dicendo Belem comedere & bibere, quod super eius mensã

Mendacia deterrima.

Cæcum se fingens fit verè cæcus. Greg. Tur. c. 2. histo. Franc. § . 3.

mensa quotidiè proponebatur; cùm tamen non ille, sed ipsi cum vxoribus & filiis noctu cuncta deuorarent ingressi per ostiolum subterraneum, Dan. 14. Huc pertinent calumniæ, & historiæ confictæ in odium religionis quam quis auersatur. Quod quidem vitium Sectariis hodiernis est longè familiarissimũ: infinitas excogitant nugas, vt Catholicam odio exponant, & ludibrio, v. g. contemni à Catholicis Scripturam sacram, humanas constitutiones diuinis anteferri, Dei loco haberi Sanctos, Sanctorúmque Imagines, postponi virtutem Passionis Christi humanis satisfactionibus, &c. *Primum, capitale, summéque fugiendum mendacium est*, inquit S. August. l. de mendacio, *quod in materia religionis fit*. Secundum est, quo resperguntur complures Magorum preces ad Deum, v.g. quòd Christus habuerit febres, &c. cùm tamen iuxta verã doctrinam, quam tradit S. Th. 3. p. q. 14. a. 4. liber fuerit à morbis omnibus. Tertium est periurium, seu mendacium, per quod diuino adducto testimonio falsum confirmatur: siue sit specularium, quo asseritur quod nõ est, vel abnuitur quod est: siue practicum, quando quis iurans daturum se, vel facturum quod licitè potest; non habet tamen, sed habere se simulat exequendi voluntatẽ; aut si habet, posteà nihilominùs executioni mandare negligit. Vtrobique magna Deo irrogatur iniuria, quia in falsi testem adducitur, ac si ratũ illud haberet, eóque delectaretur. Multùm prætereà

Magorum preces falsæ & vanæ.

Periurium quid.

tereà detrahitur authoritati peierantis. Nam reuerà, *Vbi quis semel peierarit, et credi posteà, etiamsi per plures Deos iuret, non conuenit.* Dixi, *quod licitè potest*: quia si malum sit quod promisit & iurauit, promittendo peccauit; mutando autem propositum, bene facit. Et similiter periurus non est, qui non præstat, quod se iurauit facturum; si post promissionem mutentur conditiones personarum, & negotiorum; quia, vt dicit Seneca, l. 4. de Benef. c.34. & 35. *Ad hoc, quòd teneatur homo facere, quod promisit, necesse est immutata omnia permanere; alioqui nec mendax fuit in promittendo, nec infidelis in non implendo, defectu conditionum quas supponebat cùm promitteret.* Vndè & Apostolus non est mentitus, qui non iuit Corinthum, quò se iturum promiserat; & hoc propter impedimenta, quæ superuenerunt, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 110. a. 3.

Cicerò in orat. pro Rab. Posth.

Periurus non fit mutatis conditionibus.

1. Cor. 1.

Quartum est illud omne, quo innocenti creatur magnum damnum, aut molestia. Quo in genere primas tenet Calumnia, quam metuens Dauid orabat: *Redime me à calumniis hominum.* Eandem appellare solebat S. Athan. *Clauam, gladium, vulnus insanabile.* Deus autem punire consueuit acerbissimè, (nec mirum, nam grauissimè profectò læditur in fama proximus, & perturbatur animo, cui graue crimen affingitur) vt te docebit historia meretriculæ accusantis S. Gregorium Thaumaturgum carnalis copulæ secum habitæ, & meretricij pretium repetentis. Quod cùm ei dari

Calumnia quàm graue peccatũ. Psal. 118.

S. Greg. Thaumaturgus fornicationis falsò accusatus.

dari petiuisset ab amico vir sanctus, ne inchoatam contra Arianos disputationem clamore suo interturbaret, & illa accepisset; mox à Dæmone correpta est, à quo non nisi illius precibus potuit liberari. Itémque historia alia, quam narrat Theodoretus l. 4. c. 26. de Paladio Monacho, qui falsò insimulatus homicidij, & per reuelationem sciens verum homicidam vnum esse de accusatoribus, ad cadauer accessit spectante populo, & dixit ei: *In nomine Christi libera me, & indica quis verè scelus sit operatus*; tunc ille erexit sese, & circumspectis omnibus indigitauit authorem verum criminis; & certè sub veste eius deprehensus est cruentus gladius, vnà cum occisi pecunia. Peccant prætereà specie ista mendacij, qui se dicunt, fingúntque pauperes, cùm non sint: Imponunt enim diuitibus, & sunt pauperibus veris perniciosi, & ad restitutionē tenentur, non istis faciendam, nullum adhuc ius in eleemosynas habentibus; sed illis, vtpotè quorū mens non fuit dare aliis quàm veris. Magis adhuc qui vt videantur digni publicis muneribus, mentiuntur doctrinam, & dotes alias necessarias, dolus planè detestabilis, & vtrique Reipublicæ perniciosissimus, quæ nō potest non labascere sub inidoneis eiusmodi rectoribus.

Mortuus surgit & indigitat homicidam.

Amphibologiis, an & quando vti liceat.

§. 5. Amphibologiis, cùm adumbrent mendacia, regulariter vti non licet; pugnat illarum vsus cum humana conuersatione, quæ non parū læditur illusoriis, fallacibúsque loquendi

quendi formulis, quibus aliud intelligit qui loquitur, quàm intelligi vulgò soleat per verba quæ profert: Accedit censura Eccles. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Dixi regulariter; nam in quibusdam casibus licet, aliúdque est, cõformare verba cogitationi propriç, aliud alienæ. Illud necessarium est ad vitandũ mendacium, (mentiri námque est contra mẽtem ire) & ne violetur naturæ institutũ, quæ verba dedit, vt per ea significetur exteriùs, quod cogitatur interiùs; hoc autem non, quia instituta nõ sunt ad alienos conceptus seu cogitationes exprimendas. Inuitatus Hierosolymam Christus ad diem festum, negauit se eò profecturum, Ioan. 3. *Ego non ascendo ad diem festum*; posteà tamen ascendit, non publicè & cum pompa, vt optabant inuitatores illi vani; sed occultè, quo modo eò se conferre statuerat. Dixerat idem: *Lazarus amicus noster dormit*, mortem intelligens quam somnum appellabat, illi verò dormitionẽ veram sibi cogitatione formabant. Dixerat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus readificabo illud*, de corpore suo loquens post mortis triduum vitæ restituendo. Illi autem sensum ad Salomonis templum conuertebant. Fugiens S. Athanasius, & Arianos videns insequentes, ad eos direxit iter quasi verè tendens Alexandriam, vnde veniebant: interrogatúsque: *Vidisset ne Athanasium*: respondit; *Festinate, non procul distat, attingetis haud dubiè si insequamini fugientẽ*; sanè ad suam quidem, sed non illorum men-

Mentiri quid.

Ioaan. 11.

Ioan. 2.

tem loquebatur; nec opus erat, imò nec debebat, quò vitæ suæ consuleret. Abraham Gen. 12. dixit Saram vxorem suam, sororem esse, supple ex parte patris tantùm, cùm alij intelligerent, quòd etiam ex parte matris. Iacob Gen. 27. ait primogenitum se esse Isaac, supple, quoad ius primogniti sibi ab Esau venditum; & ita non est mentitus, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 100. a. 3. quamuis Isaac interrogarèt de primogenito quoad ætatem. Itaque vniuersim loquendo, vbi senties instare tibi damnum graue; si loquaris ad mentem interrogantium, verba dare poteris huic eorum menti non conformia; sed tamen vera secundùm occultum sensum, quem tibi effinxeris: vt si ad locum inuitaris, vbi probabiliter mala tibi faba cuditur; respondere conceditur, nullo modo ire mihi licet propter impedimenta; habe me, rogo, excusatum. Sed hoc restringo, quando in proposita materia superior tuus non est ille, ad cuius interrogantis mentem non respondes: nam si sit, vt quando Iudici tuo legitimo sisteris tanquam reus iam conuictus per plurium depositioné testium, vel etiam vnius omni exceptione maioris, seu irrefutabilis, & ob id facientis semiplenam probationem. Tunc nullum ius habes tergiuersandi per verba æquiuoca, quò pœnam declines, qua dignus es. Imò si negares, quod scis verè contra te depositum à testibus iuridicè interrogatis, iniuriam illis faceres insimulando eos mendacij. Porrò si præposi

positũ tuum errare ſcias, reſpondere potes cõtra eius intentionem, cùm hoc ipſum ſit reſpondere ſecundùm veritatem. Exemplũ, falsò audiuit locum vnde venis lue peſtis laborare: ſi percontetur, vtrũ indè venias, negare tibi licebit; quia falsò apprehendit infectum eſſe locum, de quo interrogat; non interrogaturus, ſi non infectum crederet, ex eo autem vt infecto non venis.

Hyperbolica locutio. §. 6. Inter peccata mendacio affinia occurrit primum hyperbolica locutio, qua ſupra veritatem amplificatur res, de qua agitur, vel extenuatur. Tolerari poteſt, quando qui loquitur, non aliud per ipſam intendit & ſcitur nõ intendere, quàm indicare valdè magnã rẽ eſſe, aut perexiguã; eſto reipſa nec tã magnã, nec tã paruã, quàm præ ſe fert verborũ rigor: vt cùm dicimus, Obtigit ei ingenium Angelicum, eſt alter Cicero, eſt ipſamet vrbanitas, vincit onus iſtud Ætnam grauitate, &c. Non poteſt autem, ſi præcisè definiendus ſit rei alicuius numerus. Tunc mendacium committitur, quia quoad partem ſaltem verum non eſt, quod dicitur. Occurrit ſecũdò loquacitas; *Loquo citas & quid.* nã qui promiſcuè & multa loquitur, nõ adhibet iudicium; atque ita facilè aberrat à ſcopo veritatis, ac ſaltẽ exponit ſe aberrãdi periculo, ſicut à meta, qui temerè iaculatur. Multa quoque profundit inſulſa, pernicioſa, inutilia, pœnitẽda, vt veriſſima ſit ſententia: *In multiloquio non deerit peccatum.* Et: *In multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.* Eſto proindè verbis Prou. 10. Eccleſ. 5.

Sobrius

Sobrius, pruritum fræna loquendi, si mentiri metuis. Memento vas illud immundum habitum; Num. 19. cui defuit operculum: & quòd os claudere nunquam apud Hypocratē aliquid portendat mali; aperire autem non rarò mali sit ominis, vt cùm dormit æger hiante ore, l. 1. prædict. 20. vel morti est proximus. Nec apud Aristotelem ranarum silentium cladis alicuius esse prænuntium; contrà autem Sect. 1. Problem. 22. crebras earum coaxationes argumenta vocat instantis pestilentiæ. Et lib. 1. Oecon. cap. 6. claudi vult portam domus. Quid autem aliud os dixeris, quam domus nostræ ostium, cuius lingua custos est, & ancilla ostiaria? Sicut nescit benè imperare, qui non nouit obedire; ita nec bene prudenterque loqui; quisquis tacere non didicit. Vndè Pythagoras quinquennij silentium, vel vt scribit Gelius l. 1. c. 9, biennij suis imponebat discipulis, vt prius audita solidè discerent, ac coquerent quàm loquerentur. Queadmodum mēdax, ita loquaculus, neque quod prodest, neque quod ad præsentē rē facit, loquitur; quare vt mēdaciū vacare culpa nō potest, sic nec effrænata loquēdi licētia. Appositè dicito, quicquid dixeris, ne vagetur lingua instar delirantium extra propositi metas argumenti, nec derepentè in aliud transiliat. Interrogatus de cœpis, ne respondeas de cucurbitis. A parergis abstineto, quia confundunt species, obstántque ne quid certi ac solidi elici possit ex verbositate plurima. Indicium præterea inscitiæ

Ranarum silentium quale omen. Et coaxatio crebra.

Os, & lingua.

Pythagora discipulorū silentium.

tiæ eſt, temerè citóque ad diſparata tranſitum facere: nam qui docti ſunt & in multis exercitati, aliquid ſemper habent reliquum quod dicant ad propoſitum. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore*, id eſt, *ſermo opportunus optimus eſt*, támque gratus quàm videre quinque vel ſex poma aurea ſuperſtantia totidem elegantiſſimorum lectorum columnis, & cuſpidibus. Addo, caue præcipuè multum loqui apud Principes, vtpote occupatos curis infinitis, & valdè gaudentes breuiloquentia, vel etiam apud Senes, cùm ne ipſi quidem debeant ſemper loqui; ſed aliis etiam locum dare: *Vbi ſunt Senes, ne multum loquaris.* Sed quid ago? Laterem lauare videor, & in aqua ſcribere, cùm hanc commendo loquendi parcitatem, atque modeſtiã, adeò hodiè pleriſque lingua eſt volubilis, præceps, garrula; & in iis locum habet, quod de ſe pronuntiat tam Eliu quàm Eliphas Themanites: *Conceptum ſermonem tenere quis poterit? plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit; loquar.*

Prou. 25. & 15.

Eccleſ. 32.

Iob. 4. & 32.

Simulatio & diſſimulatio.

Occurrunt tertiò ſimulatio, & diſſimulatio, ſiue fiant ſilentio, ſiue certa vultus ſpecie, aut geſtibus ad præ ſe færendum quod non eſt, vel celandũ quod eſt. Nã licet mendacium vulgò accipiatur pro falſa ſignificatione interioris affectus vel iudicij: reuerà tamen extendit ſe ad eam, quæ fit illis aliis externis ritibus, vtpotè quæ verbis æquipollent.

lent. Simulationis maior, certior, crebriorque est malitia. Nam dissimulationem sæpè excusat à culpa necessitas, rectáque ratio dictans non prodenda interdum quæ latent, quia prodita valdè nocerent; atque ad ea occultanda recurrendum esse ad externum aliquid, ad quod dum respiciunt homines, subesse non suspicantur, quod est. Exemplũ erit, si dux belli in angustiis constitutus, præ se ferat vultu lætitiam (cuius plures, iustásque causas habere ad manum potest, vt quòd benè valeat, quòd supersit euadendi spes non modica, &c.) ne animo concidant milites, atque ex tetrica eius fronte magni alicuius periculi omen accipiant, vt notat Seneca in lib. de Consol. ad Polybium. c. 24. Nec tamen lethalis semper est simulatio; sed sæpè venialis, (vt cùm quis auertendi scandali gratia, aut inducendi alios ad ieiunandum ieiunare se simulat, peccat mortaliter, quòd non ieiunet, si tenetur, sed non quòd ita simulet) imò interdum omni culpa vacat, vt illa B. Petri coniungentis se Antiochiæ solis Iudæis, ne illos offenderet, vt docet Vasquz. 1. 2. ad art. 4. q. 103. quia etsi non satis cautè abstraxerit se à gentibus Antiochenis inde coniecturam accipientibus esse iudaizandum, & ob id fuerit reprehensibilis, seu de ampliori cautela commonefaciendus, vbique tamen optima egit fide & intentione; & defectus ille cautelæ inaduertentia fuit naturalis; & vsus rituum Iudaicorum, quos tunc vsurpauit, adhuc erat pro eo tempore licitus.

Simulatio non semper lethalis.

Deterri

Deterrima dissimulationis species est, dissimulare vel Catholicam & Orthodoxã fidem ac religionem, cùm est profitenda exteriùs; vel consanguinitatem, & amicitiam, qua de re libro 11 sat multa diximus. Simulationis autem, exteriùs profiteri falsam fidem, ac religionem quæ damnatur interiùs, vel probitatem, doctrinam, & dotes alias præ se ferre, quasi inessent, cùm non insint. Hoc quid est aliud, quàm Asinum in Leonis pelle agere? Porrò sicut sic tectus Cumanus Asinus, ex auriculis nihilominus est agnitus: ita hi simulatores Sapientię tandẽ suã produnt insipientiam. Occurrit quartò de arcanis Principum curiosè scribere, & loqui. Nam cùm sint occultissima, fieri non potest quin sæpè mentiatur, & malè admodum collimet, qui de iis liberè verba facit. Vnde Pollioni author est Horatius, Historiam ne scribat belli ciuilis nondum perfecti inter Cæsarem & Pompeium:

Dissimulationis species deterrima.

Motum ex Metello Consule ciuicum,
Belliqne causas, & vicia, & modos,
Ludúmque fortunæ, grauésque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis vncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

De

De præscriptis Prudentiæ circa Fidelitatem.

Capvt VI.

§. 1. *Fidelitas quid sit.*
2. *Perfidia quàm detestabilis, & noxia.*
3. *Quæ potissimum vitanda.*
4. *De vanis perfidorum prætextibus, & excusationibus.*
5. *An & in quo casu liceat non stare datæ fidei.*

Fidelitas quid.

§. 1. Fidelitas, aliter Fides moralis appellatur, & definitur, Virtus qua fit quod dicitur; id est, qua executioni mandatur, quod promittitur, siue promissio fiat verbo, siue re alia æquipollente, siue expressa sit, siue tacita. Magna est hæc virtus, quia basis est iustitiæ & contractuũ; Neque enim eos inter se homines celebrarent, nisi crederent omnibus cordi esse fidem, valdéque horrere quemlibet à promissis recedere, stipulatis præsertim seu acceptatis, aut iuratis. *Fundamentũ iustitiæ est fides*, inquit Cicero, *id est, dictorum, conuentorúmque constantia & veritas.* De ea obiter iã nonnulla diximus, partim lib. 2. cap. vltimo, cùm seruorũ, ac Vasallorum describeremus munera; partim cap. 1. huius, verba facientes de contractu promissionis. Addenda nunc aliqua, & maximè quæ ad vitium ei contrarium, seu perfidiam spectant.

Et quanta virtus.

Cicero l. 1. offic.

§. 2. Ha

§. 2. Habet perfidia rationem defectus, quando non fit, quod præ se fert honesta sponsio, & potest fieri: excessus verò, quando fit, quod sponsioni aduersatur, vel quando quod promissum est, eo fit loco & tempore, quo non debet. Mala vtraque, sed prima peior multò, ac crebrior; cùm illa præcipuè sit, quæ quantum ex se est, subruit iustitiam, & societatem perturbat humanam, & introducit in orbem sexcenta mala. Aspersit hæc labe Athenienses, ne iuratis quidem pactis curantes satisfacere. Magis adhuc probro, ac dedecori exponit hodiernos sectarios, & complures infideles Catholicis & Christianis fidem vulgò non seruantes, nisi quantum placet, aut è re sua visum fuerit. Magna animi tranquillitate vtitur, qui fidem colit, sicut scriptum est: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter:* contrà, vbique trepidat odiosissimusque est omnis perfidus, ac in primis periurus. Vndè cùm Agesilao Regi datam fidem violasset Tysaphernes Persarum Rex, bellúmque ex improuiso intulisset, dixit ille: *Magnam habeo Tysapherni gratiam, quòd periurio suo Deos & homines sibi infensos reddiderit:* nec ita multò post fauente numine horrendum in modum vexauit illum Agesilaus. Vitam & pacem iureiurando promiserant Gabaonitis Iosue, & populus Israël, tam suo quàm successorum nomine (est siquidem populus quiuis per multa durans sæcula homini similis, qui viuit ad multos annos; constat autem teneri quemuis posterioribus annis

Perfidia ratione defectus, & excessus.

Quantum malum.

Prou. 10.

Plut. in Agesilao. *Tysaphernes perfidus, pœnas luit.*

contractu, quem iniit prioribus (inter quos Saul Rex si quis alius promissi huius vinculo maximè obstrigebatur, eò quòd repræsentabat populum vniuersum velut caput eius: ausus tamen interpretari se ab eiusdem promissi obligatione solutum ac liberum, intulit illis damna plurima, populo qui tunc erat coopeřâte. Quid fecit Deus? Percussit flagello trienalis famis populum; qua adhuc grassante venitus Rex Dauid successor eius, ne tandem omnes inedia consumeret, sciensque qua ex causa tam atrox Dei vindicta proficisceretur, Gabaonitas inspirante Deo sic est allocutus. *Quid faciam vobis? & quod erit vestrum piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini?* Responderunt inter cætera. *Virum*, hoc est Regem Saul, *qui attriuit nos & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israël. Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino in Gabaa.* Et infrà: *Dedit eos in manus Gabaonitarum; qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Ista te Lector admoneant; sinceritatem, fidemque constanter colito, in pactorum verbis ne quæras calumniam, nec in scirpo nodum. Intelligantur à te, vt vulgò solent, & virorum bonorum iudicio debent: nec Cleomenem imitere, qui cum Argiuis septem dierum pactus esset inducias, & astutè obseruans deprehendisset illos tertia die induciis fretos somno indulgere, adortus est incogitantes, & alios quidem interemit, alios subiecit seruituti: Cúmque ei

Saul perfidus qua pœna affectus.

2. Reg 21.

Plut. in Apophtheg.

Cleomenis perfidia & astus.

ei vic'ata iurisiurandi fides probro verteretur, ac exceptionem illam puerilem confugit. *De diel us solis pactus sum, noctes in iureiurando additæ n n sunt.* Neque finxeris; neque occasiones quæsieris discedendi à confœderatis, nec illis in tua fide requiescentibus vllas strue insidias. Abominandum istud ingenium relinque scorpionibus, qui supra cutem rependo molliter, venenatum ex improuiso infigunt aculeum. Sed neque tibi imposueris dicens: *Ita occultabo consilia mea, & fraudes, vt fidem malâ nemo sit deprehensurus.* Noli errare, *nihil occultum, quod non reueletur.* Quæ Christi verba licet ad litteram sint accipienda de mysteriis Euangelicis, principio quidem obscurè, & per parabolas insinuatis ad populum; posteà autem per Apostolicos viros perspicuè declaratis; nihil tamen vetat quominus ad arcana omnia extendantur. Nam reuera quodlibet tandem propalabitur, in illo præsertim magni iudicij die, in quo *illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Putabat Rex Dauid mala fide agens cum Vria in hominum notitiam venire non posse factum suum; sed audiuit à Deo: *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.* Credebat Moyses nunquam manifestatum iri perpetratam à se Ægyptij cædem, quem absconderat in sabulo; & ecce die sequenti euulgata est ita, vt mirabundus diceret: *Quomodò palam*

Matth. 10.

1. Cor. 4.

2. Reg. 12.

Exod. 2.

factum est verbum istud? Exempla hæc & similia in tuos vsus conuertito, Consiliis, negotiis, rebus tuis non arenam inconstantem & mobilem, sed solidum subiicito lapidem, hoc est, fidem bonam, si ædificium tibi vis esse stabile. Quid si conatū quoque ipsum committendæ perfidiæ odiosissimum, & graui pœna dignum ostendero? Exemplo vnico contentus silebo cætera, cuius meminit Aristoteles lib. 2. de re famil. num. 32. Ab Euæso Ægypti præfecto reipsa non defecerunt, sed deficere tentarunt prouinciæ administratores quibus præerat, atque à promissa ei fide, obedientiáque discedere. Quod prauum consilium tam ægrè tulit, vt de eo factus certior vocauerit mox omnes, & suspenderit: Eorum autem familiaribus, ac domesticis renunciari iusserit à se illos haberi in custodia. Itaque ex eiusmodi necessariis quisque pecunias comparabat, vt comprehensum affinem suum redimeret; ille autem vbi spopondit se singulos redditurum, ac pro iis accepit, quod oblatum fuerat, tum verò vnicuique mortuum suum reddidit. Quis præterea tam imperitus est iurium, & receptissimæ apud omnes consuetudinis, vt nesciat capitalem in eum ferri sententiam, qui perimere voluerit Principem, etiamsi quod moliebatur non sit assequutus, aut infandas nuptias cum sacra virgine celebrare; atque ita author illi esse committendæ perfidiæ? Clara est lex Codicis: *Si quis non dico rapere, sed attentare tantum iungendi causa matrimonij sacratissimas virgines*

Euæsus qua pœna afficit coniuratores in se.

Læsa maiestatis reus.

Infanda nuptia in sacra virgine. C. de Cler. & Episc. l. 3.

nes a[illegible] fuerit, capitali sententia feriatur. Nempè in causis grauissimis imitatur Iudex mortalis Deum Iudicem immortalem; hic autem reputat fieri quod tentatur, verbi gratia, non potest homo reipsa Deum magnificare; quia tamen conatur impensè colendo ipsum, magnificare eum dicitur. Sed neque reipsa potest homo latere Deum, cùm sint nuda omnia & aperta oculis eius; occultari tamen & latere dicitur: si studet ac nititur. Amos 9. *Si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.*

Latere Deũ non potest homo.

§. 3. Recitemus iam ex perfidiis maximè detestandis præcipuas. Omnium prima graditur, & deterrima est quæ Deum respicit, seu qua is qui ei nomen dedit, characterem eius in baptismo accepit, hostibus eius Diabolo & mundo se renunciare professus est; posteà per apostasiam deficit, & se profiteri desinit Christianum. Fecit hoc Iulianus apostata & quicumque alij abiecta professione Christiana socios se fecere Ethnicorum; Et venefici in Diaboli manibus Christum eiurantes; & Hæretici hoc nomine Ethnicis seu idololatris persimiles, quod idola colant cordis sui; hoc est, Chymæras, & opiniones proprias, quas sibi effinxerunt contemptis contrariis Ecclesiæ dogmatibus, quæ à vero Deo profecta ipsum repræsentant, & reiici ac contemni absque eo nullo modo possunt. O quàm confundentur hîc perfidi, cùm supremus Iudex sistet eos sibi, & dicet: Omnes dereliquistis me, propter quod

Perfidia in Deum deterrima.

Iulianus apostata.
Venefici.

Hæretici.

eijciam vos viciſſim hodie à facia mea, & eritis ſicut puluis, qui proijcitur à facie venti.
Hier. 2. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquiſtis Dominum, blaſphemaſtis ſanctū Iſraël; abalienati eſtis retrorſum.* Quem repudiaſtis miſeri, quem repudiaſtis? nonne fontem aquæ viuæ, & fodiſtis vobis ciſternas, quæ continere non valent aquas? In me erat omnis gratia vitæ & veritatis, in me ſpes vitæ & virtutis. Non ego fui indignus vobis, ſed vos non fuiſtis me digni. Et cùm tanta eſſent, propter quæ à fœdere meo recedere nullo modo oportuit, ad ſpes inanes conuerſi eſtis, ad vmbras, & ſomnia. Ibid. *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer.* Maior fuit veſtra, quàm Paganorum ad quos transfugiſtis, iniquitas; quod hi quidem in qualiumcumque Deorum ſuorum cultu conſtantes fuerint, vos in meo inſtabiles. Hier. 3. *Tranſite ad inſulas Cethim & videte; & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer; & videte ſi factum eſt huiuſmodi, ſi mutauit gens Deos ſuos: & certè ipſi non ſunt Dij; populus autem meus mutauit gloriam ſuam in idolum.* Huic primæ perfidiæ annexa eſt illa, quæ Eccleſiam reſpicit, quia Chriſtus & Eccleſia eius ſponſa quaſi vnum ſunt; ita fit, vt qui illi obligatur, huic quoque obſtrictus ſit, & perfidia in vnum commiſſa, redundet in alterum. Secunda eſt eorum, qui mala fide vota exoluunt, quæ Deo nuncupauerunt; vt in apologo viator, qui vouerat ſi quid inueniſſet, eius ſe dimidium Ioui oblaturum. Inuenta

Eccleſia & Chriſtus quaſi vnum.

Vota non exſoluentes.

nenta autem pera plena palmarum amygdalarumque, comedit omnes : putamina autem & cortices ad aram obtulit, dicens: *Habes Iupiter quod tibi voueram.* His cognati sunt qui promissa iusta hominibus facta violant nulla adacti necessitate, seu causa legitima. De promissionum legibus dictum est superiùs. Tertia principum, qui non seruant iurata pacta, sed fraudulenter violant contenti cautela serpentis sine simplicitate columbæ, vel promissa nón præstantes miseros obsides exponunt mortis periculo. Non quòd occidi de iure possint, si non perfidiæ conscij, at seruituti saltem possunt subiici. Vel cum Hanone Rege Ammonitarum missos ad se legatos violant, iniuriaque afficiunt. Sacra enim persona est legatorum, sicut & principum à quibus mittuntur, quod non ante fieri solet, quàm expresse, vel tacite significauerint ij, ad quos delegantur, consentire se in eorum legationem, non iura violaturos, nec prærogatiuas subnixas communi more gentium : quarum vna est, vt si quid peccent legationis tempore, non puniantur ab eo, apud quem legatione funguntur; sed à proprio domino, idque postquàm munus suum expleuerunt, & reuocati sunt. Caueant interim legati ab insolentia, qua sanè fieri potest, vt biliosissimos Reges vel Dynastas, apud quos versantur, offendant grauissimè effrænata licentia, iisque iratis nec quicquam de legatorum immunitate cogitantibus, aut

Principes non seruantes pacta iurata.

2. Reg. 10.

Sacra legatorum persona.

Legati delinquentes à quo & quando puniendi.

aut si cogitant, certè contemnentib[illegible]s, acerbissimas, & immedicabiles pœnas l[illegible]ant, vt illis contigit, qui à Dario Persarum Rege ad Amyntam Macedonum Imperato[illegible]em missi sunt, à quo suscepti magnificè cœperunt in conuiuio nobiles matronas contrectare turpiter, quæ simul accumbebant. Quod non ferens Alexander Regis filius, rogauit vt eas parumper secedere paterentur, & locum dare pulchrioribus. Introducti autem sunt elegantissimi iuuenes, imberbes, amicti veste muliebri, habentesq; sub ea sicas quibus vbi cœpti sunt contrectari, petulantes legatos illos confoderunt, prout fuerat illis ab Alexādro imperatū.

Legati Darij petulantes occisi à iuuenibus.

Quarta coniugum aliis se prostituentium, fortè etiam, quod longè deterius est, repudiantium pristinos coniuges, & cum aliis contrahentium. Pugnat vtrumque cum fide data solenniter, cum ratione Sacramenti inter Christianos, cum iustitia; quia neuter habet sui corporis potestatem, sed alter; & grauissimis pœnis contra adulteros in iure latis perfidum facit obnoxium, etiam perfidum primi generis; qui salua indissolubilitate vinculi carnaliter alteri quàm coniugi suo commiscetur; & tamen longè minus peccat quàm ille alius, qui conuolans ad nouas nuptias, vincula confringit præcedentium, vel vt meliùs dicam, conatur confringere. Quocirca vtrumque perfidiæ genus puta tibi coniugi cauendum diligentissimè; sed in primis posterius, præsertim cùm nuptiæ illę posteriores de iure non subsistant,

Coniuges sese prostituentes, & cum aliis contrahentes.

&

& à Deo maledicantur. Nam si maledictione quadam non carent, & fœlicissimè cadere solent, quæ iure celebrantur; sed non valdè explorato, v.g. non satis explorata sterilitate vxoris, cui datur libellus repudij; quantò minus maledictione carebunt, qui ex certa scientia nouis & alienis coniugibus, viuentibus adhuc legitimis primis copulantur? Cùm duxisset Samson Philistæam; & secretum suum vidisset ab ea patefactum, iratus rediit in domum patris sui; cúmque posteà ad eam descédisset, audiuissetque vxorem factam viri alterius, supra modum excanduit, in illam & Philistæos odium concepit grauissimum, Iudic. 15. *Ab hac die non erit culpa in me contra Philistæos: faciam enim vobis mala.* Et tamen vtcumque excusari posse videbatur vxoris factum seu perfidia, propter longam illius absentiam. Sed agnouit Samson nihil planè subesse solidæ excusationis, esséque hanc perfidiam detestabilem. Quinta desponsatorum per verba de futuro, & sponsalia cũ nouis aliis sine causa legitima contrahentium. Sicut Sponsalia hæc matrimonio subalterna sunt, & ad illud tendunt; ita perfidia, quæ circa illa committitur, affinis est perfidiæ coniugatorum. Quare sicut ista enormis est, vti iam vidimus, sic illa magnam habet reprehensionem; ita tamẽ vt excusari possit in multis casibus, v.g. si vterque Sponsus liberè à pacto recedat siue iurato siue iniurato. Capite *præterea*. tit. de Sponsal. 2. Si alteruter ordinem

Samson deceptus ab vxore.

Desponsati per verba de futuro cum alijs contrahentes.

Quibus casibus excusentur.

ingrediatur regularem. c. *ex publico*. de conuerſ. coniug. 3. ſi initietur ordine ſubd. v. onatus c. *ſcripſit*. 27. q. 2. 4. ſi cum tertio celebret coniugium per verba de præſenti. c. *ſicut ex literis*. de Sponſal. 5. ſi ad longinqua ſe confert loca, vndè incertus ſit reditus. c. *de illis* eod. tit. 6. ſi præſentem non ſe exhibet conſtituto tempore ad matrimonium celebrandum c. *ſicut ex literis* ibid. 7. ſi fornicetur cum tertio. c. *quemadmodũ* de iureiurando. 8. ſi hæreticus fiat, vel paganus. c. *non ſolùm* 28. q. 1. aut amens, mutilus, admodum deformis, leproſus, vel alio inficiatur contagio. c. *literas*, de coniugio leproſ. 8. ſi ſuperueniat inimicitia grauis inter vnum & alterum. cap. *requiſiuit* de Sponſalibus. 10. ſi non impleatur honeſta conditio appoſita. l. contractus de regul. iuris in 6. 11. ſi ſuperuenit aliquid poſt Sponſalia, quod præuiſum prudenter veriſimiliterq; mutaſſet Spóſorum animos. D. Thom. in 4. diſt. 27.

Serui & vaſalli dominos prodentes.

Sexta ſeruorum & Vaſallorum Dominos ſuos occultè prodentium. Execrationi ſunt hi proditores Deo & hominibus, & tandem in laqueum cadunt cum magno illo Franciç Satrapa, cui à S. Paulo nomen erat, quique ſub Ludouico XI. toti rei militari in regno illo pręerat. Is occultè inclinare cœpit ad partes Caroli Burgundiæ Ducis, hoſtiſque Regis, quam perfidiã non ferens Carolus, vt erat magnanimus ac generoſus de ea Regem admonuit, imò comprehenſum Comitem ad eum miſit, qui vix Luteciam peruenit, cùm capite plexus eſt

Bellefor. in Ludou. 2. *Coneſtabilis à S. Paulo capite plexus.*

Anno

Anno 1475. Gratissimi contra sunt tam dominis propriis, quàm ipsismet hostibus, qui pro illis fideliter stant, vt Pompeius Romanorum legatus, quando digitum flammæ superposuit, & hosti eorum Gentio dixit, non se priùs arcana Reipublicæ proditurum, quàm totus cōsumptus esset: quam fidem, atque constantiam miratus Rex, Romanorum amicitiam expetiit. Val. Max. l.3.c.3. Excelluit hac fide Ioseph Patriarcha libidinari refugiens cum hera sua, à qua ad stuprum prolectabatur, dicensque. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere?* Gen.39. Magis adhuc S. Ioan. Baptista, qui cùm tantus vir esset, vt vulgi opinione Christus haberi posset; tantum nihilominus titulum, tantam dignitatem longissimo interuallo præcedentem quascumque alias, constantissimè repulit, & sartam tectámque Christo vero Domino suo fidelissimè custodiuit, *confessus est, non negauit; & confessus est, quia non sum ego Christus.* Ioan.1. Vocat se contra præcursorem eius, seruumque indignissimum. *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Math.3. Et, *medius vestrum stetit, cuius non sum dignus corrigiam soluere calceamenti.* Vtinam nos quoque omnes de gloria eidem Deo debita nihil nobis arrogaremus.

Septima, Aduocatorum quorundam & Medicorum, ex quibus illi vel clientes suos *Aduocati & Medici.* produnt

produnt aduersariis, vel certissimum iis pollicentur ex lite victoriam, cùm sit incertissima atque ita in grauia eos damna coniiciunt, ambitiosis, falsisque suis iactantiis, multasque reconciliationes auertunt, ad quas alioquin clientes illi inclinarent: hi verò corrupti pecunia infirmos occultè necant, vel malè curant, quos curandos susceperunt.

Amici instabiles.

Postremò denique amicorum instabilium, qui scilicet hirundinum more hyberno tempore, seu prostratis, & afflictis sociorum rebus recedunt; nec quicquam præstant ex iis, quæ se illorum causa facturos receperant. Deterius hoc quadantenus est, quàm non seruare hosti fidem: quia amici melior esse debet, quàm inimici cõditio. *Fides quãdo promittitur*, ait S. Aug. *etiã hosti seruãda est, contra quẽ bellũ geritur, quãtò magis amico, pro quo pugnatur?* Quocirca Ludouicus X I. de quo supra, nondum in Regem assumptus, sed degens in Belgio, cùm audiuisset amicos Caroli V I I. parentis sui Lutetiæ defuncti non interfuisse eius funeri; sed statim ad se confugisse quasi Regem salutaturi, repulit omnes velut perfidos & fucatos duntaxat amicos viuentium, nec vllum habere secum voluit.

In ep. ad Bonif.

Ludouici X I. facinus notabile.

§. 4. Solent plerique perfidiis suis excusationes obtendere, sed prorsus inanes. Alij tuendæ vitæ, aut famę necessitatem profetunt; alij votum aut iuramentum superueniens, cui satisfacere nisi via perfidiæ non possunt; alij denique

acceptam

acceptam ab illo iniuriam, cui fidem non seruant. Sed quod ad tutelam vitæ, & famæ, nullo iure licet eius causa culpam admittere; quia nullo iure licet incurrere malum maius, ad vitandum minus; est autem culpa quæuis malum grauius omni malo corporis. Exemplum est, si miles ne occidatur, stationem suã deserat necessariam ad obtinendam victoriam. Quod ad votum & iuramentum, iam dixi lib. 1. cap. de religione non obligare ea, quæ non possunt nisi scelere adimpleri. Quod ad vindictam acceptæ iniuriæ, non est priuati vlcisci aliquam, & ne Iudici quidem ipsi licet ad vlciscendam aliquam perfidè agere.

§.5. Essent contra excusatione dignissimi, & immunes à nota perfidiæ, si ideo fidem non seruarent, quòd ab eius obligatione ab iis fuissent sponte liberati, quibus deuinciebantur; vel si hi alij vicissim non seruassent vel seruare nollent datam fidem; quandoquidem non obligantur nisi quomodo & quantum voluerũt se obligare: noluerunt autem nisi conditione supposita, quòd alij vicissim datam fidem colerent. ita fit vt non colentibus aliis, desinant eius lege teneri etiam iuramento confirmatæ. (Exceptio vnica frequenter inculcanda est in fide cõiugali, eò quòd non pendet à sola voluntate contrahentiũ, sed à diuino etiam præcepto; Deus porrò nullibi potestatẽ facit cõiugi innocenti, vicissim frangendi fidẽ alteri, qui adulterat, sed vniuersim interdicit adulterium tam vnius quam alterius) cessaret item obligatio

tio si in contractu datę fidei facta non esset expressa vel tacita mortis mentio. Tunc non tenetur qui contraxit, ei stare cum vitæ suæ discrimine quantumuis morte pericliteiur alter. Vt si debitum te persoluturum certo tempore spopondisti, solui autem non potest sine morte vel damno alio tuo grauissimo, in quod vicissim incurret creditor, nisi solueris, non teneris soluere. Alia est militis ratio, qui accipiendo stipendium solenniter pepigit cum duce suo, & in se recepit exponere vitam propriam pro salute Reipublicæ. Vel denique si superueniret casus improuisus altioris ordinis & obligationis, non sinens vt fiat quod promissum est, aut id eleuans. Etsi non obligant vota accedente superioris dispensatione legitima. Nec tenetur seruus toto anno hero suo famulari, si ægrotare incipiat Pater, cumque ad se venire, sibiq; decumbenti adesse & ministrare iubeat.

Prudentiæ dictamina circa Affabilitatem.

CAPVT VII.

§. 1. *Affabilitas quid sit, & quam necessaria.*
2. *De sociorum delectu, deque perferendis eorum oneribus siue defectibus.*
3. *Quos, & quousque aliorum mores imitari affabili sit concessum.*

4. *Qua*

4. *Qualem risum locutionemque admittat Affabilitas.*

5. *Quos item ludos seu recreationes virtus hæc postulet, quos respuat.*

6. *Viro Affabili quid obseruandum in conuiuiis.*

7. *Quid in conuersatione cum Laicis, si Clericus sit.*

§.1. AFFABILITATIS nomine virtutem intelligit Aristot. lib.1.magnorum mor. c.26. & l.3. ad Eudemum, c.vlt. humanæ conuersationi præpositam, seu inclinantem nos ad versandum, cum quibus oportet, idque iucundè; id est, nec absurdos admittendo iocos, nec honestos respuendo. Admodum necessaria est istiusmodi virtus, quia necessaria, creberrima, periculosissima est eius materia, nempè hominum conuictus mutuus plenus delictorum, incommodorum, & contumeliarum, nisi benè fiat. Homo certè ad mutuã factus societatem, vitam omninò solitariam viuere, ac perferre vix vnquam potest. Nigro cygno rariores sunt Thimones Athenienses illam appetentes; cæterorum vix quisquam non delectatur contubernio, & citò non tabescit mœstitia, omni destitutus aliorum consuetudine, vt Bellerophon, de quo Homerus lib. 6. Iliad.

Bellerophon solus vacuis errabat in aruis
Cor crucians curis, hominum vestigia vitans.

Experitur idem scriptum verissimè. *Væ soli,* Ecclef.4. *quia*

quia si ceciderit, non habebit subleuantem se, vt proindè de hac humana mutuáque conuersatione dicendum videatur, quod sit malum necessarium. Necessaria est: quia, vt dixi, aduersatur extrema solitudo inclinationi naturali. Mala verò ob iniurias, crebráque iurgia, quæ secum vehit malè instituta, (aliàs ex se prorsus est indifferens) & ob id accersenda Affabilitas, & cũ ea pars illa Prudentiæ, à qua dirigitur, vt vbique honestas, rectaque ratio locum suum habeat.

§. 2. Quamuis amore omnes prosequi liceat, imò etiam oporteat, nõ tamen promiscuè cum omnibus habere consuetudinem, siue prętextu colendæ affabilitatis, siue quocúmque alio; nec mirum, cùm amor sit etiam absentiũ, consuetudo verò siue conuersatio pręsentium. quibus si aliqua insint contagia (quod heu quam sæpè fit) citò ad circumstantes transeunt minus cauentes sibi, & imbecilliores, quàm vt valeant propinatum verbo aut exemplo virus repellere. Habendus proindè sociorum delectus maximus, non omnes tibi conueniunt, sicut nec pedibus calcei. Ac primùm familiariter versari, & colludere, seu te recreare cum longè potentiori non expedit, ob periculosam eorum indignationem, si vincantur, aut tantillum offendantur. Vnde catuli cum molossis exhorrent ludere, & in apologo olla lutea fluitare noluit cum ænea, ne ab ea impingéte collideretur. Adhæc ne eos statim credas commodos tibi & opportunos, qui sunt similes conditione

ditione, vel moribus. Est sanè regula ista fallacissima, quantumuis delectetur natura cōsortio vsuque similium,& pares cum paribus facilè congregentur. Quid enim si superbi ambo sitis, iracundi, auari, libidinosi? vtrique incenderis vos mutuò, & magis magisque ad nequitiam exstimulabitis, vel æmulantes vos inuicem non facietis rixandi finem, sicut scriptum est; *inter superbos semper sunt iurgia.* Potiùs ergo statue bonos duntaxat tibi congruere, si nondum magnos in virtute progressus feceris, quia tunc citò prosternent, peruertent, inficient mali adhuc imbecillem, pronúmque ad labem contrahendam quam circumferunt. Inurent nomini tuo infamiæ notam, non secus ac scorta virginibus, vbi cōsuetudinem cum illis habere cœperint. Sed & animaduertens in eos Dei manus, facilè in te illorum socium pœnam extendet ac deriuabit. Quam pœnæ participationem metuens illis Moyses, qui se rebellibus & seditiosis affricabant, monebat omnes: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Affine est quod scripsit Hesiodus de ciuibus tolerantibus conciuem facinorosum:

Superbi sæpe rixant.

Num. 16.

Vnius ob noxam sæpè Vrbs dabit integra pœnas,
Iustitiam spretis violat qui legibus, indè
Supplicium iratus de tota Iupiter vrbe
Sumit, & immittit miseris pestemque, famémque.

Vuu Sin

Sin contrà verisimiliter te sentias, vel vt securiùs loquar, iudicent te præpositi tui egregiè instructum virtutibus, déque numero esse perfectorum, & cum bonis versabere velut paribus; & cùm vtilitatis spes affulgebit, cum malis; vt exemplo tuo, ac colloquio discant mansuescere, virtutem amare, vitia sua intermittere, & sis illis odor vitæ in vitam, & salis instar, quo saliantur ne putrescant. Inter illos Antidotū tibi erit virtus tua, ne te ad malum pertrahant; illis autem Pharmacum salutare, cuius transfusa vi occulta mutentur sensim, ac resipiscant. Te quoque præsente auert[...] Deus ab illis non semel clades grauissima[s:] adeò fauet viris bonis. Experti sunt quod di[...]co, scelerosi ciues Sodomæ, quos tangere pla[-]ga non potuit, quandiu secum Loth habuerunt nepotem Abrahæ: vnde ei dictum est a[b] Angelo. *Festina, & saluare ibi; quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc*; & similiter animæ illæ ducentæ septuaginta, quæ cum Paulo nauigabant, omninò perituræ in mari, si abfuisset; sed omnes ei donauit Christus, Actor. 27. Nō æquè cauebis vitare malos; sed præ omnibus, quos anathemate nominatim percussit Ecclesia, & à corpore suo tanquam putrida, noxiáque membra resecuit. Deinde quoscumque hæreticos, esto non sint ab eadem nominatim excommunicati. Nam etiam de his verba illa sua intelligi voluit Apostolus, Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus*

Consuetudo quibuscum habenda.

Gen. 19.

Hæretici quàm fugiendi.

uersus est, & peccat proprio iudicio condemnatus. & 2. Tim. 2. *Sermo eorum vt cancer serpit.* Verè *sermo eorum vt cancer serpit*, ait S. Leo serm. 5. de ieiunio, *humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, occultè occidunt.* & vt verbis vtar Ouid. 11. Met. faciunt:

Candida de nigris, & de candentibus atra.

Adderet S. Cyprianus si viueret: *Nulla cum talibus colloquia misceantur, simus ab eis tam separati, quàm sunt de Ecclesia profugi.* Profugos vocat, quia segregarunt se ab Ecclesia per se, vel in persona parentum suorum, quorum schisma imitantur, nec amplius in ea sunt tanquam membra viua, & filij bona eius participantes; sed sicut mancipia in familia, vel rei incarcerati in ciuitate: & hoc sensu quòd iurisdictioni eius subsint, ab eadémque puniri possint. Quippe hoc ipso quo baptismi retinent Characterem, manent sua prima professione deuincti, subiectíque vt Christo, ita eius Sponsæ, ideoque tenentur quibuscumque eius legibus. Illos tantoperè auersabatur S. Antonius, vt diceret: *Scitis ipsi quod nullus mihi pacificus sermo cum eis vnquam fuerit.* Enimuerò quia cogit quandóque grauis necessitas cum illis agere, licebit id tibi in eo casu, sed quàm breuissimè fieri seruato decoro poterit, & imitando quoad hoc naturalem Ægyptiorum canum prudentiam, qui aquam Nili, in qua latent Crocodili, subitò erumpere soliti; vt obuiam prædam deuorent, non bibunt ociosi, &

S. Cypr. l. 1. epist. 3.

Profugi vocati. & cur.

Tenentur legibus Ecclesiæ.

S. Athan. in vita S. Ant.

Canum Ægyptiorum in bibendo aquam Nili cautela.

& longas innectendo moras, sed obiter dun-taxat, & discretis vicibus lambunt cursitando circa ripam. Fac tu similiter, contrahe in pauca, quæ dicenda erunt cum talibus, ne te incautum concludant suis retibus. Periculosa valdè est illorum blandiloquentia; periculosa affabilitas magis quàm blandarum meretricũ vecordibus insidiantium: de quarum vna alloquente Iuuenem hæc habet Salomon: *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorũ protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur.* Addit verò: *Nunc ergo, fili mi, audi me. Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius, multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Via inferi domus eius penetrantes in interiora mortis.* Oues voce mentiuntur, reipsa autem lupi sunt, quoad fieri potest fugiendi, exemplo agni, qui reclusus domi, & iussus à matre quæ pastum iuerat, nemini aperire nisi sibi, lupo dixit pulsanti fores, & imitanti vocem matris: *Non aperio, nã etsi vox ouissat, per rimulas tamen lupum video.*

Blandiloquentia Hæreticorũ quàm periculosa.

Prou. 7.

Qualescumque porrò fuerint peccatores, quibuscum te contigit agere (præpositorum alia erit ratio respectu inferiorum) sustinebis eorum rusticos mores patienter, non indignaberis, nec offenderis plus æquo moribus ipsorum prauis & defectibus, à quibus tuos cupis etiam sustineri; sed emendare studebis, & amicè dissuadebis, si commodè vtilitérque id

Mores aliorum rustici sustinendi patienter, aut emendandi.

id te posse videas; secus dissimulabis, nec statim fies impatiens, aut omnem abrumpens cum iis vsum, ac familiaritatem; aliàs abrumpenda esset cum omnibus; quia vitij omnis expers nemo viuit, optimus est qui minimis vrgetur. Vide quid faciunt apes, à plantis & floribus non omninò abhorrent, in quibus sunt bona permixta malis, sed magna dexteritate legunt quod bonum est, sibíque vtile; quod verò secus, prætereunt; ita facies, quod viri est sapientis, si ad improborum dotes bonas potiùs quàm ad vitia respexeris, atque his quasi posthabitis studeas illorum consideratione mitescere.

Aut dissimulandi.

Apū curā.

§. 3. Quosdam videas dum affabilitate volunt excellere, omnium se moribus accommodare, ne displiceant. In hunc finem abutuntur verbis illis Apostolicis, 1. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum*, & Rom. 12. *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, mentiuntur cum mendacibus, peccant cū peccantibus, hæreticos se simulant, imò reipsa exhibent cū hæreticis, Turcas cum Turcis, obscœnos cū obscœnis. Diabolicum hoc ingenium est, Atheorum, & Politicorum proprium; formas omnes suscipientium more aquæ in vas infusæ concauum, ouale, quadratum, altera parte longius, &c. In album istud relati sunt viri illi versatiles, ad quos Elias 3. Reg. 18. *Vsquequò claudicatis in duas partes?* Illi similiter qui 4. Reg. 17. sacrificabant idolis gentium, & nihilominus colebant Dominum. Nihil tale fecit

Politici quidam nimium affabiles, ac in omnia versatiles.

aut ficti B. Paulus verbis illis voluit: *Quid ergo?* Interpretatur mentem eius S. August. epist. 9. & 19. *Non mentiendo, sed compatiendo, non simulantis astu, sed commiserantis affectu, omnibus omnibus factus est.* Et posteriorum genuinus sensus est: *Ea sit inter vos sympathia ô Christiani, vt fratrum bona & mala aquè vos ac illos tangant.* Nempè quomodò rectam iniuisset viam lucrifaciendi eos (quod vnum ei erat propositũ, addit enim, *vt omnes facerem saluos*) ita sese illis conformando, vt cum illis vel errores profiteretur, vel flagitia multa committeret; ac modò quidem oppugnaret veritatem, nunc ignauiter dissimularet? Palam est ea ratione futurum fuisse, vt confirmarentur magis in corruptela sua extranei, quàm abstraherentur.

S. Paulus quomodò omnia omnibus factus.

Quare nec tu specie affabilitatis cuiquam cedenti perperam vel agenti, sic te conformaueris, sed in licitis duntaxat rebus vel indifferentibus; & vsque ad aras, non violando legem aliquam, naturalem, diuinam, vel Ecclesiasticam. Exemplum, in bibones incidisti vrgentes, vt te totum cum illis vino proluas. Caue obsequaris iniquis postulatoribus; sed gratiosa, exporrectáque fronte causas proferto, cur nullo modo id tibi liceat, sed omninò pugnet cum honestate quã profiteris. Ita fiet, vt teipsum defendendo illos simul doceas quid agere, & à quo abstinere debeant. Instant vt multũ bibas, roga vicissim vt illi parum; qua lege cum vti nolint, conclude quasi iocans, nõ esse vicissim cur te obligent sua. Hoc modo vel emendabis illos, vel te seruabis innocen-

Conformãdum sese cũ aliis quousque.

Cum bibonibus quid agendum.

tè illæsa vbique beneuolentia. Multũ omninò positum est in agendi modo & loquendi.

§.4. Risu vtuntur, qui student esse affabiles; sed sæpè nimio, inepto, intempestiuo, quia omnia tempus habent. *Tempus ridendi, & tempus flendi.* Is nec bonus moraliter per se est, nec malus. Nam si malus esset, non fecisset Deus hominem risibilem. Si bonus aut necessarius, non ab eo abstinuissent viri prudentissimi; vt præter magnum Catonem, qui dictus est ἀγέλαστος, Christus Dominus, quem nunquam risisse legimus, esto subrisisse non negauerim; præcipuè cùm paruulus esset in matris gremio. Cachinnari, seu effusè ridere hominis est insolentis, de quo Eccl. 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti, sed & hoc vanitas.* Rident equidem & exhilarantur, qui sic ridentem vident, sed simul irrident. Alij sic effusè ridenti metuunt, quia periculosus valdè est risus diffusissimus, propter nimiam dissipationem spirituum, & respirandi difficultatem, qua extinctus est senex ille, qui asellum videns comedentem ficus, nec accurrisse vocatos famulos, nisi postquam omnes iam comedisset, adeò risit vt moribundus conciderit. Ineptus quoque scurrarum risus id tantum spectantium, vt recreent cæteros, sicut etiam assentatorum: Siquidem non nisi inuiti rident ridentibus iis, quibus imitatione placere student. Sunt haud dubiè facto isto absurdissimi, quia ridendo fictè non naturaliter, nec

Eccles. 3.

Risus per se nec bonus moraliter, nec malus. Christus nunquam risit at potuit subrisisse.

Cachinnari cuiusnam.

Senex risu extinctus, & vnde risus ille.

nec ab interno, vt dici solet principio, abest procul genuina & iucunda illa vultus compositio, pupillarum emicatio, membrorum motus ac spirituum, qui inesse solet ex animo ridentibus, vt verbo dicam, repugnante natura res tota geritur. Risu nunquam prosequare aliena vitia, siue naturalia, siue moralia (nisi id cessurum videatur in bonum ipsorum; quo fine pueri Lacedæmonij authore Magistratu ebrios sibilo excipiebant, vt sic corrigerentur.) Excute in conuersatione vicissim nimiam tetricitatem, nec ridentes, & sese honestè recreantes facilè increpaueris. Scriptum scio: *Musica in luctu importuna narratio*: sed vicissim lego, *ne impedias musicam*. Sicut non faciunt benè qui te mœrente soluuntur in risum, cùm id procul sit à commiseratione: Ita nec tu profectò, si honestè sese oblectantium velis stoica morositate perturbare lætitiam. Expunctis extremis mediocritatem consectemur, quotquot sumus, & bene conueniemus. Rusticum vocat Aristoteles non consectantẽ. *Rusticus est ad eiusmodi consuetudines ineptus; cùm enim nihil ipse conferat ad animi recreationẽ, omnia ægrè accipit*. Excusanda interim quandóque est hæc rusticitas, & vis atræ bilis miseranda, & ingens calamitas, quæ sæpè hominem in transuersum agit, vt notat Cyrillus Alex. in c. 1. Naum. *Solet mentem humanam tenebris obscurare dirior calamitas.*

Risu non prosequenda vitia.

Ebrij apud Lacedæmones sibilo excepti, & ad quid.

Eccles. 22. & 32.

Lætitia honestè sese oblectantiũ non est turbanda.

Arist. l. 4. Eth. c. 8.

Non minus prudentem se præbebit affabilis, si linguam moderetur inter iocos lubricam

Lingua moderanda inter iocos lubrica.

cam, valdéque viciná præcipitio. *Qui moderatur linguam suam*, ait Salomon, *prudentissimus est.* Quemadmodum non laudantur à sapientibus, sed tunc maximè ridentur & odio sunt meretriculæ, cùm lasciuire student verbo ac gestu, & facetiis suis amatoriis præbere se gratiosas: ita planè affabilis si non seruet modum, si quo placeat sociis, effutiat quicquid in buccam venerit. Hinc salubre illud consilium: *Verbis tuis facito stateram.* Coram aduersario te recreans, quid dicas attende, ne verbis tuis offensus velut irrisoriis, cudat tibi malam fabam. Azo Iurisconsultus clarissimus cùm in carcerem mitteretur, ob percussum feruente ira inimicũ, exclamauit, *ad bestias, ad bestias*, quod est principium legis 31. ff. de pœnis, significare volens ei parcendum, qui plecti quidem mereatur, sed in arte sua excellens sit, & Reipublicæ vtilissimus. Legis verba sunt: *Ad bestias damnatos, fauore populi Præses dimittere non debet: sed si eius roboris vel artificij sint, vt dignè populo Romano exhiberi possint, Principem consulere debet.* Tunc Iudices, quibus minimè amicis vtebatur, interpretantes se ab illo per derisum vocari bestias, non antè destiterunt, quàm ei necem afferrent. Fecisset prudenter vir tantus, si vel omninò tacuisset, vel interpretando sui sensa animi suspicionem amouisset contumeliæ. Inter Principes etiã tecũ sese recreantes, & inter pocula esto loquẽdo parcus & valdè circumspectus. Hoc ipsum est quod dicere voluit Salomon Prou. 23. *Quãdo*

Prou. 10.

Affabilis debet seruare modũ.

Eccl. 28.

Coram inimico circũspectũ iocandum.

Azo cur ad mortem plexus.

Inter pocula parcus.

do sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, id est, prudentiam, vtilia & opportuna verba separantem ab aliis. Delicatæ sunt aures Principum, vixque corrigent sinistram verborũ tuorum interpretationem, quam mente conceperint. Vtere item confabulando loquendi vicissitudine cum paribus. *Amant alterna Camœnæ.* Habent illi vicissim quod commemorent. Arrogans est, qui semper loquitur, omnia se scire indicat, nihil cæteros, se solum putat audiendum, quasi à Musis mutis Apollinem. Ita fit, vt quibus se placere credit multiloquio, ingratissimus sit. Præpositorum magis est sic loqui, tacere subditorum. *Qui me audiebant*, ait Iob, *expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum, verbis meis addere nihil audebant.* Nulli facilè contradixeris (extra senatum vel concilium, vbi quod censes, ingenuè te oportet depromere:) quia hoc valdè offendit alto animo præditos, & multorum est iurgiorum seminarium; sed tunc solùm quando vna ex parte hoc postulabit rei grauitas, vt si hæresim aliquam audires asserentem, &c. ex altera secus rem se habere tibi erit exploratum. Imò in hoc casu repugnaturus, rectè feceris si rationes suauiter, propter quas aliter cousque senseris. Ita fiet, vt ignorantiam quasi tuam excusando tacitè instruas falsa narrantem, illæsa item charitate eundem satis perstringas, & secus loquendum fuisse admoneas. Si tamen quod retundendum occurrit, manifesta

Arrogans qui semper loquitur.

Iob 29.

In Senatu & concilio sententia ingenuè depromenda.

festa sit hæresis, eaque fidenter asseratur, non molliter ei te opponas; sed intrepidè ac fortiter; ne conniuendo, aut verba dando nimis mollia, pecces contra seriam confessionem fidei. Et quoniam contradici facilè solet peregrinis, mira & insolita narrantibus, quæ fiunt vel sunt in locis exteris; ne facilè repugnaueris, sed si credere non vis, suspende iudicium: nã repugnando excitabis sæpè tricas, rideberis à multis magis credendũ iudicãtibus expertis, quàm nõ expertis; temeritatẽ nõ effugies quæ ibi non deest, vbi eo solo nomine dictũ reiicitur, quòd nihil tale apud tuos visũ sit, vel auditũ. Quasi verò in patriam tuã admirãda omnia Deus & natura cõiecerint. Futurũ denique vt sæpè oppugnes veritatem. Nam reuera in remotissimis orbis partibus quamplurima sunt, & contingunt stuporis plenissima. Quis Venetias crederet supra mare sitas & quasi natare, si nondum audiuisset; aut in Africa homines inueniri & nasci aterrimos? Sed lubet exemplum quoque aliud proferre, cùm dicitur in oriente vrbes occurrere sextuplo maiores Lutetia, excipiunt id cum risu plurimi, ac fabulosum putant, & cum eo fabulas interpretantur cætera omnia; ac si Niniuem non constaret adhuc fuisse ampliorem. Ea certè iuxta prophetiam Ionæ itineris erat trium dierum, & teste Diodoro Siculo lib. 3. rerum antiq. cap. 1. turres numerabat ∂ mille quingentas omnes altitudinis ducentorum pedum geometricorum, & muros pedum centum. In

Manifesta hæresis fortiter oppugnanda.

Venetia supra mare sita.

Niniue quãta vrbs, eiusque turres ac muri.

In ambitu verò habebat sexaginta milliaria; id est, leucas parisienses triginta: & consequenter Diametrum plusquam octo leucarũ, cùm Lutetiæ Diameter vnius tantum sit, aut certè nõ multò superet. Diametrum accipio à porta S. Iacobi vsque ad portam S. Martini; cui certè spatio emetiendo videtur mihi hora sufficere, nisi fortè quis velit incedendo lassum bouem agere. Vicissim videant, qui stupenda ista & exotica narrant, quibus narrent, si rideri nolunt. Vix sunt eorum capaces idiotæ; & quicumque nec ingenio multum pollent, nec iudicio. Rursus si dicenti aliquid non quidem à fide alienum, noxium tamen, vel turpe, & nõ ferendum, repugnare pertimescis, transfer sermonem solerter ad alia, dicendo, v. g. *De his hactenus, mihi quoque aliquid est quod commemorem: si placet, audite.* Nam sicut nulla substante causa rationabili inurbanum est alienę sermocinationis cursum intercidere, & occasionem dare aliis exprobrandi tibi:

Lutetiæ diameter.

amphora cœpit
Institui, currente rota cur vrceus exit?

Horat. in Arte.

Aut existimandi se à te nugatores & indignos censeri qui audiantur; aut nihil tibi in penu esse, quod possis inchoato sermoni adiicere (quod ne de se crederetur, solebant olim Philosophi in congressibus suis, qui διατειβαὶ dicebantur, à proposito argumento non discedere, sed cõsequenter loqui. Vndè resultabat ex omnium symbolis doctissima perfectáque disputatio) ita si subsit, licet, imò expedit.

Philosophorum sermocinandi mos.

dit. Si tibi refragetur quispiam, acquiesce modestè veritati contrariæ, vbi illam euicerit, téque deceptum fuisse ingenuè fateare, atque in posterum disce proferre certiora. Hac ratione conciliabis tibi gratiam cum B. Petro reprehenso à B. Paulo Gal. 2. *Tacuit Petrus, vt qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate.* Sin non euincat, ne idcircò in iram assurgas, sed dicito; obscuris in rebus licere vnicuique in sensu suo abundare. A longis digressionibus, prolixísque narrationibus abstine, ne sociorum abuti ocio videare & patientia. Delectat sermo concisus, & succulentus; auditorem contra indignari faciunt digressiones illæ, & dicere, *quid hoc totum ad propositum*; *quid ad rhombum?* Nunc de responsione ad garrulum. Vetat Salomon Prou. 26. ei responderi: *ne*, inquit, *sapiens sibi videatur*. Vult dicere, ne ad stultam eius percontationem directè respondeamus, sed indirectè proponendo aliam, quæ confundat ipsum.

S. Gregor. hom. 18. in Ezech.

Denique recreationis & affabilitatis obtentu nulla tibi excidant scommata, irrisiones, mendacia, turpiloquia, vsurpationes ludicræ diuinarum literarum. Pugnant hæc omnia cũ charitate, veritate, pudicia & religione; inconcessa autem recreatio est repugnans virtutibus. *Auersissimus ab istis sum*, verba pono Senecæ, *si quando fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus, me rideo*: & Iudic. 16. oppressi sunt ruina domus Gazæi, quotquot Samsonẽ irride

Recreationis causa nõ excidant scommata, &c.

Senec. epist. 15.

irridebant occæcatum, & 4. Reg. 2. Vrsi duo pueros lacerarunt quadraginta duos insultantes Elisæo, & clamantes: *ascende Calue*. Præpositis tamē cōceditur correctionis gratia exprobrare actus prauos subditis, vt Paulo Galatis, quos vocat *insensatos*, quin etiam defectus corporis, quibus delicto aliquo suo causā præbuerunt, nō autē naturales. *Qui à natura deformes sunt, eos reprehendit nemo; sed eos qui per otiū & negligentiā tales euaserunt. Nullus ei qui natura vel ex morbo factus sit cæcus, cæcitatē exprobrabit, sed miserabitur potiùs; secus si ex temulentia, vel alia quapiā intemperantia. Ita fit, vt uitia corporis, quæ in nostra sunt potestate, vituperentur, quæ nō sunt, minimè.* Ad iocos & facetias si eloquia sacra transtuleris, nō effugies, mihi crede, iudiciū Dei, qui non pepercit filio Nabuchodonozor Regis vtēti vasis sacris in profanis suis conuiuiis; sed de regno illū mox deturbauit: & ecce plus quàm sacra vasa hîc.

Arist. lib. 3. Eth. c. 5.

Ludi & ioci non omninò abiiciendi.

§. 5. Ludos, ac iocos omnes velle abolitos, hominis est seueri nimis & rigidi, eò quòd *requies & iocus*, vt tradit idem Philosophus l. 4. Eth. c. 8. *in vita esse necessaria videntur*. Scripsit quidam alius ex eadem prisca gentilitate.

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

De pueris singulatim Quintil. l. 1. Inst. c. 3. *Nec me offenderit lusus in pueris, est & hoc signū alacritatis, neque illū tristē, sempérque demissum sperare, possum erecta circa studia mentis fore, cùm in hoc quoque maximè naturali ætatis illius impetu iaceat.* Addit prætereà prodesse Ludū ad cogno-

scendũ magis cuiusque animũ. *Mores se inter ludendũ simpliciùs detegunt.* Sed reuerà interest plurimũ, quibus vtamur. Vndè Cicero: *Pueris non omnẽ licentiam ludendi damus, sed eã quæ ab honestis actionibus non sit aliena.* Et ante illũ Plato l.4. de Rep. *Inepti ludi in studia sensim, moresque conuertuntur; si iocis minus decentibus assuescant; nunquã legitimi, probique viri euadere poterunt.* Ludentis ætati, & conditioni debent in primis ludi cõgruere. Nuces pueris relinquat senex & arundines, nisi rideri velit cum Agesilao equitante domi cũ filiis in arũdine lõga. Pueri vicissim senibus talos & tesseras. Præter cursum aptissimus Iuuenibus est pila, qua multũ delectabatur tũ Alexander, tum Pub. Scevola iurisconsultus clarissimus. In qua tamen exercitatione corporis vitandus est excessus. De ludo qui accessoriũ quiddam debet esse ad occupationes serias, nõ fiat principale. Nõ sit Princeps, exempli causa, venationi, armorúmque studio plus æquo deditus, ne ferus euadat eáque cõtentus vanitate negligat potiora, & de Principe venator sit, aut gladiator. Iocos, & ludos nunquã interpretemur, ex quibus damna & crimina oriũtur; tales nõ nisi abusiuè ludi sunt; sicut artes magicæ artiũ nomen abusiuè tantùm participant. Procul arceantur & interdicantur exercitia illa corporis, quæ adiunctum habent vitæ periculũ; quia qua lege vetat Deus homicidium, eadem vitæ discrimen interdicit, vndè ait Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* & Eccles. 3.

Ad quid cõferant.

Cic. 1. offic.

Ludi debẽt conuenire ætati & conditioni ludentium.

Princeps nõ nimis iis indulgere debet.

Qui

Qui amat periculum, peribit in illo. Arceantur item impuræ Comœdiæ & Tragœdiæ, quandoquidem bonis aduersantur moribus, luxuriæ pruritum magis magísque incendunt lasciuis obiectis & motibus, artificia docent adulterandi, lenocinandi, & cupitis fruendi amplexibus, stimulos admouent consciscendæ sibi mortis, dum illos repræsentant, qui perturbatione acti amoris aut tristitię hoc fecerunt. Ibi simul ars traditur mentiendi, fallendi, simulandi, dissimulandi, furandi, incantandi & circumueniendi simplices virgines. Cúmque hæc omnia publicè fiant tota applaudente corona, vim quandam publicam acquirit licentia, eliminatur verecundia, crescit impudentia. At ficta sunt quæ fiunt. Ita quidem, sed per ficta instituuntur spectatores ad seria, vt fictis gladiis discunt gladiatores seriò tractare rem militarem, & cæsim punctimque lethaliter percutere. *Docent adulteria*, inquit Lactantius, *dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera.* Claudã oculos, inquies, si quid turpe videro. Idem sibi pollicebatur Alipius, cùm ei suaderetur nę ludis interesset Circēsibus. Sed quid de eo S. Augustinus? *Spectauit, clamauit, exarsit, abstulit indè secum insaniam, qua stimulabatur videre non tantum cum illis, sed prę illis, à quibus erat abductus.* Præcipuè autem ab his nugis arceri iuuenes vult Aristoteles lib. 7. Polit. cap 17. *Iuniores neque Comœdiarum, neque Tragœdiarum Spectatores esse sinat, nisi cùm ad eã peruenerint ætatem, vt in comessatia*

Comœdia & Tragœdia impura vitanda.

Lact. lib. 6. cap. 20.

S. Aug. l. 1. Conf. c. 8.

messationibus vnà cum aliis sedere, & potus etiam participes esse possint. Multò minus adhuc licitus est ludus sumptus pro ipsismet scortationibus, de quo Exod. 23. *Cœpit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*; vel pro homicidiis, & Monomachiis, vt 2. Reg. 2. *Surgant pueri & ludant coram nobis.*

Ad inconcessos ludos 1. Laruarum vsus, quarum auxilio multi domos ingressi furantur multa, turpissimè lasciuiunt, nocendi ansam arripiunt. His certè diebus Monpelgardiæ Laruatus vnus conciui suo brachium amputauit, eique hoc vulnere breui mortem attulit. Ad hæc vir & mulier nulla adacti necessitate permutant vestes sui sexus proprias contra legem illam Deuter. 22. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea; abominabilis enim est apud Deum, qui hoc facit*, & assumitur interdum clericalis habitus non sine religionis iniuria, vel habitus Syluestrium hominum, ob quem in choreis quibusdā assumptum Carolus ipse sextus Franciæ Rex tam graues Deo pœnas luit, vt tantum non sit igne consumptus, quem casu concepit vestis eius piceata: quatuor autem nobiles huius insaniæ socij mox extincti sunt. 2. Odiosissima consuetudo censendi aliena, & carpendi, quo in genere primas tenuit Momus omnium etiam Deorum opera censuræ suæ subiiciens, & aliquid quod reprehenderet in quouis excogitans. Non desunt hac tempestate complures farinæ huius homines, qui *nisi quod dixerint aut fecerint, nihil rectè factū putant.* Terent. in Adelph.

putant. Contrà *sapiens non ita agit*, inquit Seneca, *vt quidquid non facit, damnare videatur*; *licet sapere sine pompa, & inuidia.* 3. Id omne quo animi vires nimis intenduntur, quia *mente & corpore simul laborare non oportet, cùm se inuicem impedire nata sint, labor quidem corporis mentem, mentis autem corpus.* Ex ipsismet pedibus incedente vno, quiescit alter. 4. Nobilium venationes deuastantium agros, messes, vineta rusticorum. Ferina est & crudelis hæc recreatio, & obligationem inducit damna reparandi; nisi bona quæ venando deterunt, ab illis vel Antecessoribus data probentur eiusmodi rusticis in Emphyteusim sub hoc onere. 5. Principum exercitia mechanica, vt arcui vacare cum Domitiano, laternas conficere cum Eropo Rege Macedonum, pupulas effingere cum Valentiniano, tormenta fundere cum Alphonso I. Duce Ferrariæ, Astrologiæ se totum dare cum Alphonso X. Rege Castilliæ, aut cum Nerone componendis cantilenis operam dare, vix puto esse qui multum probet. 6. Ludus aleę (quidni etiam chartarum?) in quo tot penè committi peccata solent, quot in Alphabeto literę numerantur, nempè auaricia seu ardens lucri cupiditas, blasphemia, contumelia, desperatio, execratio, homicidium, ira, liuor, mendacium, nugacitas, odium, periurium, querimonia, risus siue irrisio, simulatio, turpiloquium. His addunt tetrici aliqui musicam, sed malè. Nam vt respuenda sit leuis, garrula, impudica; quæ tamen contraria est, decet omnes etiam Principes

Senec. epist. 104.

Ar. l. 8. Polit. c. 4.

Couar. in Reg. peccatum. §. 8. n. 11.

Principum exercitia mechanica.

Musica quadā vituperabilis.

cipes, ita vt vituperetur valdè Atheas Scytharum Rex, quod gratiorẽ sibi dixerit esse hinnitum equi quàm concentum Ismeniæ. Laudatur verò Alexander, quòd Ilium veniens cytharam petiuerit non Paridis, qua suos decantabat amores, sed Achillis, qui Heroum gesta cantu prosequebatur. De ludo dum loquor, caue pecuniam multam exponere, ne quæstus potius sit, quàm ludus. Caue exponere ludens cum vxore aut famulis, vt lucreris; sed potius vt illi. Cum æqualibus verò destinetur exposita communi ientaculo: caue quempiam vi, fraude vel minis ad ludendum pertrahas, quia iniuriam sic ei faceres, & iniustam præberes damni causam, si quod pateretur, ob idque incumberet tibi eius reparandi obligatio, etiam ante sententiam Iudicis, eò quòd liberè non consentiret in rei suæ expositionem & amissionem. Et tamen si rem tuam lucraretur, suam faceret, contraria de causa; hoc est, quia liberè in iacturam eius consentires. Si certus sis de victoria, alter autem parum ludi peritus te nesciat tam esse in ludo versatum, sed se speret posse vincere, cum eo non luseris, nisi patefacta prius peritia tua singulari; aliàs tuum non erit, quod te credes lucrifecisse, eò quòd illius ignorantia seu error causam dans contractui (neque enim luderet, si te talem nosset) vim illi adimit. Habeto similiter soluendi animum, sine quo nihil quoque tibi iusti lucri accederet, quia tunc non esset par vtriusque conditio, & deciperes collusorẽ. Ludens deniq;

Atheas malebat hinnitũ equi audire, quàm concentũ Ismeniæ.

Alexander petiit Cytharam Achillis.

Ludendum quomodo, & cum quibus.

cum pupillo ne facilè pecuniam exposueris; quia restitutioni obnoxium erit in foro externo quod ille amiserit sine consensu tutoris, expresso, aut tacito. Addamus, quod sequitur, quandoquidem in ludo frequenter,

Ouid. lib. 3. de Arte.

Ira subit deforme malum, lucrique cupido,
Iurgiaque, & rixa, sollicitusque dolor.

Compara te maturè ad mansuetudinem, vtque præuisa tela si fortè irruant, minùs feriant, à principio te victum iri puta. Certam quoque tibi summam præfigito (si fortè exponis ludo pecuniam) qua amissa constanter pro ea vice impositurus sis ludo finem. Quippè amittendo iacturam paruam sustinebis, qua te pudcret valdè commoueri; altera ex parte facilè eueniet, vt alio tempore fœlicior totum recuperes quod antè perdideris, & quidem cum fœnore.

Conuiuia plurimorū damnorum causa.

§. 6. Dum in conuiuiis student homines abductos à sollicitudine animos ad hilaritatem traducere, & exhibere sese valdè affabiles, illaqueant se frequenter delictis plurimis. Vix alibi magis astat, auditque Diabolus. Ibi instanter velut in propriis nundinis sua tractat negotia, suggerendo conuiuis scommata, mendacia, iactantias, blasphemias, detractiones, irrisiones, turpiloquia. Accendit Cerere & Baccho libidinem, discordias serit, stultitia implet capita potatorum, ora verò clamoribus. Tu verò ibidem loquere, si non de rebus piis, exemplo illorum, qui Tob. 10. *epulati sunt benedicentes Deum*, adiaphoris saltem seu, indifferenti

feretibus, Samſonis more, qui inter epulandũ ait: *Proponã vobis problema quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij, dabo vobis triginta ſindones, & totidem tunicas.* Iud. 14. Minimè omnium dicacem te ſentiant viri Principes, facilè ad eorum deferetur aures, quicquid in eos dixeris. Altero oculo carebat Antigonus Macedonum Rex, & Magiſtrum coquorum habebat Eutropionem, cui ioco dixit aliquando mordax Theocritus: *Scio quod Cyclopi me crudum appones,* Regi ſcilicet cæcitatem exprobrans, huic verò artem coquinariam. Tunc Eutropioni capite igitur carebis, & huius pœnam lues dicacitatis. Dehinc dicta renunciauit ad Regé, à quo qui Theocritum interficerent ſtatim miſſi ſunt. Plut. l. de Educatione. Adhæc ſi de numero ſis Clericorum, ac præcipuè concionatorum, præbe te rariſſimè præſentem conuiuiis: *Facilè enim contemnitur Clericus, qui ſæpè vocatus ad prandium non recuſat. Nunquam petentes raro accipiamus, beatius eſt enim dare quàm accipere. Neſcio enim quo modo ipſe etiam deprecator vt tribuat, cùm acceperis, viliorem te indicat, ſin contempſeris, plus te poſteriùs veneratur.* Cùmque aderis, tuum peculiariter eſſe crede cum timore Domini conuiuium celebrare. Sit tibi timor iſte ſalutaris admonitor, comes, frænúmque perpetuum. Ne fias diſſolutus, vt videaris affabilis. Non antè diſcumbatur, quàm ad Deum præguſtetur oratio. Claudat conuiuium actio gratiarum. Id facere docuerunt S. Antonius, & S. Paulus Eremitarum primus,

Conuiuia rarò clericis adeunda.

S. Hieron. ad Nepot.

S. Hier. in vita Sancti Pauli.

de quibus B. Hieron. *Cùm gratiarum actione ad fontẽ capientes cibum, vbi tantisper recreati sunt, iterũ gratiis de more actis noctem in diuinis laudibus consumpserunt.* De temperantia in cibo, potúque seruanda dixi non pauca libro superiore; sed nihil oberit etiam quæ sequuntur insinuare, vt deuitentur, quibus affabilitatis & vrbanitatis decor non parùm læditur, & horror nõ modicus discumbentibus ingeneratur.

Cibus qua decentia sumendus.

Noli vtraque manu, vel simul, vel alternatim cibum in os inferre; dextræ hoc munus, non sinistræ. In vinum buccellas panis ne intinxeris, nisi id postulet insolita oris siccitas, aut panis duricies. Offerendos aliis cibos digitis noli contrectare. Caninũ censent omnes, ossa rodere; helluonum autem ex communi disco cibos accipere vel crebriores, vel iusto maiores. Abluendi oris gratia nec aquã, nec vinum intra illud agitaueris refectionis tempore, ita saltẽ vt audiri possis. Nec simul, nec statim post offam biberis, cùm ipsa sit potus species. A Medicis aliquot didici, id valetudini nõ parũ incõmodare. Si vnam, duas, aut tres tantum aquæ guttas infundere vino decreueris, nullã infundito; quia tã paucas instilare nõ est hominis seriò volentis vinũ diluere; sed ex affectata potiùs, fictáque temperantia gloriã colligentis. Prosequenda seriò sunt quæ ad virtutẽ pertinent fuco reiecto & ostentatione, vt in actionibus nostris nõ rerũ vmbræ, sed res locũ habeant. In Scypho toto exhauriendo, vel nõ exhauriendo, in parte oblatarum

latarũ tibi carnium in discũ reponenda, vel nõ reponenda, patriũ morem sequere, nec facilè damnandũ putes, aut introducendũ, quod recipitur à tot aliis, vel repudiatur. Os claude masticando, ne audiaris. Iis qui tibi plùs, vel minùs pares sunt dignitate, honoratiórẽ conuiuij locũ ne præripueris; sed ex animo cede honorandi gratia, memor verborum Christi: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.* Quod si longo, aut notabili interuallo præcas, ne quæras tibi postremum, cũ hoc sit manifestè indecẽs, & suspicionẽ ingerat affectatæ à te modestiæ, constétque ex toto cœtu passurum neminẽ, vt ibi subsistas, ac resideas. Nõ multò post conuiuiũ, recipe te ad peragenda quæ tui sunt muneris, quo te ostendas non viuere, vt comedas & bibas; sed comedere ac bibere, vt tractes seria. Obseruabant hoc primæui Christiani, de quibus Tertullianus: *Indè disceditur non in cateruas cæsionũ, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarũ, sed ad eandẽ curã modestiæ & pudicitiæ, vt qui non tã cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Luc. 14. *Bibendum vt viuamus, non viuendum vt bibamus.* Tertull. in Apol. c. 39.

§. 7. Intelligant Clerici suũ magis esse quàm cæterorum, mente, animóque insistere, ne ad affabilitatis extrema degenerent, eóque fine procul deuitare studeant lasciuiam, contumeliam, garrulitatem, loquacitatem, gesticulationem mimicam & similia; à quibus ni sibi caueant, quomodò erunt sal terræ? Quomodò modestiores dimittent à se eos, quibuscum versabuntur & agent, quàm priùs essent? *Clerici non debent degenerare ad extrema affabilitatis.*

haud dubiè non poterunt, cùm nihilominus teneantur, nisi frustra credantur positi, vt Laicis exemplo verbóque ad virtuté omnem præluceant. Quamobrem cauti sint, ne quemquam offendant assentatione, lenitate gestuũ, effrenata loquendi licentia, histrionicis motibus, &c. Nam cùm ciues illi seculi honesta laudabilíque eorum conuersatione proficere non multùm soleant; fiunt tamen praua, incompositáque deterrimi, citò hanc imitantur, & se nactos credunt nequitiæ suæ excusationes ineluctabiles. Sint itaque moribus graues, ita se gerant, vt ab illis audiant: *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Iisdem non plus æquo se præbeant familiares, quia vlcera & næuos suos sensim produnt consuetudine nimia, atque ita contemptui sunt. Celari diu stomachi vitium non potest, citò illud ructus prodit aut singultus. Vndè qui prodi non vult, confecta re ab iis se suauiter abstrahat quibuscum loquitur.

Isa. 61.

Epilogus, & conclusio totius operis.

Habes Lector, quæ de vera perfectáque Prudentia mihi occurrerunt tibi suggerenda, quæque satis intelligo non planè sufficere ad actiones virtutum singulas perfectè dirigendas: nec mirum, cùm adeò accurata disputatio impossibilis sit propter rerum mutationé singularium & infinitatem, quarum non est sciẽtia. Vndè nec exigi à me iure potuit. *Quid fieri soleat, quid oporteat, in vniuersum & mandari potest & scribi. Tale consilium non tantum absentibus, sed etiã posteris datur. Illud autem quomodò*

Senec epist. 22.

modò fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum est. Non potest medicus per epistolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda est. Adduxi nihilominus quæ finitima sunt singularibus, atque in praxim vt plurimum veniunt; quod ni fallor satis est, ne susceptus à me labor pœnitendus videatur. Æquè peruij mutationibus sunt Aphorismi medici, (vt iam iá ex Senecæ ore audiuimus) quoties ex arte hîc, & nunc est operandum; quis tamen idcircò Hypocratem credat edendo in lucem octo eius argumenti libros, lusisse operam, & non potiùs humano generi multum profuisse?

Laus Deo, optimo maximo, Virginique matri.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS RERVM ET VERBORVM,
quæ in toto hoc opere notatione occurrunt maximè digna.

A

Abusus

Aduite

Agni

Ananias

Annales

B

Annales

Baptiſ

1072

C

Charitas

Cibum

Clerici

Consilia

D

Dei

Disci

Eleazarus

F

Finis

1085

I

Nullo

Iurispru

Liber

Ludima

Metello

de,

N

O

Occupa

P

Panis

Patriar

Peccan

1101.

Philo

1102

Prin

ad

1106

Scriptu

Socra

1110

Subdi

T

Valens

V

1114

viua

Vota

X

Z

Zeloty

1115

FINIS.